NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
16 G
21
V. 56.
M
13-20, e, 44
Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

DE ANTIQUIS ET MAJORIBUS EPISCOPORUM CAUSIS, LIBER;

IN QUO SS. PATRUM, PONTIFICUM, & Conciliorum Eccleſiæ Catholicæ Sententiæ ſummâ fide proferuntur,

AD CONFUTATIONEM ERRORUM DAUIDIJ, in libro Gallicè ſcripto, *de Iudiciis Canonicis Epiſcoporum*.

Autore THEOLOGO PARISIENSI Doctore Sorbonico.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

LEODII,
Ex Officina Typogr. JOAN. MATHIÆ HOVIJ.
1678.

Digitized by Google

ADMONITIO
Ad Lectorem.

CREDO ego te, lector, ſi nomine meo hunc librum inſcripſiſſem mirari vehementer quid ſit quod cum tot ſummi Doctores Theologique nobiliſſimi noſtrâ ætate ſcribant ego potiſſimùm ſurrexerim, qui neque ingenio neque ſcientiâ ſim cum iis comparandus. Quæ res enim inter homines duæ plurimum poſſunt, pro me ambæ non faciunt in hoc tempore ſumma gratia & eloquentia. Sed tali auxilio non eget nuda ſimplexque veritas: quæ quamvis in controverſiis jacens, multis implicata difficultatibus, infinitiſque incommodis debilitata videatur, ſemper tamen Doctorum viro-

Digitized by Google

rum hominumque pudentium æquitate recreatur. Hac igitur ſolâ autoritate fretus cauſam epiſcoporum tuendam recipere non metuo, eandemque neſcio qua rerum Chriſtianarum calamitate relictam ſuſcipere non pertimeſco. Omnes enim qui in hac causâ adeſſe poſſent injuriam novo ſcelere conflatam adverſus ordinem ſanctiſſimum putant oportere defendi: defendere propter iniquitatem temporum non audent. Ita fit ut plerique animum expleturi ſint jucundiſſima lectione hujus lucubrationis, tacuerint autem idcirco, quia periculum metuunt. Quid ergo? audaciſſimus ego ex omnibus? minimè. At tanto officioſior quàm cæteri? ne iſtius quidem prærogativæ ita ſum cupidus ut aliis eam præreptam velim. Quæ me res igitur præter cæteros impulit ut epiſcopatus cauſam reciperem? illa forſitan cauſa quod à cæteris ita petitum ſit ut ſcriberent, ut utrumvis ſaivo officio ſe facere poſſe arbitrarentur. A me autem ille præſul optimus ac fortiſſimus contendit qui apud me amicitiâ, beneficiis, & dignitate plurimùm potuit, cujus ego neque benevolentiam erga me ignorare, nec autoritatem aſpernari, neque voluntatem negligere debui. Hac de cauſa huic cauſæ patronus extiti, ad ſcribendum præ ceteris

ris

ris mentem appuli, non electus unus qui maximo ingenio aut eruditione ſummâ, ſed relictus ex omnibus & magis occultus & ignotus minimo periculo ſcribere poſſem. Verumenimverò ut hoc conſilium meum faciliter feliciterque procederet exiſtimavi adverſarium qui paucis abhinc annis de judiciis canonicis Epiſcoporum vernaculo ſermone ſcripſit, cui præter nomen DAVIDII natura nihil dedit libertatemque ſcribendi pater reliquit, non eſſe in jus ſæculare vocandum aut eccleſiaſticum: ſed litterarium ſeu virorum eruditorum publicum judicium, à quo nemini homini appellare licet. Ejuſmodi enim judicij ſingularis laus eſt ut ſi quis dicam ſortitus ſit, ſolvi judicatum ſatiſdare, aut ſponſionem facere non neceſſe nec opus ſit. Nihil enim homini turpius aut contumelioſius accidere poteſt quàm propter mendacia, interpolationes aliaque lucubrationum vitia palam ac publicè demonſtrata non reſpondere, & ex neceſſario ſilentio inani ſapientiæ gloriâ delectari. Sint ergo hujuſce cauſæ æquiſſimi judices quotquot ſunt in orbe Chriſtiano viri docti atque homines eruditi, puræ veritatis ſtudioſi, nulli factioni aut conjurationi addicti reipublicæ literariæ Quirites & patres conſcripti. Non

ã 3 enim

enim hîc habetur quæſtio de jure quo ſummus Pontifex Eccleſiæ cauſas epiſcoporum judicare aut dirimere poteſt. Abſit hæc à mente noſtrâ temeritas,ut è cœlo delapſam autoritatem Hominis Dei ore confirmatam aut vindicare aut eripere velim. Tota diſputatio noſtra in quæſtione facti verſabitur. Non enim quid in antiquis & majoribus epiſcoporum cauſis fieri debuerit aut potuerit inveſtigamus ſed quid confectum ſit anquirimus, non judicium pronuntiamus, ſed litis actionem explicamus, inſtrumenta & acta patrum oculis ſubjicimus cum accuratione & diligentia quæ viris doctis forſitan non injucunda futura eſt enucleamus. Cæterùm ſupremam Pontificis Romani autoritatem ſartam tectamque religiosè veneramur; quam amplificare aut temperare non in hominum poteſtate ſed Dei ſapientiâ poſitum eſſe intelligimus. Procul hinc ergo iſtiuſmodi negotioſum hominum otioſorum genus qui pro ſummi Pontificis autoritate continuò depræliantur quam nemo homo laceſſere aut irritare contendit: flagrantque deſiderio ſeu potiùs libidine tuendæ veritatis de qua tot abhinc ſæculis viris doctis & catholicis nullus dubitandi locus relinquitur. Eſt in orbe terrarum quædam Ardelionum natio occupata

cupata in otio, trepidè ſemper pro Pontifice concurſans, gratis anhelans multaque agendo nihil agens. Cum ejuſmodi hominibus ſibi moleſtis & aliis odioſiſſimis diſputare non ſolum ineptum verum etiam inſulſum & ſupervacaneum eſt. Quamobrem ut eis omnem dicendi aut ſcribendi contra me occaſionem præcidere videar, palam & publicè profiteor conceptis verbis, quæ in formula fidei ex omnium Eccleſiarum ritualibus ſacris habentur, *Me agnoſcere Sanctam Eccleſiam Catholicam Apoſtolicam & Romanam matrem & ſuperiorem omnium Eccleſiarum, promittoque veram obedientiam Papæ & Sanctiſsimo Patri Pontifici Romano ſucceſſori S. Petri Principis Apoſtolorum & Vicarij D. N. Jeſu Chriſti.* Prætereaque libenter ſubſcribo articulo 23. facultatis Theologicæ Pariſienſis contra Lutherum his verbis concepto. *Nec minus certum eſt unum eſſe jure Divino ſummum in Eccleſiâ militante Pontificem cui omnes Chriſtiani parere tenentur qui quidem poteſtatem habet & Indulgentias conferendi.* Quæ cum ita ſint mihique inobedientia aut detrectatio imperij Pontificij exprobrari jure merito non poſſit, nec ulla ratione poſtulari queam crimine adductæ in controverſiam autoritatis qua nec major nec ſublimior

blimior eſt: conſilium meum eſt hac lucubratione pro virili comprobare ſententiam eminentiſſimi Cardinalis Palavicini, qui ait hiſtoriæ Concilij Tridentini l.23. cap.10. *Neminem inficiari antiquitùs Epiſcoporum cauſas in provinciis cognoſci.* Enimverò contendo præter Davidium, neminem eruditum hominem de hac veritate dubitaſſe: etiamſi plerique ad Pontificem Romanum hoc jus eſſe devolutum arbitrati ſint, eſſe magnæ dementiæ rati ſibi perſuadere cuncta vetuſtiora præſtare recentibus præterquàm quod alios alia ſæcula mores poſtulant.

Hanc Palavicini & doctorum omnium ſententiam cum defendere ſtatuiſſet illuſtriſſimus PETRUS DE MARCA ex Archiepiſcopo Toloſano Pariſienſis lib.7. *De concordia Sacerdotij & Imperij ſive de libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ.* Davidius opere gallico pari craſſamento cum majoribus libris confutare ac frangere ſuſcepit: & quamvis adhuc ex ordine laïco in pulvere Scholaſtico ſulcos diduceret, virum ſcientiâ, virtute & dignitate ornatiſſimum quem in vivis adoraverat aperto marte poſt mortem oppugnare non metuit. Verùm non ſine quadam ignaviæ ſuſpicione: imbecilli enim eſt militis hoſtem in ſepulchro

chro debellare, nec turpius aut miſerius homini accidere poteſt quàm ipſa victoria de homine mortuo; quæ etiamſi ad meliores venit eos ipſos ferociores impotentioreſque reddit. Ego verò cùm nihil forti viro dignius atque homini pio congruentius eſſe putem quam viros illuſtres etiam poſt fata defendere, non æſtimavi alienum ab inſtitutis meis ad tantulum opus quod præ manibus habes, Lector optime, ſedulò incumbere erroreſque diverſæ partis ſcriptoris ſine fuco aut fraude confutare. Verumenimverò ne otio & literis intemperanter abuti viderer nihil mihi magis pertimeſcendum fuit quàm grande denſumque volumen ſcribere, cujus craſſitudo animos ab omni lectione deterreret, cauſamque juſtam longiori ſermone adeò perorare ne (ſicut accidit Davidio) judices in exordio ſatiati conſopirentur. Igitur conſilium meum non fuit defendere omnia illuſtriſſimi Petri de Marca opinamenta; voluntatemque meam aggregare ad tuendas omnes rationes partium à quibus ſtare placuit: neque pariter confutare omnia quæ protulit è contra Davidius. Enimverò quemadmodum Davidius non ſemper animo falli videtur, nollem ego vadimonium promittere pro omnibus conjecturis & interpretatio-

nibus quibus illuſtriſſimus Scriptor P. De Marca modo aſſerit ea de quibus extemplo dubitat, comprobat & comprobata mirabiliter revelit. Itaquè ad ſcribendum ſolùm animum appuli ut eam veritatem defenderem cujus cauſam ſuſceperat, neutiquam verò artes modoſque omnes tuendæ veritatis reciperem, quorum curam ſtudiumque relinquendum putavi clariſſimo amanuenſi ſchedarum & ſcriptorum erudito ſequeſtri qui rempublicam literariam libris ejus poſt mortem locupletavit, eoſque publici juris fecit. Hac agendi ratione impoſitam mihi neceſſitatem ſenſi non componendi libri ſed libelli, non operis tanti ſed tantuli: ad cujus compoſitionem ejuſmodi curatione incubuiſſe (ſervato temporum ordine quibus antiquæ & majores epiſcoporum cauſæ agitatæ ſunt) me fortaſſe ita perſpiciet lector ut ei nihil in re tanti momenti prætermiſſum aut perperã dictum videatur. Hæc enim Theologis ita ut aliis ſcriptoribus ſuprema lex impoſita eſt ut in legendo ſtudium ſemper erigant, rerumque quas tractant, ordine ac methodo lectores non mediocriter retineant. Ego verò hanc gloriam hoc opuſculum adeptum iri facile confido. Veterum enim epiſcoporum atque excellentium virorum ancipites variique caſus, quos bre-

vi

vi & contracto ſermone narrat, habent admirationem, expectationem, lætitiam, moleſtiam, ſpem, timorem: & cum notabili exitu ſæpè concludantur, explent animum jucundiſſimæ lectionis voluptate. Cum præſertim nihil ſit aptius ad delectationem lectoris quàm temporum varietates fortunæque viciſſitudines quæ quocunque ſtylo ſcriptæ ſint etſi nobis optabiles in experiendo non fuerint, in legendo tamen ſunt jucundæ. Habet enim præteriti doloris ſecura recordatio delectationem. His accedit accurata veterum inſtrumentorum diſcuſſio, quæ viris literatis maximo oblectamento eſſe ſolet, quippè cùm arte nulla feliciùs è tenebris eruatur amica veritas quæ ſua quaſi nuditate verecunda, ac pudore virginali timida, aut pulchritudine ac ſpecie faſtidioſa ſe ſe conopeis ac ſtragulis ſalebroſæ antiquitatis obumbrat, adeò ut in parietinis Chriſtianæ reipublicæ quibus dies noſtri pereunt, inventum ejus difficilem excogitationem ſemper habeat & negotia ſuis exploratoribus faceſſat. His adductus rationibus cùm anceps diu eſſem conſilij an meo nomine hanc lucubrationem inſcriberem de eo expungendo diu deliberandum non fuit. Verumtamen, ut ingenuè fatear, cum ſocietati Theologorum Pariſienſium non paucis ab-

hinc annis nomen dederim, paratumque me eſſe ad defenſionem veritatis uſque ad effuſionem ſanguinis juraverim,ejuſmodi ratio ut nomen meum occulerem omninò non impulit:ſed ne fortaſſe ſpes fortunæ melioris aliquando deluſa me ad quandam palinodiam turpiter adigeret, quâ apud pleroſque fama nomenque Petri de Marca vehementer laborant. Ejuſmodi enim eſt generis humani indoles, quantumvis illi à ſpe, metu, partibuſque reipublicæ animus liber ſit, ut ſi rerum adverſarum incommoda fortiter ſuſtineat ſecundarum illecebris non reſiſtat. Contigit enim ut qui vir fortiſſimus pro vetitate corium ſibi detrahi paſſus eſt, titillatione vincatur. Via igitur nulla ſecurior eſt ad tuendam veritatis cauſam quam celato nomine ſcribere. In ſuſpicioſiſſima tempora adducti ſumus quibus hic uſus mirabiliter in republica literaria invaluit, ut exempla tot illuſtrium Scriptorum qui eam florentiſſimam reliquerunt planiſſimè teſtificantur, quorum infinitæ lucubrationes anonymæ omnium eruditorum manibus honorificentiſſimè verſantur; *de gratia*, *de prædeſtinatione, de rebus moralibus, de perpetuitate fidei, de juſtificatione, de pœnitentiâ publicâ*, *de contritione*, *&c.* Adeò ut his rebus bene prudenterque

diſputa

diſputatis, dubitandi locus relinquatur honeſtius an turpius ſit opuſculum nomine autoris inſcribere, an illud penitùs omittere. Eo enim noſtræ ætatis πολιτικώτεροι res adduxerunt ut ipſimet ſcriptores profani quos ſummâ ope niti decet, ne vitam ſilentio tranſeant, ſed ut ingenij opibus gloriam quærant, memoriamque ſui maximè longam faciant, ſui nominis verecundiâ erubeſcere videantur.

Jam verò ſi quis forſitan percontari velit quid ſit quod latino ſermone reſponſum fecerim Davidio qui Gallicè ſcripſerat; Ipſe nos Davidius doceat cur Gallicè refutaverit D.Petrum de Marca, cujus libros non niſi latino idiomate conſcriptos legerat. Ego verò duplici ratione ad hoc ſcribendi genus mentem traduxi. Scilicet ut infinitos locos Patrum & Conciliorum qui de Græcis & Latinis in linguam Gallicam transferendi occurrebant in hoc opere evitarem: quorum nemo adeò fidus interpres eſſe poteſt ut ab omni vituperatione ac adverſariorum vitiligatione immunis ſit, quæ ſcriptoribus ac lectoribus infinitum faſtidium parere ſolent. Præterea ut non ſolum Gallicanæ ſed & exteris nationibus prodeſſem aptior mihi viſa eſt latinitas, impeditura ne res epiſcoporum ſacræ ſubli-

mi dignitate & amplitudine præcelſæ, quæ hoc volumine tractantur, plebæis imperiti vulgi manibus fædarentur.

Nunc igitur ût æqui judicis munus obire poſſis, erudite Lector, cauſamque tot controverſiis implicatam, quam decidere jam tuum eſt, ex actis & inſtrumentis litis intelligere: unum ſupereſt, videlicet, ut rogationi meæ non abnuas, quâ pro tuâ æquitate & humanitate peto, in gratiam ſubmoroſi & ambitioſi elegantiarum amoris quo ætas noſtra laſcivire videtur, ut antequàm ad lectionem hujus libri acceſſeris, errata typographica amicâ manu caſtigare, crenâque ſtyli ſcalpello bene temperatâ emendare velis. His enim erratis ita fit ut errores qui ſenſum plerumque turpiſſimè deformant multitudine innumerabiles exurgant, ipſaque dictio vitiis ſermonis obſcæniſque ſtribliginibus aliquando laboret. Quæ cum propter longinquitatem itineris inter prelum typographicum & muſæum noſtrum, nobis invitis irrepſerint, ſine injuria adſcribi non poſſunt. Interim verò ſpero te, ſi hanc æquitatem ſervaveris, ex hac lucubratione uberes fructus perceptum iri, ſi ex ea potiſſimè intellexeris me nulla ſpe mercedis ludificatum, hominem ignotum, tuo tamen amore & benevolen

Digitized by Google

nevolentiâ non penitus indignum, omnia mea ſtudia, omnem operam, curam, induſtriam, cogitationem, mentem denique omnem in ſanctorum epiſcoporum defenſione fixiſſe & locaviſſe, ſtatuiſſeque reliquo vitæ tempore in ea me non officij ſolum fructum ſed etiam pietatis & religionis laudem debere quærere: adeòque non ſocordiâ atque deſidiâ bonum otium quod Deus nobis fecit conterere.

Digitized by Google

INDEX CAPITUM.

CAP. I. *Explicantur loci S. Cypriani de Fortunato, Feliciſſimo, Martiano, & Baſilide Epiſcopatu depulſis.* Pagina 1

CAP. II. *Explicatur cauſa ſancti Dionyſij Epiſcopi Alexandrini hæreſis poſtulati Romæ coram cognomine Dionyſio Papa anno Chriſti 263.* pag. 17

CAP. III. *Explicatur hiſtoria Pauli Samoſateni Epiſcopatu Antiocheno abdicati. Agitantur Concilia in cauſâ eius habita annis 266. & 272.* pag. 21

CAP. IV. *Abdicatio Melecij Epiſcopi Lycopoleos in Thebaïde circa annum 303.* pag. 26

CAP V. *De cauſâ Ceciliani Epiſcopatu Carthaginenſi ejecti anno Chriſti 306. Explicatur ſanctus Auguſtinus.* pag. 29

Cap. VI. *Explicatur Concilium Nicænum de cauſis Epiſcoporum circa annum Chriſti 325.* pag. 37

Cap. VII. *Concilij Nicæni explicatio continuata.* pag. 42

Cap. VIII. *Argumenta ex Concilio Nicæno aſſumpta, ex quibus intelligimus tempore hujus Concilij, penes Concilia generalia extitiſſe autoritatem judicandi Epiſcoporum cauſas, eoſque ſuis ſedibus amovendi primæ cognitionis & ſupremæ judicio.* pag. 45

Cap. IX. *Diluuntur objectiones contra ſententiam capite quod huic anteceſſit propoſitam.* pag. 48

Cap.X. *Sanctus Athanaſius Sede Alexandrinâ ab Euſebianis pulſus in Concilio Tyri anno Chriſti* 335. pag.52

Cap.XI. *Marcellus Ancyranus Epiſcopatu abdicatus ab Euſebianis in Concilio Conſtantinopolitano juſſu Imperatoris Conſtantini coacto anno Chriſti* 336. pag.55

Cap.XII. *Explicatur ſententia Iulij Papæ I. de Iudiciis cauſarum Epiſcoporum.* pag.56

Cap.XIII. *Socratis & Sozomeni ſententia explicatur de conſuetudine ſcribendi ad Summum Pontificem, ſeu referendi cauſas graviores.* pag.63

Cap.XIV. *Explicatur Concilium Sardicenſe anno Chriſti* 347. *ſub Iulio Papa I.* pag.66

Cap.XV. *Explicatio continua Concilij Sardicenſis.* pag.76

Cap.XVI. *Sententia Concilij Primi Carthaginenſis ſub eodem Papa Iulio habiti anno* 348. *de cauſis Epiſcoporum.* pag.84

Cap.XVII. *Cauſa Euphratæ Epiſcopi Colonienſis circa annum Chriſti* 350. pag.86

Cap.XVIII. *Cauſa Stephani Epiſcopi Antiocheni Epiſcopatu ſpoliati circà annum* 348. pag.89

Cap.XIX. *Sententia Liberij Papæ de Cauſis Epiſcoporum judicandis. Iulio Papa mortuo ſui Pontificatus anno* 15. *ſucceſſit Liberius poſt quindecim dies anno Chriſti* 352. pag.92

Cap.XX. *Euſtatius Epiſcopus Sebaſtenſis Sede Epiſcopali pulſus eſt in eandem reſtitutus in Concilio Tyanenſi circà annum Chriſti* 365. pag.96

Cap.XXI. *Auxentius Epiſcopus Mediolanenſis, Urſatius, & Valens condemnati ſub Damaſo circà annum Chriſti* 635. pag.102

Cap.XXII. *Sententia primi Concilij Conſtantinopolitani ſub*

Damaſo anno Chriſti 381. pag.106
Cap.XXIII. *Maximus Epiſcopatu Conſtantinopolitano abdicatus in Concilio primo Conſtantinopolitano.* pag.114
Cap.XXIV. *Palladius & Secundianus Epiſcopatu ſpoliati Iudicio Concilij Aquileienſis circà annum Chriſti* 381. 15. *Pontificatus Damaſi.* pag.121
Cap.XXV. *Actiones litis ſtatutæ ab Imperatoribus Gratiano & Valentiniano adverſùs Epiſcopos Schiſmaticos Urſicini conjurationi addictos, circà annum Chriſti* 381. pag.124
Cap.XXVI. *Inſtantius Epiſcopatu abdicatus in Concilio Burdigalenſi, anno Chriſti* 385 *ſub Siricio anno* 2. *Imperij Maximi.* pag.128
Cap.XXVII. *Sententia Concilij Capuenſis de Epiſcopis in jus vocandis. Circà annum* 389. *vel* 390. 391. 392. pag.130
Cap.XXVIII. *Sententia Syricij Papæ de judiciis Epiſcoporum cauſa Bonoſi.* pag.135
Cap.XXIX. *Diluuntur objectiones adverſùs Epiſtolam Syricij Papæ de cauſâ Bonoſi hæretici.* pag.138
Cap.XXX. *Explicatur tertia Epiſtola Syricij Papæ.* pag.151
Cap.XXXI. *Sententia Concilij Conſtantinopolitani anno Chriſti* 394. *Pontificatus Syricij ann.* 10. *de cauſis Epiſcoporum.* pag.155
Cap.XXXII. *Antoninus Epiſcopus Epheſi ab Euſebio Valentinopolitano accuſatus. Plures Epiſcopi in Aſiâ ob Simoniæ crimen Epiſcopatu pulſi circà annum Ieſu Chriſti* 400. & 401. *ſub Anaſtaſio Pontifice, Arcadio & Honorio Imperatoribus.* pag.157
Cap.XXXIII. *Herenas, Donatus, Acurius, & Emilius Epiſcopi Priſcillaniſtæ abdicati in Concilio Toletano primo circa annum*

annum Chriſti 400. *ſub Anaſtaſio Pontifice.* pag. 164
Cap. XXXIV. *S. Ioannes Chryſoſtomus Epiſcopali ſede pulſus in Pſeudo-Synodo ad Quercum circà annum Chriſti* 403. *Innocentio primo Pontifice ſub Imperio Arcadij.* pag. 167
Cap. XXXV. *Diluuntur argumenta quibus Davidius probat S. Chryſoſtomum appellaſſe ad Sedem Apoſtolicam.* pag. 185
Cap. XXXVI. *Utrum Canones Concilij Sardicenſis ſervati ſint ſub Pontificatu Innocentij I. in cauſis Epiſcoporum.* pag. 211
Cap. XXXVII. *Explicantur litteræ Sozimi Papæ de abdicatione Proculi Epiſcopi Maſſilienſis.* pag. 228
Cap. XXXVIII. *Explicatur Concilium Carthaginenſe celebratum anno Chriſti* 419. *De Iudiciis Preſbyterorum & Epiſcoporum.* pag. 233
Cap. XXXIX. *Probatur poſt Concilium Carthaginenſe anni* 419. *Africanorum mentem ab appellationibus ad Romanam Sedem alieniorem fuiſſe in cauſis Epiſcoporum.* pag. 243
Cap. XL. *Explicantur quædam difficultates Davidij. Continuò probatur Africanos ſemper obſtitiſſe diſciplinæ Appellationum ad Romanam ſedem.* pag. 251
Cap. XLI. *Examinantur obſervationes Davidij ad intelligentiam Hiſtoriæ Concilij Carthaginenſis anni* 419. pag. 278
Cap. XLII. *Cauſa Maximi Valentini Epiſcopi multis criminibus poſtulati, coram Bonifacio I. circà annum Chriſti* 419. p. 285
Cap. XLIII. *De cauſa Antonij Fuſſalienſis Epiſcopi & appellatione ejus ad Cæleſtinum Papam I. circà annum Chriſti* 423. *vel* 424. pag. 290
Cap. XLIV. *Cauſa Danielis & Venerij Maſſilienſis Epiſcoporum variis criminibus poſtulatorum coram Cæleſtino Papa I. circà annum Chriſti* 428. pag. 298

Cap.

Cap.XLV. *Neſtorius Sede Archiepiſcopali Conſtantinopolitanâ pulſus, ſententiâ Concilij generalis Epheſini, circà annum Chriſti* 431. *ſub Cæleſtino Papa I.* pag.302

Cap.XLVI. *S. Cyrillus Alexandriæ Archiepiſcopus & Memnon Epheſi Epiſcopus in Latrocinio Epheſino Sedibus pulſi anno Chriſti* 431. pag.329

Cap.XLVII. *De Iudicio contrà duos Epiſcopos lato in Concilio Regienſi anno Chriſti* 439. pag.332

Cap.XLVIII. *Cauſa Euthychetis Archimandritæ & presbyteri depoſiti in Concilio Conſtantinopolitano ſub Flaviano ejuſdem Eccleſiæ Archiepiſcopo anno Chriſti* 448. pag.334

Cap.XLIX. *S. Flavianus Archiepiſcopus Conſtantinopolitanus & Euſebius Dorilei ſedibus ejecti in Conciliabulo Epheſino circà annum Chriſti* 449. pag.348

Cap.L. *De cauſa Theodoreti Epiſcopi Cyri in ſecundo Concilio Epheſino abdicati & appellationes ejus, ſeu perfugio ad S. Leonem I. Papam.* pag.361

Cap.LI. *Examinantur argumenta quibus Davidius probat judicium Concilij Chalcedonenſis de cauſa Theodoreti eſſe teſtificationem cultus & ſubmiſſionis Patrum erga ſanctum Leonem Papam.* pag.367

Cap.LII. *Dioſcorus Alexandrinus Epiſcopus in Concilio Chalcedonenſi abdicatus anno Chriſti* 451. pag.375

Cap.LIII. *Tempore Concilij Chalcedonenſis nondum invaluerat uſus appellationum ad Apoſtolicam Sedem. Epiſcoporum cauſæ in Conciliis Supremæ cognitionis judicio dirimebantur.* p.378

Cap.LIV. *Origo appellationum ad Apoſtolicam Sedem cauſa Chelidonij Hilarij Arelatenſis & Lupicini.* pag.384

Digitized by Google

DE ANTIQUIS ET MAJORIBUS EPISCOPORUM CAUSIS.

CAPUT I.

Explicantur loci S. Cypriani de Fortunato, Feliciſſimo, Martiano, & Baſilide Epiſcopàtu depulſis.

SI mentem Sancti Cypriani aſſequutus eſt Davidius articulo primo libri de Judiciis canonicis Epiſcoporum, quem vernaculo ſermone ſcripſit; benè ac ſapienter aſſumit ad tuenda jura Summi Pontificis Eccleſiæ, in Epiſcoporum cauſis. Verùm ſi è contra certiſſimis argu-

mentis probare non eſt difficile, vehementer animo falli, & à ſenſu ſancti Martyris non ſolùm alienum, verùm etiam eidem prorſus contrarium eſſe; Davidium ſe non bonam agere cauſam fateri neceſſe eſt: de qua ex continenti ſermone & elucidatione prudens Lector quid ſentiendum ſit, non difficiliter intelliget.

PRIMVS LOCVS S. CYPRIANI.

Primum hunc locum tractat Epiſtolâ LV. Cornelio Papæ. *Nam cùm ſtatutum ſit omnibus nobis & æquum ſit pariter ac juſtum vt vniuſcuiuſque cauſa illic audiatur vbi eſt crimen admiſſum, & ſingulis portio gregis ſit adſcripta quam vnuſquiſque & gubernet rationem ſui actus Domino redditurus, oportet vtique eos quibus præſumus non circumcurſare nec Epiſcoporum concordiam cohærentem ſuâ ſubdolâ & fallaci temeritate collidere, ſed agere illic cauſam ſuam vbi & accuſatores habere & teſtes ſui criminis poſſint, niſi ſi paucis & perditis minor eſſe videatur autoritas Epiſcoporum in Africa conſtitutorum qui jam de illis judicarunt.*

AD perfectam huius loci intelligentiam opus eſt obſeruare, Fortunatum & Feliciſſimum (cùm iis communione Eccleſiæ interdictum fuiſſet propter atrocia crimina, ac potiſſimè communicationem cum Chriſtianis qui tempore perſecutionis idolis ſacrificauerant, quos in priſtinum ſtatum ſiuè prouincias Eccleſiaſticas ſine pœnitentiâ reſtitui debere intendebant) non inueniſſe meliorem viam trahendi ad rationes partium ſuarum Epiſcopos Africæ, quam ſi ipſimet conjurationem Epiſcoporum

rum

rum haberent, & hac arte nationum externarum Antiſtites allicerent, ac præſertim Romanum Epiſcopum, à quo propter ſedis amplitudinem & antiquitatem egregiam atque officioſam operam expectabant.

gnoſceres qui & ipſe in eiſdem Coëpiſcoporum noſtrorum factis ad te pridem continetur qui non tantùm ab iis iſthic abſtentus, ſed abs te illic nuper de Eccleſiâ pulſus eſt. Sed cum Feliciſſimus pſeudo-Epiſcoporum ſocietati nomen dediſſet, non potuiſſe ſibi communione interdici, contendebat.

Hoc primum fuit artificium quo Fortunatus & Feliciſſimus ſuum ſchiſma ſuſtentarunt, ipſique aduerſus vniuerſam Africæ Eccleſiam ſteterunt; ejúſque Epiſcopos legitimos: à quibus juxta juris regulas eis in Conciliis ceù Synodis Prouincialibus communione interdictum fuerat.

II. Alterum fuit artificium ſcribendi ad Cornelium Papam, non vt à Synodis Africæ in quibus condemnati fuerant, ad ipſum appellarent, ſed è contrà vt eos ad communionem injecto terrore admitteret, minis ac probris eum affecerunt. Non videntur quicquam egiſſe vt litem judicatam ad iterandam diſceptationem recenſeret: hoc enim ſpeciatim in causâ Feliciſſimi ſuperuacaneum fuiſſet, quippè authoritate Cornelij à fidelium ſocietate diſtracti; vt *ſuprà* obſeruauimus: ſed deſperati metum injicere conabantur *cum ſummâ deſperatione comminantes* & vi ac minis cogere, vt ad partium ſuarum rationes ſe adjungeret.

Igitur S. Cyprianus hanc Epiſtolam ſcripſit ſanctiſſimo Papæ, vt ad ejuſmodi hominum minas ſuſtinendas, & præſidium Eccleſiæ animum illius accenderet.

Petrus de Marca, vt refert Davidius, hâc Epiſtolâ quam diſceptamus probare contendit primis temporibus Epiſcopos in Conciliis Prouincialibus omni appellatione remotâ ad Pontificem Romanum, judicatos fuiſſe. Ipſe verò Davidius hoc argumentum æſtimat imbecillum, nec accommodatè putat adduci poſſe exemplum Fortunati & Feliciſſimi ad probandum Epiſcopos juriſdictioni Synodorum Prouincialium eſſe obnoxios omni jure appellationis ad

ad Romanam ſedem remoto, quippe cùm Preſbyteri ſimplices fuerint, Epiſcoporum caractere atque amplitudine vacui. Sed ejuſmodi obſervatio nihil attinere videtur. Quàm difficile eſt enim probare ætate Sancti Cypriani aliam ac diverſam judicandi Epiſcopi & Sacerdotis fuiſſe rationem. Vt ipſomet exemplo Fortunati perſpectum eſt: qui ſuis rebus non cavet, nec providet, appellationis arte, ad Romanum Pontificem, ſed minarum ac metus, quibus ejus animum explet. Non ei exprobrat Cyprianus uſurpata Epiſcoporum privilegia, ob poſtulatam diſceptationem litis judicatæ iterandam, coram Pontifice Romano. Nec ipſi ſcripſit Pontifici ad recuperandam juriſdictionem adverſus Preſbyteros Eccleſiæ Africanæ uſurpatam; ſed vt ab animo Pontificis injectum terrorem diſpelleret, ipſúmque impediret ne familiariter uteretur hominibus quibus communione interdictum fuerat, ne illos ſocios aut comites ſiuè in conviviis aut colloquiis haberet; ideóque hæc verba S. Pauli objecta: *Præcipimus vobis in nomine Domini Ieſu Chriſti vt recedatis ab omnibus fratribus ambulantibus inordinatè & non ſecundùm traditionem quam acceperunt à nobis*, ipſúmque Pontificem in crimen vocare videtur cujuſdam habiti cum ejuſmodi hominum genere commercij. Præterea Sanctus Cyprianus cauſas communes ſeu generales profert, quæ æquabili ratione Epiſcopis & Preſbyteris conueniunt: vt abducat Cornelius Papa ab ejuſmodi hominum quærimoniis aures ſuas, & perſpectum ſit omnibus vltimæ cognitionis ſententiâ in Synodo fuiſſe judicatos.

Epiſt. 2. ad Theſſalon. c. 5. v. 6.

Prima cauſa eſt, ſcilicet, quia omnibus Epiſcopis & Preſbyteris ſtatutum eſt, vt vniuſcujuſque illic negotium tractetur vbi crimen commiſſum eſt. Nam hæc verba Sancti Cypriani ſpeciatim notanda ſunt; *vniuſcujuſque*, quippe æqualiter Epiſcopos & Preſbyteros ſignificantia. Non enim ſibi cogitatione fingendum eſt,

ibi Sanctum Cyprianum de ſolitariis Preſbyteris Epiſcopali amplitudine vacuis mentionem facere, qui huic ſynodi judicij obnoxij ſint, propter hæc verba: *Oportet utique eos quibus præſumus non circumcurſare nec Epiſcoporum concordiam cohærentem ſuâ ſubdolâ & fallaci temeritate collidere.* Enimverò cum hoc vtitur verbo *præſumus*, & ait *non oportere eos quibus præſumus circumcurſare*, per eos *quibus præſumus* intelligit Preſbyteros & Epiſcopos Provinciæ ſingulos, judicio aliorum Epiſcoporum & Preſbyterorum in Concilio congregatorum obnoxios; quemadmodum hodiè fieri poſſet, ſi priſtinum vſum Conciliorum provincialiũ Eccleſia Gallicana conſequeretur, nec prava conſilia obſiſterent. Congruere videtur ſenſus ejuſdem Sancti Cypriani, cùm ait eadem Epiſtolâ Cornelio Papæ de Clero Romano, *& florentiſſimo illic Clero tecum præſidenti* juxta Sancti Pauli verba 1. ad Timotheum cap. 5. verb. 17. *qui bene præſunt Presbyteri*, & Sancti Ignatij Martyris Epiſtolâ ad Magnotianos. *Sed vniamini Epiſcopo & præſidentibus* ἀλλ, ἑνώθητε τῷ ἐπισκόπῳ, καὶ τοῖς προκαθημένοις. Præterea habitâ ratione amplitudinis Epiſcopi Charthaginenſis, ita potuit loqui Sanctus Cyprianus adverſus alios Epiſcopos Africæ. Quamobrem aſſumi non poteſt ad concludendum hæc Epiſtola, ad ſolitarios Preſbyteros ſimplices reſpexiſſe S. Cyprianum.

Altera Sancti Martyris cauſa ceù ratio eſt, neceſſe eſſe ibi negotia tractari vbi ſcelerum teſtes atque reorum accuſatores eſſe poſſunt; quæ ad Epiſcopos æquè ac Preſbyteros ſpectat. Igitur tempore Sancti Cypriani judicabantur in Synodis Epiſcopi & Preſbyteri. Ad tuendam hanc diſciplinam & judicij formam, centum & quinquaginta annis poſt exactam S. Cypriani ætatem Concilium Africanum de quo dicturi ſumus capitibus 38. & 39. hujus operis ſcripſit Celeſtino Papæ huius nominis primo, *Preſbyterorum quoque & ſequentium Clericorum improba refugia*

ſicut

ſicut te dignum eſt repellat ſanctitas tua, quia & nulla patrum definitione hoc Eccleſiæ derogatum Africanæ & decreta Nicæna ſive inferioris gradus clericos, ſive ipſos Epiſcopos ſuis Metropolitanis apertiſſimè commiſerunt. Prudentiſſimè enim juſtiſſiméque viderunt quæcunque negotia in ſuis locis ubi orta ſint finienda, nec cuicunque providentiæ gratiam ſancti Spiritus defuturam. Iam ipſémet Davidius judicet an mentis compotis hominis ſit, accuſare Petrum de Marca argumenti ſupervacanej, cùm ex hac Sancti Cypriani Epiſtolâ intelligendum duxerit Epiſcopos in Synodis eſſe vltimæ cognitionis ſupremos judices cauſarum Epiſcopalium. Cùm è contra perſpectum ſit Epiſcopos & Preſbyteros æquabili ratione Synodorum judicio fuiſſe obnoxios, cùm præſertim de iis indiviſim loquatur Sanctus Cyprianus, eóſque Preſbyteros Romam euntes jura Epiſcoporum violaſſe, ſibíque eorum privilegia irrogaſſe non dicat?

Ob iſtam fortaſſe rationem Davidius anteceptæ opinionis argumentum perſequitur, & contendit tempore Sancti Cypriani Epiſcopos nequidem judicio Synodorum fuiſſe obnoxios, ſed ab ipſómet ſummo Pontifice primâ vice fuiſſe judicatos. Quamobrem ſecundum Sancti Martyris locum adducit ex Epiſtolâ 67. ad Stephanum Papam.

SECVNDVS LOCVS S. CYPRIANI.

Dirigantur in provinciam & ad plebem Arelatæ conſiſtentem à te litteræ, quibus abſtento Martiano alius in locum ejus ſubſtituatur.

HVnc locum æſtimat Davidius argumentum graviſſimum ſupremæ poteſtatis ſummi Pontificis, ad abdicandos primæ cognitionis judicio, ſuo Magiſtratu Epiſcopos.

Porrò illud examinare jam expedit.

Hanc

Hanc Epiſtolam Cyprianum nunquam ſcripſiſſe & inter eius opera perperam recenſeri dicere poſſem. Cum præſertim tantâ verborum ſuauitate ſcripta ſit Stephano Papæ, cum quo multa contentio animorum ac paulò acerbior controverſia de Baptiſmo Hæreticorum interceſſerat; & in codicibus manuſcriptis Vaticano, Beneventano, & Sorbonico non occurrat. Sed dato non conceſſo, hanc Epiſtolam eſſe hujuſce patris, fœtum ſine controverſiâ genuinum; eámque ſcripſiſſe, exiguo tempore inter Stephani ad Pontificatum promotionem, & Sancti Cypriani contentionem elapſo: non adeò tamen Davidij conſiliis ac menti ſuffragari videtur.

I. In culpâ eſt Davidius, dum ait ex hac Epiſtolâ non intelligi Epiſcopos Galliarum ſingulare judicium adverſus Marcianum tuliſſe. Vix enim credo integram Epiſtolam perlegiſſe quamvis breviſſimam. Quippè cùm Sanctus Cyprianus dicat *nec ſic agat*, ſcilicet Martianus, *quaſi ipſe judicaverit de collegio Sacerdotum quando ſit ab vniverſis Sacerdotibus judicatus.* Reuera Gallorum ibi ſpeciatìm nulla mentio exiſtit. Sed cùm ab vniuerſis Epiſcopis judicatus ſit, non ſine vitiligatione ab hoc judicio Epiſcopi Galliæ excluſi viderentur. Et in eo ſatis eſt argumenti, ad probandum mentem Cypriani nunquam fuiſſe, eundum eſſe Romam ad obtinendum primæ cognitionis judicium in cauſa abdicationis Martiani.

II. Et ſi Martianus à nomine judicatus fuerit vt ſubijcit Davidius, non erat neceſſe à quoquam judicari. Nam ſuperuacaneum erat interdicere communione homini & ab Eccleſiæ ſeptis eundem amoliri, qui de ea animo libenti & ſponte ſuâ deceſſerat, ſuámque perduellionem palàm ac publicè jactitabat & impium fœdus quod cum Nouatiano pepigerat. *Qui jam pridem jactat & prædicat quod Nouatiano ſtudens & ejus pervicaciam ſequens à communione ſe noſtrâ ſegregauerit.*

Cum

Cùm Epiſcopus aut quilibet alius ſe Eccleſiam deſeruiſſe ſignificat, obnoxium ſe ſentit judicio in Hæreticos lato, quorum ſectæ ſe adjungit, nec alio opus eſſe videtur. Quãobrem hâc Epiſtolâ S. Cyprianus non rogat Cornelium Papam Iudicium, ſiue abjectionem Martiani, ſed illi renunciat infortunium, ſeu caſum ejus, de quo iam Fauſtinus Lugdunenſis Epiſcopus ipſimet Cornelio, reſcripſerat. Et quoniam impietas Martiani totam ciuitatem Arelatenſem miſcebat, rogat Pontificem litteras ex quibus plebs intelligat nullam inter eum & ejuſmodi hominem intercedere ſocietatem, & alius in locum Martiani ſubſtituatur Epiſcopus. Hic eſt enim verus horum verborum ſenſus. *Dirigantur in prouinciam & plebem Arelatæ conſiſtentem à te litteræ quibus abſtento Martiano alius in locum ejus ſubſtituatur.*

III. Si Fauſtinus Epiſcopus Lugdunenſis æſtimaviſſet ad ſolitarium Papam confugiendum pro abdicando Epiſcopo, vt Davidius contendit, cur ſcribebat Sancto Cypriano? Eam ob rem neutri dubio procul ſcripſerat: ſed vt eos de calamitate quæ vniuerſæ acciderat Eccleſiæ moneret, ſcilicet, de horribili caſu Arelatenſis Epiſcopi: & eorum opem erga derelictam plebem impetraret, nam etſi multi Paſtores ſint in Eccleſia, vnus tantum grex fidelium exiſtit, & eam tantùm ob cauſam Stephano Papæ ſcribit Cyprianus. *Nam etſi paſtores multi ſumus, vnum tamen gregem paſcimus.*

IV. Si mens Sancti Cypriani fuiſſet, ſupremam hanc poteſtatem penès Solitarium Papam exiſtere ipſi dixiſſet ejus eſſe *conſulere Eccleſiæ, & ſubvenire*; *atque illius regendæ libram tenere.* Sed è contra ad omnes Epiſcopos pertinere, ipſóſque Eccleſiæ gubernandæ libram tenere, plurali, non ſingulari numero ait. *Cui rei noſtrum eſt conſulere & ſubuenire, frater chariſſime qui diuinam clementiam rogitantes & gubernandæ Eccleſiæ libram tenentes ſic cenſu-*

ram rigoris peccatoribus exhibeamus, vt tamen lapſis erigendis & curandis vulneratis, bonitatis & miſericordiæ diuinam medicinam non denegemus. Deniquè nullam rationem ſubjicit, quâ Pontificem excitet aduerſus Martianum, quâ non ſemetipſum cæteróſque vehementer Epiſcopos accendat. Ergo nullam in Epiſcopo Romano autoritatem perſpiciebat niſi omnibus Epiſcopalis Collegij proceribus æquabili ratione communem.

V. Idque adeò poſitum eſt extra omnem dubitandi aleam, vt ipſemet Sanctus Cyprianus, licèt in Cathedra Carthaginenſi ſedens, dum eâdem Epiſtolâ Pontifices Romanos Cornelium & Lucium laudat qui opinamenta Novatiani proſcripſerant, dandámque pacem & reconciliationem poſt lapſum pœnitentibus, & ad meliorem frugem reverſis cenſuerant, eoſdem ſuos anteceſſores nominat, quamuis revera Stephanum quippe Succeſſorem & Vicarium, teneri potiſſimè dicat, eos incitatione conſequi, *ſeruandus eſt enim anteceſſorum Beatorum Martyrum Cornelij & Lucij honor glorioſus.* Enimuerò ſecundùm antiquam Sancti Cypriani & Eccleſiæ doctrinam, ſicut Epiſcopatus vnus, vna ſimiliter eſt Cathedra, in qua ſedent omnes Epiſcopi, & una eſt Eccleſia. Hoc grande myſterium vnitatis Cathedræ & Eccleſiæ patefecit nobis Chriſtus Dominus cùm primum inter Apoſtolos Petrum elegit, licet pari eadémque poteſtate cæteros donauerit. *Hoc erant cæteri Apoſtoli quod fuit Petrus pari conſortio præditi & honoris & poteſtatis, ſed exordium ab vnitate proficiſcitur, primatus Petro datur, vt vna Chriſti Eccleſia & Cathedra vna monſtretur. Et paſtores ſint omnes; ſed grex vnus oſtenditur qui ab Apoſtolis omnibus vnanimi conſenſione paſcatur.* Ideò dicit Optatus Epiſcopus Milevitanus lib. 2. contra Parmenianum, *& per Cathedram Petri quæ noſtra eſt.* Ab hac ſede omnibus Epiſcopis communi, nunquam recedere licet, apud quam Chriſtus doctrinam veritatis depoſuit,

S. Cypr. de vnitate Eccleſiæ pag. 50.

poſuit, vt nos docet Sanctus Auguſtinus. *Cæleſtis magiſter cavendum præmonuit vt etiam de præpoſitis malis ſecuram plebem faceret, ne propter illos doctrinæ ſalutaris Cathedra dẽſereretur, in qua coguntur etiam mali bona dicere, neque enim ſua ſunt quæ dicunt. Sed Chriſti qui in Cathedra vnitatis doctrinam poſuit veritatis.* Ea denique Sancti Petri eſt Cathedra, de qua Sanctus Cyprianus ait. *Nam nec Petrus quem primum Dominus elegit, & ſuper quem ædificauit Eccleſiam ſuam cùm ſecum Paulus de Circunciſione poſtmodum diſceptaret, vindicauit ſibi inſolenter, aut arroganter aſſumpſit vt diceret ſe primatum tenere & obtemperari à novellis & poſteris ſibi potius oportere.*

Epiſt. 166.

Epiſt. 70. ad Quintum.

Dicet Davidius hæc eſſe argumenta motus impotentis animi Sancti Cypriani: hæc eſſe opinamenta inſolentia quæ conceperat irritato animo ſententiâ Stephani Papæ qui ejus errorem condemnaverat. Sed ſi res ita ſunt, quare S. Auguſtinus non perſpexit, cùm ei objectarent Donatiſtæ autoritatem Sancti Cypriani? ſi tantam eſſe Pontificis Romani autoritatem non dubitabat, cur non dicebat Donatiſtis opinionem Sancti Cypriani fuiſſe condemnatam & Palinodiâ teneri? cur non dicebat eos fulcire ſuam ſententiam autoritate hominis cui Pontifex communione interdixerat, & qui totam Eccleſiam miſcuerat? Cur non dicebat Cyprianum, generalem Epiſcoporum autoritatem extra limites antiquæ Eccleſiæ diſciplinæ ſibi præſcriptos traduxiſſe opinionem non tuendam propugnaſſe & in vitium nihil probandi, animum vertiſſe, nimis probandi deſiderium? Cur non dicebat vt Davidius, Cyprianum ex filio Sanctæ Sedis obſeruantiſſimo in illuſorem & priuilegiorum ludificatorem converſum? Denique cur immò, his bilis ferueſcentis motibus contraria, ne dicam Davidij ineptiis oppoſita profert: verba ejus adeò clara & aperta ſunt vt attentâ cogitatione vix indigeant. Sanctus Auguſtinus lib. 2. de

Baptiſmo cap. 7. *Nolite ergo nobis autoritatem objicere Cypriani ad Baptiſmi repetitionem,ſed tenete nobiſcum exemplum Cypriani ad veritatis conſervationem, nondum enim erat diligenter illa Baptiſmi quæſtio pertractata.* Verumtamen optimè ſciebat Stephanum Papam condemnaſſe Cypriani opinionem, vt ipſemet obſeruat lib.5. de Baptiſmo. Neceſſe eſſet hîc exſcribere integrum librum 3. de Baptiſmo in quo ſcripſit Sancti hujus Martyris Apologiam quam mirificis laudum acceſſionibus cumulavit; & in qua dat excuſationem permanſionis in ſententiâ renovandi Baptiſmatis Hæreticorum, quoniam hæc quæſtio nondum in Concilio vniverſæ Eccleſiæ agitata fuerat. Vehementiùs loquitur libro de Baptiſmo contra Petilianum capite 13. in quo dùm æquat Cyprianum Stephano, Eccleſiam Carthaginenſem Romanæ ait, vtroſque ſuæ ſententiæ cauſam agentes in vnitate Eccleſiæ conſtitiſſe. *Duo erant eminentiſſimarum Eccleſiarum Romana ſcilicet & Carthaginenſis Epiſcopi Stephanus & Cyprianus, ambo in vnitate Catholicâ conſtituti, quorum Stephanus Baptiſmum Chriſti in nullo iterandum eſſe cenſebat, & hoc facientibus graviter ſuccenſebat. Cyprianus autem Hæreſi vel Schiſmate Baptiſatos tanquam non habentes Baptiſmum Chriſti baptiſandos in Eccleſiâ Catholica exiſtimabat, multi cum illo, quidam cum iſto etiam ſentiebant, vtrique cum eis in vnitate conſiſtentes.*

Nunquid non etiam congruunt quæ dicit lib.2. contra Gaudentium cap.7. *Sed iſtam tu mihi potes brevem ſolvere quæſtionem, quando rebaptiſabat Cyprianus ab Hæreticis venientes Eccleſia Carthaginenſis Epiſcopus. Tunc Eccleſia Romana Stephanus Epiſcopus in eodem Baptiſmo quem foris acceperant, ſuſcipiebat Hæreticos, & ambo hæc diverſa facientes in vnitate Catholicâ permanebant.*

Deniquè certum eſt S. Auguſtinum Cypriani mentionem feciſſe, & controverſiæ eius cum Stephano Papa,

operum

operum ſuorum locis plus centum, tàm in Epiſtolis, quàm libris adverſus Donatiſtas: Et tamen aſſero libenter, quamvis falſam æſtimet opinionem Sancti Cypriani & errorem eſſe putet, nullum ex operibus ejus locum proferri poſſe, quo illum inobedientiæ poſtulet & detractationis imperio Stephani. Ex quo manifeſtè perſpicitur, incogitabilem prorſus fuiſſe tempore Sancti Auguſtini tantæ molis autoritatem Romani Pontificis, adverſus fratres & ſocios Epiſcopos.

Tertius Locus S. Cypriani.

Tractat hunc locum Epiſtolâ 68. ad populum & Clerum Hiſpaniæ. *Nec reſcindere ordinationem jure perfectam poteſt, quod Baſilides poſt crimina ſua detecta & conſcientiam etiam propriâ confeſſione nudatam Romam pergens Stephanum collegam noſtrum longè poſitum & geſtæ rei ac tacitæ veritatis ignarum fefellit, vt exambiret reponi in Epiſcopatum de quo juſtè fuerat depoſitus. Hoc eò pertinet vt Baſilidis non tam abolita ſint, quàm cumulata delicta, vt ad ſuperiora peccata ejus etiam fallaciæ & circumventionis crimen acceſſerit; neque ènim tam culpandus eſt ille cui negligenter abreptum eſt, quàm execrandus qui fraudulenter abrepſit.*

Tantum abeſt, inquit Davidius pagina 16. vt ex hoc " loco quicquam intelligam quod ad ſententiam D. " de Marca ſuſtentandam deducere videatur; cùm im- " mò illuſtrius argumentum eſſe non ſentiam ſummæ au- " toritatis Sedis Apoſtolicæ: Quam video ineunte tertio- "

ſæculo

„ ſæculo mœrentium, atque afflictorum Epiſcoporum ſa-
„ crum refugium, cujus paſtoralem ſollicitudinem trans-
„ maria diffuſam vſque ad extremos occidentis fines per-
„ ſpicio.

Quum lector videre putat in libro, ea quæ in cogitationem Autoris neutiquam venêre, in magnum adducitur periculum concludendi quæ dicti Autoris menti valdè contraria ſint, ac ſenſui communi repugnent. At verò in hoc verſatur diſcrimine Davidius dum Cyprianum perlegit.

Intelligimus ex Cypriano duos Hiſpaniæ Epiſcopos, ſcilicet Martianum & Baſilidem, convictos crimine cultus idolorum, ſedes Epiſcopales deſerere coactos; quorum alter, ſcilicet Baſilides, laïcam tantùm communionem rogaverat poſt peractam pœnitentiam.

Intelligimus ex ipsâmet Epiſtolâ, hos Epiſcopos ad ſummas ejuſmodi anguſtias compulſos, decreto Cornelij Papæ; qui cum omnibus orbis Epiſcopis ſtatuerat hujus generis reos poſſe ad pœnitentiam admitti ſublatâ omni ſpe reſtitutionis in ſui Ordinis functiones & priſtinos honores. *Maximè cùm jam pridem nobiſcum & cum omnibus omninò Epiſcopis in toto mundo conſtitutis, etiam Cornelius collega noſter Sacerdos pacificus ac juſtus & Martyrio quoque dignatione Domini honoratus decreverit, ejuſmodi homines ad pænitentiam quidem agendam poſſe admitti, ab ordinatione autem cleri atque ſacerdotali honore prohiberi.*

Intelligimus duos alios Epiſcopos in eorum locum ſubſtitutos. Poſteà verò tædio afficiuntur Martialis & Baſilides, viámque ad reſtitutionem in ſuas ſedes parant. Proptereà Baſilides proficiſcitur Romam, *pergens Romam*; Stephanum Papam decipit, *geſta rei ac tacita veritatis ignarum fefellit.* Vt in ſedem iniuſtè reſtituatur, de qua juſtè dejectus fuerat, *vt exambiret reponi ſe iniuſtè in Epiſcopatum de quo iuſtè fuerat depoſitus.* Intelligimus ex hoc perfugio ad

Roma

Romanam ſedem & Pontificis ludificatione, Baſilidem magis reum, magíſque indignum honore Epiſcopali evaſiſſe. *Hoc eò pertinet vt Baſilidis non tam abolita ſint, quàm cumulata delicta, vt ad ſuperiora peccata ejus etiam fallacia, & circumventionis crimen acceſſerit.*

Intelligimus prorſus ſupervacaneum fuiſſe iſtud ad Pontificem Romanum perfugium, *nec reſcindere ordinationem iure perfectam poteſt.* Scilicet neceſſe eſt conſiſtere, quod ſemel adverſùs eos decretum eſt: nulláque poteſtas eſt, cuius pondere ordinatio eorum reſcindi poſſet qui locum miſerorum Epiſcoporum occupabant,

Attamen Davidius ijs prorſus contraria ex hâc Epiſtolâ intelligenda putat, quam aſſumit ad concludendum hunc locum de quo diſceptamus, eſſe argumentum perilluſtre autoritatis Pontificiæ in cauſis Epiſcoporum ſuis ſedibus depulſorum.

Sed hæc omnia æquabili ratione militare videntur, ad præſidium autoritatis aliorum Epiſcoporum, ad quos Martialis & Baſilides pariter confugerant.

Quippè ex hac Epiſtolâ plus ſatis perſpectum habemus multos Epiſcopos non deſtitiſſe cum ijs communicare.

„ Quamobrem quærenti Davidio quâ ratione Epiſcopi „ extremis è finibus Hiſpaniæ ſuis ſedibus pulſi, iter Ro„ mam ſuſcepiſſent, vt ſollicitationibus ſuam reſtitutio„ nem obtinerent niſi jam his temporibus ſtabile firmúm„ que Roma fuiſſet Epiſcoporum exulantium ac ſedibus „ perſecutione aut ſchiſmate pulſorum perfugium?

Reſponſio facilis eſt eos confugiſſe Romam ſicut ad alias urbes, imploraſſe opem Pontificis, ita ut aliorum Epiſcoporum, ipſummet ſicut & cæteros, erroribus ac fallaciis fuiſſe obnoxium.

Rigaltius, cujus notas ad Cyprianum approbavit M. Grandin, jucundiſſima reſponſione hanc quæſtionem ſolvit, *Romam pergens*, inquit de Baſilide, *quo ſolebant*

contuma

contumaces ut, provt ab ſuis quibus erant noti, faciliùs fallerent. Verum enimvero dubium ſubolere nemini poteſt quin S. Cyprianus alienior ſit à mente eorum qui penes Pontificem Romanum jus eſſe ſibi perſuadent reſtituendi in ſuas ſedes hos Epiſcopos, quippe cùm de obſequio illi debito nullam mentionem faciat, neque de admonitionibus illi habendis ſi fortè hoc jure uti contingat. Sed è contra qualemcumque favorem ſupervacaneum fore aſſerit: *nec reſcindere ordinationem jure perfectam poteſt.* Totum S. Cypriani in hac Epiſtolâ conſilium eſt, probare non eſſe ferendam ejuſmodi hominum reſtitutionem in priſtinas functiones, quicquid Papa vel cæteri Epiſcopi in gratiam eorum fecerint, qui contra diſciplinæ Eccleſiaſticæ leges cum eis communicant. Id confirmat multis Scripturæ ſacræ exemplis. Igitur nihil magis eſt à veritate alienum eâ concluſione, quam ex hoc loco aſſumit Davidius, & apertè conſtat ex eo prorsùs aliud intellexiſſe quàm quod ſignificat. Attamen cùm in mentem incurrunt dicacia verba quibus S.Cyprianum carpere placuit, cumque appellare non dubitat ſanctiſſimum Martyrem, „ hominem iracundum, qui Epiſcoporum autoritatem „ generatim extra limites antiquâ Eccleſiæ diſciplinâ ſibi „ præſcriptos traduxerat, & irritato animo conceperat opi„ niones inſolentes & doctrinam ſingularem impotentis „ animi motibus accenſus adversùs Stephanum Papam, „ qui denique Poſteris exemplum extiterat formidabile in„ firmitatis humanæ", dum puncto temporis ex filio ſedis „ Apoſtolicæ obſervantiſſimo privilegiorum ejus illuſor & „ ludificator evaſerat; Hæreo fateor & in cogitationem ſuſpicionis venio malitiæ potius quàm ignorantiæ Davidij ratus fieri nunquam potuiſſe, ut tam inſolenter peſſumdaret ſanctiſſimum Patrem quem ferè quindecim ab hinc ſeculis Doctorem & defenſorem Epiſcopatus Eccleſiæ veneratur, niſi benè intellexiſſet mentem hujus

alienio

alieniorem ab ea quam multa contentione ei tribuere nititur.

CAPUT II.

Explicatur cauſa Sancti Dionyſij Epiſcopi Alexandrini Hæreſis poſtulati Romæ coram cognomine Dionyſio Papa anno Chriſti 263.

CARDINALIS Baronius qui nullam in amplificandâ autoritate Romanæ Sedis occaſionem prætermittit, in eam rem eſſe mirabiliter, putat ea, quæ in negotio S. Dionyſij Alexandrini, circa annum Chriſti contigerunt 263. At verò ita ſe res habuit.

Cùm Hæreſis Sabellij ſuo fœtore quorumdam Epiſcoporum Libyæ ſuperioris mentes impleviſſet, exiſtimavit Dionyſius pro ſuæ ſedis amplitudine, adversùs Epiſcopos Eccleſiarum Pentapoleos è re ſuâ eſſe eorum contumaciam coërcere.

Quamobrem primùm miſit Legatos, qui nihil obtinuerunt: Deindè ſcripſit litteras. Sed quoniam eorum mentes Sabellianæ Hæreſis lue laborabant, Dionyſij benè dicta malè interpretati atroci calumniâ criminati ſunt erroris, & affirmare non ſunt veriti, eum non ſolùm non credere Filium conſubſtantialem Patri, verùm etiam in his litteris aſſerere Filium eſſe opus Patris.

Quidam S. Dionyſij mentem non aſſequuti ejus nomen de hoc crimine Romam detulerunt. Et ibi congregato Concilio, opinio adeò malè fuit excepta ut S. Dionyſius de illa ſe purgare, ac ſe defendere coactus fuerit.

Binius Baronio in omnibus addictiſſimus, dicit hoc negotium diu Romæ in examine verſatum, & tandem aliquando Dionyſium Alexandrinum patefactâ innocentiâ coram Pontifice crimine liberatum, abſolutum & ab omni culpâ exemptum fuiſſe.

Ex hujus Hiſtoriæ narratione probare putat Baronius jam anno 263. quinquaginta ſcilicèt annis ante Concilium Sardicenſe, integrum jus fuiſſe penes Romanum Pontificem; definiendi cauſas Principum Epiſcoporum orbis, etiam primæ cognitionis judicio. Quippè cùm his temporibus poſt Romanam, Sedes Alexandrina quâvis aliâ fuerit illuſtrior. Verùm enim verò hanc aſſumit concluſionem ex hoc negotio S. Dionyſij Tomo primo Annalium anno Chriſti 263. numero 50. Sed quoniam hanc Hiſtoriam ex ſolitaria Sancti Athanaſij relatione perſpicimus: hujúſce litis diſceptatio atque elucidatio, in Sancti Doctoris explicatione ac verborum ejus intelligentiâ conſiſtere videtur.

S. Athanaſius de ſenten. Dionyſij Alexandrini.

Cùm igitur Dionyſius certior factus de Pentapolitanis zelo religionis hanc Epiſtolam (quemadmodum dixi contra Hæreſim Sabellij ad Ammonium & Euphranorem ſcripſiſſet: Quidam ex Eccleſiâ rectè quidem ſentientes, ſed tamen ignari ejus cauſæ cur ita ab eo ſcriptum eſſet, Romam aſcenderunt, ibique cum apud Dionyſium ejuſdem nominis Romanum Præſulem accuſarunt. Et alibi S. Athanaſius ait. *Ibi cùm quidam Alexandrinum Epiſcopum apud Romanum accuſarent quaſi qui Filium opus, & non conſubſtantialem Patri diceret, & Synodus Romæ coacta indignè tulit, & Romanus ad cognominem ſibi Epiſcopum omnium ſententiam ſcripſit: Et jam inde ſe ad defenſionem parans libello ſuo titulum refutationis & Apologiæ indidit & in hæc verba ad Romanum ſcripſit.*

Ad hæc intimâ cogitatione attendere opus eſt.

1. Nihil magis à vero alienum eſt quàm quod Binius profert. Scilicèt hoc negotium poſtquam diu examini ſub-

Digitized by Google

jectum fuit, Sanctum Dionyſium omni culpâ liberatum decreto abſolutionis à Papa Dionyſio dimiſſum fuiſſe; de hoc enim nulla mentio eſt apud Sanctum Athanaſium, aut quoſlibet alios Scriptores Eccleſiaſticos. Prætereà non videtur Concilium Romanum ullum pronunciaſſe judicium adversùs Epiſcopum Alexandrinum; ſed tantummodò indignè tuliſſe, *& Synodus Roma coacta indignè tulit*, nulla ſpeciali teſtificatione ſignificans hanc indignationem ad prava S. Dionyſij opinamenta Arianorum factioni propitia reſpexiſſe, vel ad ejus accuſatores quos omnes hujus Synodi Patres fortaſſè calumniatores æſtimabãt.

II. Si hoc Concilium ſuper hoc negotio aliquod judicium tuliſſet, & ejuſmodi jus ſibi competere cogitaſſet, incredibiliter Papa ſententiam Epiſcoporum qui ad hanc Synodum coïverant, Dionyſio Alexandrino nunciaſſet, *& Romanus ad cognominem omnium ſententiam ſcripſit.* Immò verò reum citaſſet Dionyſium Alexandrinum, & teſtes eidem produxiſſet. Ex hoc ergo negotio ne veſtigium quidem juridicialis abſolutionis aut condemnationis eruitur, nullâque ſpecies judicij canonici perſpicitur.

S. Athanaſ. de Synodis Arim. & Seleuc. ὁ δὲ τῆς Ῥώμης ἐπίσκοπος τὴν πάντων γνώμην γράφει.

III. Si Sanctum Dionyſium hæc Synodus omni culpâ vacuum abſolutionis ſententiâ declaraſſet, ut putat Binius cur S. Athanaſius eundem ejuſmodi ſententiâ abſolutum Arianis non expoſuiſſet jactantibus ſibi propitium ac magnum ſuæ opinionis præſidium? Cur tantùm excuſationem dediſſet reſponſionum ad criminationes omiſſo judicio in cauſa tanti ponderis emiſſo? Cur hoc judicio profligatam Hæreſim ab Eccleſiâ non arguiſſet? Et cùm præſertim, omni labe criminis immunem ad poſteros memoriam, Dionyſij Alexandrini traducere vellet, poterátne innocentiæ illius atque integritatis certius argumentum aut illuſtrius monumentum edere, hâc ſententiâ abſolutionis ſi unquam in rerum natura extitiſſet?

IV. Incurrit adhuc in mentem ficti hujúſce judicij Ro-

Digitized by Google

mani graviſſimum argumentum. Fuiſſet enim ſententiæ abſolutionis aut condemnationis; non poteſt dici abſolutionis, propter rationes mox allatas, cùm præſertim hæc ſententia pronunciata fuiſſet omiſſâ defenſione S. Dionyſij qui ſuam, ut obſervat Athanaſius Apologiam ſcripſerat poſt ſententiam Epiſcoporum Synodi Romanæ ſibi ſignificatam, quod valdè abſurdum eſſet. Incogitabile enim eſt Concilium auditis tantùm criminationibus judicium abſolutionis adversùs reum indictâ cauſâ pronunciaſſe. Sed & magis abſurdum eſſet dicere ſententiam condemnationis; quippè cùm nihil magis iniquum ſit quàm omiſſis reſponſionibus condemnare accuſatum.

Prætereà ſi condemnatus fuiſſet, incredibile maximè videretur de hoc judicio nihil dixiſſe Arianos aut Athanaſium hujúſce judicij iniquitatem, Magni Epiſcopi Alexandrini tot artibus patefactâ integritate atque innocentiâ, non demonſtraſſe.

V. Igitur ex his colligere debemus, nullum Romæ pronunciatum fuiſſe judicium ſuper criminationibus Dionyſij Alexandrini. Immò verò non videtur Synodus hac de cauſâ ſpeciatim coacta: ſed aliâ nobis incognitâ Romæ habita, cùm accuſatores ad urbem appulerunt. Dicit tantùm S. Athanaſius Synodum Romæ coactam indignè tuliſſe. *Et Synodus Romæ coacta indignè tulit.* Nec ullâ ratione coactæ Synodi cauſam ſignificat. Adhuc pauciora Athanaſio dicit Euſebius. Quippè Synodi Romæ habitæ mentionem nullam facit, neque criminationis ullius; obſervat tantùm Dionyſium Alexandrinum ſcripſiſſe quatuor libros contra Hæreſim Sabellij, quos gentili ſuo Dionyſio Romanorum Epiſcopo nuncupavit.

Euſeb. l. 7. hiſtor. cap. 26. pag. 277. Edit. Valeſij.

VI. Quamvis ad purgandam Dionyſij Alexandrini famam vehementi cura incubuerit S. Athanaſius; attamen non deſunt magni nominis Scriptores Eccleſiaſtici qui eam acriori ſtylo defricant. Enimverò [a] Gennadius, [b] S. Hieronymus

[a] Apud Aug. de

ronymus, [c] & S. Baſilius eum ad partes Arianorum deſeciſſe ſuſpicantur ante ortum Arium; cum injecto metu nimio Hæreſis Sabellianæ perhorreſceret. Verumtamen in mentem Autorum illorum nunquam venit judicium abſolutionis vel condemnationis; aut Synodus ejus cauſa Romæ coacta. Ergo nullum extitit judicium quo ſuam cauſam Dionyſius obtinuerit vel perdiderit, nec criminatio adversùs eum Romæ habita fuit, præter rumorem qui in urbe ſicut alibi increbuerat ceu manarat, ex paullò ſtomachoſiore ſermone, quo vſus fuerat in Epiſtolâ ad Epiſcopos Pentapoleos. Enimverò, ut inquit [d] Athanaſius, *Immò potiùs ſcripta illius demonſtrant calumnias eſſe quibus vulgò impetitus eſt.*

Eccleſiaſt. dogmatibus. [b] Adverſus Rufin. l. 2. [c] Epiſtol. 41. [d] De ſent. Dionyſij Alexan. Pag. 435.

CAPUT III.

Explicatur Hiſtoria Pauli Samoſateni Epiſcopatu Antiocheno abdicati. Agitantur Concilia in cauſâ ejus habita annis 266. & 272.

SIMPLEX narratio eorum quæ in his Concilijs contigerunt, facilè convincet his temporibus neceſſe non fuiſſe ire Romam ad obtinenda ſive primæ, ſive ſupremæ cognitionis judicia in cauſis Epiſcoporum. Ex Euſebio hujus Hiſtoriæ ſcriptore ſolitario intelligimus, tempore Dionyſij Alexandrini quo ejuſdem nominis alter Dionyſius ſucceſſerat Romæ in locum Xiſti, qui hujus Eccleſiæ res undecim annis geſſerat, Paulum Samoſatenum in Antiochenâ Sede collocatum fuiſſe poſt mortem Demetriani, habitúmque Antiochiæ Concilium ad reprimendos errores hujúſce

Lib. 7. hiſt. cap. 27.

BIBLIOTECA NAZ. CENTRALE VITTORIO EMANUELE ROMA

Pauli de Chriſto indignè ſentientis, vulgarem hominem æſtimantis: Atque hujúſce Concilij frequentibus Conciliis interfuiſſe omnes Epiſcopos præter Dionyſium Alexandrinum qui provectioris ætatis excuſationem dederat. Obſervat Euſebius cum pluribus Preſbyteris, & Diaconis ſexcentos coïviſſe Epiſcopos ex quibus octo nominat ſpeciali ac ſingulari merito illuſtres. Ait prætereà diverſis diebus celebratum hoc Concilium, Paulúmque Samoſatenum omni conatu virus hæreſeos occuluiſſe, Præſules verò Catholicos vehementer elaboraſſe ut illud deprehenderent: Quo tempore vitâ deceſſerat Dionyſius Alexandrinus Epiſcopalis Magiſtratus anno decimo ſeptimo ſuffectóque in locum ejus Maximo. Plura de hoc primo Concilio Antiocheno non ſcripſit Euſebius. Ex quo planiſſimè perſpicimus Epiſcopum criminis poſtulatum reddere rationem villicationis ſuæ coram Concilio provinciali: & fuiſſe examini obnoxium ac cenſuræ, ceu judicio ſubjectum, ubi criminis teſtes occurrere poterant. Habemus apud Baronium & Binium litteras ab hoc Concilio ad Paulum Samoſatenum Epiſcopum ſcriptas, quas in linguam Latinam vertit Jeſuita Thurrianus, quæ de Chriſti Divinitate, quam inſolenter pernegabat hic Epiſcopus Antiochenus, Fidei Catholicæ profeſſionem continent, quarum in fine hæc leguntur. *Scire volumus an eadem nobiſcum ſentias & doceas, & nobiſcum ſignifices an iis quæ ſuperiùs ſcripſimus, aſſentiaris, an non?* Intelligimus etiam ex Epiſtolâ ad omnes orbis Epiſcopos à Concilio ſecundo Antiocheno miſſâ, eâdem de cauſâ congregato, iſtum Paulum ſimulatâ Fide Eccleſiæ, atque obedientiâ Judices deluſiſſe, & condemnationi ſe proripuiſſe.

Prætereà nihil didicimus de hoc primo Concilio, in quo nullum Pontificiæ autoritatis apparet veſtigium: de qua nequidem in cogitationem veniſſe, teſtes, reum, aut Judices perſpicimus.

Sed

Sed de hac veritate nullum dubitandi locum relinquunt ea quæ geſta ſunt in ſecundo Concilio Antiocheno.

Enimverò quum Pauli Samoſateni longior eſſe diſſimulatio non poſſet, iterùm concurrere Epiſcopos neceſſe fuit & Concilium habere Antiochiæ anno 272. refert Euſebius huic Concilio innumerabiles numero adfuiſſe Epiſcopos,&Preſbyterum quendam(cui nomen erat Malchion ad cujus pietatem & doctrinam mirabilis accedebat eloquentia) ſuſcepiſſe multis criminibus atque Hæreſi convincere Paulum, & reverâ conviciſſe, qui deinceps Eccleſiâ pulſus ac Sede Epiſcopali diſturbatus eſt, & in locum ejus Domnus Demetriani filius anteceſſoris iſtius Pauli ſuffectus eſt. Quibus peractis Concilium ſcripſit Epiſtolam ad omnes orbis Epiſcopos ne cum Paulo communicarent,ſed cum Domno qui ſedem illius occupaverat. Hæc Epiſtola continet omnia capita malorum quibus convictus fuerat,quæ ferè ſunt viginti, prætermiſſâ Hæreſi quâ Jeſu Chriſti Divinitatem pernegabat, cujus mentionem non facit Euſebius,quoniam mens ejus ab hac Hæreſi fortaſſè alienior non erat: Tametſi fateri oporteat nunquam Euſebium Chriſti Divinitatem negaſſe ad modum ceù ſenſum Pauli Samoſateni qui Chriſtum purum hominem aſſerebat ſicut hodiè Sociniani; cùm è contra Ariani Jeſu-Chriſti divinam naturam non negarent, ſed in ea Patris & Filij æqualitatem. Præcipua accuſationis capita quibus convincebatur Paulus, hæc erant. Quòd cùm anteà pauper & mendicus eſſet,nec ullas omninò opes aut à parentibus relictas acceпiſſet,aut artis ullius exercitio ſibi comparaſſet, ad incredibilem opulentiam pervenerit, per ſcelera & ſacrilegia fratrúmque concuſſiones. Quòd faſtu & arrogantiâ ſupra modum elatus ſæculares gereret dignitates & Ducenarius vocari quàm Epiſcopus mallet; per forum magnificè incedens ſtipatúſque maximâ hominum multitudine partim præeuntium, partim ſubſequentium: adeò ut, ex illius faſtu

ſtu & arrogantiâ, incredibilis invidia odiúmque multorum adversùs Fidem noſtram conflatum ſit. Quòd tribunal & ſublimem thronum non ut Chriſti diſcipulus ſibi ipſe conſtruxerat; & continuò mulierum indecorè auſcultantium familiaritate uteretur. Quòd denique omnia ad pompam & ſæculi gloriam geſſerit, quæ amplius referre ſatietatem pareret. At verò in hac Epiſtola multa ſunt attentâ cogitatione reputanda.

I. Inſcripta eſt Dionyſio Epiſcopo Romano, Maximo Alexandrino & omnibus orbis Epiſcopis, *Dionyſio, Maximo, & omnibus per univerſum orbem comminiſtris noſtris Epiſcopis*. Undè dubitandi quidam locus relinquitur, an Papa Dionyſius aliâ quàm ætatis ſenioris prærogativâ cæteris Epiſcopis antecelleret.

II. Inſcripta eſt reverà hæc Epiſtola Papæ, non eâ ratione vt confirmet autoritate ſuâ quæ in Concilio Antiocheno geſta ſunt, ſed pariter Maximo Alexandrino, & aliis vt litteras communionis ad Domnum mittant & ab eo viciſſim recipiant. *Quod quidem idcircò vobis ſignificamus ut & ad eum ſcribatis, & ab eo communicatorias litteras accipiatis*. Porrò non ita ſe res habuiſſet ſi jus recenſendi litem judicatam ad diſceptationem iterandam penes Pontificem fuiſſet. Et ex his non difficiliter perſpicimus Epiſcopum judicio Concilij ſuâ dignitate ſpoliatum, nullum inveniſſe tribunal ad quod confugere poſſet.

III. Verùm enim verò poſt iſtud judicium non legimus Paulum Samoſatenum de appellatione ad Papam Dionyſium, mentem habuiſſe: aut quodvis aliud tribunal in animum ejus incurriſſe. Sed è contrà ſe Epiſcopatu jure abdicatum habuit, cauſámque ſuam finitam cenſuit. Quadam ſolummodò vitiligatione viſus eſt domo quam Antiochiæ colebat, nolle demigrare, eámque Domno relinquere dum ad Eccleſiam capeſſendam Antiochiam pervenit. Quapropter ad Imperatorem Aurelianum confugit qui

qui ejus eſſe domum judicio declaravit, cui litteræ Epiſcoporum Italiæ & Romæ redderentur. *Iis domum tradi præcipiens quibus Italici Chriſtianæ religionis Antiſtites & Romanus Epiſcopus ſcriberent.*

IV. Attamen Cardinalis Baronius hujus abdicationis participem fuiſſe contendit Papam,& probare nititur his verbis S.Athanaſij libri de Synodis Ariminenſi & Seleuciæ. *Duo enim Dionyſij ante hos ſeptuaginta fuere: qui Samoſatenum ſuſtulere, quorum alter Romæ, alter Alexandriæ præſul erat.* Sed hoc argumentum quàm ſit inſulſum probare non eſt difficile. Nam verbum *ſuſtulere* ad hæc *duo* Tom. 1.
Dionyſij referri non debet: ſed ad *ſeptuaginta Epiſcopos* annalium
qui Paulum Samoſatenum condemnaverant de quorum ad annum
coïtione loquitur eo loci S. Athanaſius. Et ut dubitandi lo- Chriſti
cus nullus relinquatur hic tantùm exſcribere juvat quæ 265.Num.
græcè ſcripſit S. Athanaſius διονύσοι γὰρ δύο γεγόνασιν ἔμ- 10. pag.
προσθεν πολὺ τῶν ἑβδομήκοντα τῶν καθελόντων τὸν σαμοσατέα τού- 762.
των ὁ μὲν τῆς ῥώμης, ὁ δὲ τῆς ἀλεξανδρείας ἦν ἐπίσκοπος.

Sed cui dubium ſubolere poteſt quin verbum *ſuſtulere* Athanaſ.
ad hæc, *duo Dionyſij* referri non debeat? cùm certum ſit, l.de Synodis, pag.
tempore abdicationis Pauli Samoſateni alterum ex his 707.
Dionyſiis jam vita deceſſiſſe, ſcilicet Alexandrinum, qui ut refert Euſebius per tempus Concilij Antiocheni primi obiit, habiti, ut putat Binius anno 266. Ex eodem Euſebio perſpectum eſt, Paulum Samoſatenum ſede Epiſcopali pulſum non fuiſſe ante ſecundum Concilium Antiochenum, ſex annos poſt mortem Dionyſij Alexandrini quippè coactum, ut Baronius & Binius æſtimant, anno 272. At verò licèt hæc omnia à veritate aliena ſint & Baronij conjectura ad veritatem vehementiùs accedere videatur ſuſtentandam, nihil ad Romani Epiſcopi autoritatem amplificandam colligere poteſt quo non Alexandrino Præſuli æquabili ratione gratificetur. Enimverò cum certiſſimum ſit in ſolitario Concilio Antiocheno ſecundo, Paulum Samoſatenum Epiſcopali dignitate ſpoliatum fuiſſe; inco-

D gitabile

gitabile eſt S. Athanaſium eo loci mentionem facere abdicationis hujuſce Pauli. Sed reverà de errorum ejus confutatione ad quam frequentes Epiſcopi cum curâ incubuerant, loquitur.

CAPUT IV.

Abdicatio Meleciј Epiſcopi Lycopoleos in Thebaïde circa annum 303.

NON conveniunt omnes Scriptores antiqui de crimine, ſive cauſâ abdicationis Melecij. Si S. Epiphanio fidem habemus qui centum annos poſt Melecium vixit gravioris rei culpa in eo non reſidebat. Quippè ferventioris zeli tantummodò arguit. Enimverò cùm Melecius in vinculis haberetur cum Petro Alexandrino tempore perſecutionis Diocletiani & Maximiani in eâ ſententiâ fuit ut pacis ac reconciliationis locus non indulgeretur iis qui nefariam idolorum ſuperſtitionem admiſerant, vi ac neceſſitate ſacrificaverant, & poſt lapſum & ſacrificia ad Confeſſores & Martyres accedebant ut miſericordiâ pœnitentiam obtinerent. Idemque Melecius, Peleus, aliique complures quos divini honoris ſtudio inflammatos fuiſſe non dubium eſt, autores erant ut ſecundùm perſecutionem poſt juſtum aliquod temporis ſpatium pace conſtituta pœnitentiæ illis locus daretur, ſiquidem verè illam & in animo ſuſciperent atque ejus fructus exhiberent: Nec ita tamen ut clericus unuſquiſque priſtinum in ordinem reſtitueretur, ſed ut poſt aliquod tempus ad Eccleſiam ac Communionem admiſſus in reliquâ populi multitudine non inter Clericos cenſeretur, eratque hæc, ut obſervat Epiphanius, à veritatis amore profecta & divini ardoris pleniſſima ratio.

Epiphanius Hæreſi LXVIII.

At

At verò cùm S. Petrus Meletio repugnaret & animadverteret conſilium ſuum humanitatis pleniſſimum Meletij familiaribus & amicis neutiquam placuiſſe, medio in carcere Pallium, quod Lodicium dicitur, veli inſtar appandens proclamari à Diacono juſſit: Qui mecum ſentiunt huc ad me veniant, qui Meletij opinioni favent ad Meletium. Quod cùm ita fctum eſſet, diviſo in partes populo Epiſcoporum, Monachorum & Preſbyterorum ac reliquorum ordinum major numerus ſeſe ad Meletium adjunxit, pauci quidam Epiſcoporum & aliorum Petrum Archiepiſcopum ſecuti ſunt. Quo ex tempore, preces ac ſacrificia cæteraſque omnes Ceremonias ſeparati à ſe invicem obierunt, ſicque ex eorum quæ utrinque piè ac religioſè proferebantur occaſione & ſpecie, ſchiſma conflatum eſt Meletianorum & Catholicorum.

Præterea obſervat S. Epiphanius mortuo S. Petro, cùm Alexander poſt Achillam illi ſucceſſiſſet, Meletium cum Alexandro familiariter ac neceſſitudine multa conjunctum fuiſſe, primumque illi renunciaſſe errores quibus in Eccleſia Baucalae cui paſtor præerat Arrius, plebis Chriſtianæ mentem explebat.

Hæc nos docet S. Epiphanius de Meletio, cæteris ejus celatis criminibus atque abdicatione Epiſcopali Magiſtratu.

Socrates qui vixit anno 440. circiter triginta ſeptem annis poſt Epiphanium aliuſmodi hanc hiſtoriam narrat. Ait Meletianos adjunxiſſe ſe ad Arianos, ſicque ejus ſectæ explicat originem. Meletius quidam Epiſcopus Ægypti, à Petro Alexandriæ Epiſcopo qui ſub Diocletiano Martyrium conſummavit, tum ob alias cauſas depoſitus eſt, tum præſertim eo quod perſecutionis tempore, fidem inficiatus ſacrificaſſet. Qui cum Sacerdotio pulſus eſſet, multoſque haberet ſectatores, Ducem atque Autorem ſe præbuit Hæreſis eorum, qui ab ejus nomine Meletiani

Digitized by Google

in Ægypto etiamnùm appellantur. Porrò cum nullam haberet idoneam cauſam cur ſe ab Eccleſiâ ſegregaſſet, ſiquidem affectum injuriâ eſſe dicebat, Petrum verò maledictis & conviciis inceſſebat. At Petrus quidem perſecutionis tempore, martyrio eſt coronatus. Meletius verò calumnias ſuas tranſtulit primùm in Achillam qui Petro in Epiſcopatu ſucceſſerat: deinde in Alexandrum Achillæ ſucceſſorem. S. Athanaſius Alexandri ſucceſſor circa annum 326. qui hujus Eccleſiæ res geſſit 45. annis, cùm ante

Apolog. 2. 371. mortuus non ſit, ferè in omnibus cum Socrate congruit. Utcumque res ſint, nemini dubium ſubolere poteſt quin Meletius Epiſcopus Lycopoleos in Ægypto depoſitus ſit; quo tempore ſedem Alexandrinam occupabat S. Petrus. At ſuper hoc multa conſiderare oportet.

I. Quandoquidem his & continuis temporibus in uſu & Eccleſiæ conſuetudine poſitum ſit ut in Concilium Provinciæ Preſbyteri & Diaconi cogantur ad deponendum Preſbyterum non minùs prudenter ac conſideratè ad judicium Epiſcopi procedendum fuiſſe videbatur. Quamobrem dum S. Athanaſius, Theodoretus & Socrates dicant Meletium fuiſſe à Petro Alexandrino depoſitum, intelligere non debemus ab eo ſolitario rem tanti ponderis judicatam, ſed in Provinciali Concilio Epiſcoporum juxtà juris & æquitatis normam.

II. Enimverò de hoc Concilio dubium non relinquitur: Quamvis ejus mentionem non faciat Socrates, cùm ex S. Athanaſio pleniſſimè intelligamus, occaſione datâ litterarum quas ab Urſacio & Valente acceperat dum reſtitutionem in gratiam ejus affectare viſi ſunt. *Petrus apud vos ante perſecutionem Epiſcopus & in perſecutione martyr declaratus Meletium Epiſcopum Ægypti multis convictum criminibus & in primis quod Idolis ſacrificaſſet in communi Epiſcoporum Synodo depoſuit.*

S. Athan. apolog. 2. pag. 603.

III. Nullus ſcriptor Eccleſiaſticus ait poſt hanc ſententiam

riam latam Meletium ad Papam confugiſſe, aut ad aliam Synodum. Aſſerit Athanaſius maluiſſe ab Eccleſiæ Societate diſcedere & ſchiſma facere. *Meletius autem non ad aliam Synodum confugit neque eorum ſucceſſoribus ſe ſtuduit purgare, ſed ſchiſma fecit.* Ex his perſpicimus S. Athanaſium alterius Synodi Epiſcopos, & Epiſcopi ſucceſſores qui jam litem judicaverat non dubitaſſe Judices eſſe legitimos ad iterandam diſceptationem cauſæ jam judicatæ. Sed de Pontifice Romano nihil dicit Athanaſius, nec in mentem ejus incurrit: Ex quibus planiſſimè conſtat, nullum ſpeciale jus extitiſſe penes Romanum Pontificem finiendi ſive primæ ſive ſupremæ cognitionis judicio cauſas Epiſcoporum.

Athanaſ. Ap. 2. p. 603.

CAPUT V.

De cauſâ Ceciliani Epiſcopatu Carthaginenſi ejecti anno Chriſti 306. Explicatur Sanctus Auguſtinus.

PRÆTER exempla à Sancto Cypriano allata; ex quibus non difficiliter animadvertimus Davidium aſſumpſiſſe concluſiones à Sancti Patris mente & inſtitutis alieniſſimas, opportunum ſibi perſuadet invenire anteceptæ animo opinionis præſidium, in cauſâ Ceciliani, quæ acta eſt quadraginta annis poſt mortem Cypriani. Porrò hanc litem ſic enarrat: Cecilianus electus Carthaginenſis Epiſcopus poſt mortem anteceſſoris Menſurij accuſatus fuit acceptæ ordinationis ab Epiſcopis qui tempore perſecutionis Diocletiani vaſa Eccleſiæ & ſacros Codices idolorum cultoribus reliquerant ſive tradiderant. Hinc magnus exſurgens rumor totam Eccleſiam Africanam miſcuit, &

Epiſt. 55. 67. 68.

quidam, cui nomen erat Majorino inter Diaconos Ceciliani educatus, benevolentia Lucillæ matronæ Carthaginenſis fultus, in locum Ceciliani ſuffectus eſt. Hinc prima labes horribilis ſchiſmatis Donatiſtarum, qui duce Donato à quo nomen traxere, ad tuendam & ſuſtentandam Majorini ordinationem adversùs Cecilianum conjurationem habuerunt. Conteſtatâ lite in Concilio Numidiæ coram ſeptuaginta Epiſcopis causâ cecidit Cecilianus. Deinde appellavit ad Melchiadem Papam tunc Sedem Romanam occupantem, qui eum à culpâ exemit atque ordinationem „ confirmavit. Quamobrem, inquit Davidius. Cum Cecilianus ſe roboratum ſentiret litteris communionis Catholicæ cum Eccleſiâ Romanâ, tantâ autoritate fultus judicium in cauſâ ſuâ injuſtè pronunciatum à ſeptuaginta „ Epiſcopis flocci fecit, ut inquit Auguſtinus, & uſus benevolentiâ Imperatoris Conſtantini adverſarios Romam „ proficiſci coëgit audituros ex ore Pontificis, ſupremi „ Epiſcoporum Judicis, de ſuâ Innocentiâ ampliſſimum „ atque ornatiſſimum decretum. His adhuc verbis exclamat Davidius: Rogo jam omnes homines diſcrepantiam „ inter hoc judicium & veram appellationem, quid illi „ præter nomen appellationis deeſt? Enimverò cùm hic „ Epiſcopus opponeret judicio quo à Synodo provinciali „ confixus fuerat communionem cum Eccleſiâ Romanâ „ nunquid non condemnationem veluti verâ appellatione „ cohibuit? Nunquid non ipſimet perſpexerunt Donatiſtæ ſibi poſt ſententiam Concilij Carthaginenſis opus „ eſſe ſuperiore Judice? Factuſque eſt Sedis Apoſtolicæ „ Pontifex hujúſce cauſæ ultimæ cognitionis Judex ſupremus & oppreſſi Epiſcopi perfugium? Rem adeò narrat Davidius, ut nemò homo dubitare poſſit ipſum fuiſſe teſtem oculatum & auritum omni exceptione majorem concurſationis Cecilianæ & Menſurianæ. Et reverà ſi ita, ſe res habent, uti eas narrare placuit, fateri neceſſe eſt

David. p. 11.

jure

jure merito Davidium probare ſummum Pontificem Ecleſiæ, eſſe Epiſcoporum omni appellatione remotâ ſupremum Judicem. At verò ſi aliuſmodi res ſunt, & ſi crimine falſi ac mendacij eum convincere non ſit difficile manifeſtæ ignorantiæ aut malitiæ culpa non vacabit. Igitur ſtudio non ardentiore, ſed moderato hoc negotium diſceptare nobis expedit.

Primâ fronte falſum eſt Cecilianum ad Melchiadem Papam unquam appellaſſe aut ullomodo poſſe actionem litis de ordinatione ejus, appellationis nomine ſignificari.

Quicquid actum eſt Romæ, referri debet rogationibus Donatiſtarum quibus non abnuit Imperator Conſtantinus. Sed immò eorum inſtigatione victus ac ſollicitatione, Judices deputavit, ex quibus fuit Melchiades Epiſcopus Romæ, ad iterandam diſquiſitionem litis jam judicatæ in Concilio Numidiæ. Hanc autoritatem ſibi proprio marte non arrogat Pontifex, nec jus penes ſe ſolum exiſtere putat, iterato judicio finiendi cauſam jam in Concilio Africæ primate Numidiæ Præſide judicatam. ***An fortè non debuit Romanæ Eccleſiæ Melchiades Epiſcopus cum Collegis tranſmarinis Epiſcopis illud ſibi uſurpare judicium quod ab Africis ſeptuaginta ubi primas Tiſigitanus præſedit fuerat terminatum.*** Quid ad hæc reſpondit S. Auguſtinus? Dicit-ne Papam eſſe ſupremum Epiſcoporum Judicem, & quemlibet in Synodo judicatum habere jus provocationis ad tribunal Pontificium? Dicit-ne Cecilianum Epiſcopum jure potuiſſe poſtulare à Sede Apoſtolicâ iteratam ſuæ litis diſquiſitionem? De his ne verbum quidem profert: ait tantùm Imperatorem precibus Donatiſtarum annuentem miſiſſe Epiſcopos de hac cauſâ cum Papa judicaturos quod nec ipſe uſurpaverat. *Quid quod nec ipſe Miltiades uſurpavit? Rogatus quippè Imperator, Judices miſit Epiſcopos qui cum eo ſederent & de totâ illâ cauſâ quod juſtum videretur ſtatuerent, hoc probamus Donatiſtarum precibus*

S. Aug. Epiſt. 162.

S. Auguſt. Ep. 162.

cibus & verbis Imperatoris.

Si vera fuit in hâc cauſâ ad Sedem Apoſtolicam provocatio, aut fuit nomine Ceciliani aut Donatiſtarum? Non poteſt cenſeri nomine Donatiſtarum, quoniam litem obtinuerunt in Concilio Numidiæ. Non poteſt etiam dici nomine Ceciliani. Cur enim hanc ſilentio prætermiſiſſet S. Auguſtinus qui verbis adeò claris & conceptis exprimit Donatiſtarum appellationem ad Imperatorem Conſtantinum poſt judicium Concilij Arelatenſis. *Illos verò Eccleſiaſtico judicio* (ſcilicet Arelatenſi) *provocaſſe ut cauſam Conſtantinus audiret.* Præterea quâ ratione provocaſſet Cecilianus ad ſuſpectos Judices quos Imperator adverſariorum ejus victus precibus deputaverat.

Ep. 162. *Iudicante Milthiade tunc Romanæ urbis Epiſcopo cum Collegis ſuis quos ad preces Donatiſtarum miſerat Imperator.*

Ep. 162. Mirabile eſt Cecilianum cùm Imperator ejuſmodi homines judices tulit non ejuraſſe. At verò ſciebat conſcientiam rectæ voluntatis maximam conſolationem eſſe rerum incommodarum ac præter culpam ac peccatum quo carebat accidere homini nihil poſſe quod ſit horribile ac pertimeſcendum. Sic amœnitate conſcientiæ calumniarum ac perſecutionum exacerbationes temperabat de ſuæ innocentiæ ſecuritate non dubitans, dummodò cauſam ſuam coram Epiſcopis Catholicis agere poſſet. Verùm enimverò poſt judicium Papæ Melchiadis, Concilium Arelatenſe non ejuravit. Et poſt tot judicia Eccleſiaſtica, Romæ & Arelatæ promulgata quibus cauſâ ceciderant adverſarij, iterum ſe ſiſtere coram Imperatore non formidavit. Sed quoniam actionem legis Romæ latæ, in gratiam Ceciliani cohibuerunt Donatiſtæ poſtquàm novos Arelatæ Judices conſecuti ſunt, conſectaneum eſſetne legitimum, interpoſitam fuiſſe provocationem à Sede Romanâ ad Synodum Arelatenſem? Hoc ratiocinium eſt inſulſum ſolique Davidio competit, qui ex cohibitâ decreti in Concilio Africano lati actione interveniſſe veram appella

ſum ſolique Davidio competit, qui ex cohibitâ decreti in Concilio Africano lati actione interveniſſe veram appellationem ad Romanam Sedem concludit. Denique ut ſit locus juri quod Apoſtolicæ Sedi vindicare nititur Davidius, oportet Cecilianum uti voluiſſe legitimis Judicibus Epiſcopis Concilij Numidiæ à quibus æquam provocationem ad Judicem ſuperiorem fore ſperaſſet. Hoc enim pſeudo-Concilium mera coïtio fuit Schiſmaticorum autoritate ac benevolentiâ accenſa potentis mulieris, quâ utebatur Majorinus. Nequidem videtur in jus vocatus Cecilianus, & certè ad judicium nunquam adfuit, indictâ cauſâ condemnatus, & crimine traditionis poſtulatus, quod ipſimet pſeudo-Judices admiſerant.

Verùm iſtius Concilij Patres nunquam ſibi perſuaſerunt ejuſmodi coïtionem aliud eſſe quàm conjuratorum hominum conventum, & adverſariorum Ceciliani. Cùm ipſimet ab Imperatore Conſtantino efflagitaverint uti Judices deſignaret, qui omnem controverſiam de ordinatione hujus Epiſcopi quæ Eccleſiam Africanam miſcuerat, terminarent.

Cúmque ſollicitationibus Epiſcoporum hujus pſeudo-Concilij victus Imperator deputaverit Papam Melchiadem & alios Epiſcopos, deinde verò Concilij Arelatenſis Præſules ad iterandam hujúſce litis cognitionem. Hæc omnia conceptis verbis adeò clarè nos docet S. Auguſtinus ut prorsùs incogitabile videatur Davidium animo efformare potuiſſe iſtiuſmodi Ceciliani appellationem ad Sedem Apoſtolicam. Ep. 162.

Deindè diximus aliquantò poſt Majorini ordinationem quem contra Cecilianum nefariò ſcelere levaverunt erigentes altare contra altare (hoc eſt crimen Concilij Numidiæ) & unitatem Chriſti diſcordiis furialibus diſſipantes eos petiiſſe à Conſtantino tunc Imperatore Iudices Epiſcopos qui de ſuis quæſtionibus quæ in Africâ exortæ Pacis vinculum dirimebãt arbi-

trio medio judicarent ; quod poſteà factum eſt præſente Ceciliano & illis qui adversùs eum navigaverant judicante Melchiade tunc Romanæ urbis Epiſcopo cum Collegis ſuis quos ad preces Donatiſtarum miſerat Imperator. Sed quoniam Davidius hanc Epiſtolam nunquam legit, quam fortè citat ex ſibi ſuppeditatis præſcriptionibus truncis ac mutilatis, nemini homini mirum videri debet ſi ex eâ prorsùs alienâ ab Auguſtini mente intelligat & inflatis „loquitur buccis. Quâ ratione S. Auguſtinus putaſſet „eximere ab omni culpâ Cecilianum, & à calumniis Do„natiſtarum hoſtium ejus implacabilium vindicare, di„cens bonæ Famæ ac Sanctitati hujus Epiſcopi officere „non potuiſſe judicium Synodi provincialis, quoniam „cùm ex ordine Presbyterorum non eſſet aut Diacono„rum ; ſed Epiſcoporum, innocentiæ ſuæ judicium ad „Eccleſias Apoſtolicas poterat referre, inter quas coram „Primariâ ſcilicet Romanâ in quâ ſemper Apoſtolicus flo„ruit principatus, ut inquit Auguſtinus, magno cum „ſplendore litem obtinuerat.

David. pag. 12.

Non enititur hâc arte S. Auguſtinus vindicare innocentiam Ceciliani aut Donatiſtarum calumnias frangere. Nunquam loquutus eſt de exiguâ aut tenui poteſtate Synodi provincialis; ſed dixit Cecilianum ſemper Concilium Numidiæ pſeudo-Synodum æſtimaſſe, nunquam coràm eo ſiſtere ſe voluiſſe, & ab eo indictâ cauſâ condemnatum fuiſſe. Dixit hujus pſeudo-Synodi Epiſcopos ab Imperatore impetraſſe Judices novos ad terminandas ſupremâ cognitionis ſententiâ contentiones quæ Eccleſiam Africanam miſcebant.

Reverà S. Auguſtinus ait, Cecilianum, cùm nec Diaconus eſſet nec inferioris ordinis clericus, cauſæ ſuæ diſceptationem judicio collegarum & Eccleſiarum Apoſtolicarum potuiſſe reſervare. Sed hoc nihil ſpeciatim attinet ad Romanum Pontificem ; quippè cùm præter Romanam multæ

multæ ſupereſſent Eccleſiæ Apoſtolicæ ad quas hoc judicium poterat referri. Omnes orbis Epiſcopi erant collegæ Ceciliani. Prætereà dum ait S. Auguſtinus potuiſſe Cecilianum reſervare cauſæ ſuæ cognitionem Eccleſiis Apoſtolicis & Collegis ſuis, habitâ ratione Epiſcopalis dignitatis quâ pollebat, non ideò ab obſequio & obtemperatione Synodi provincialis judicio, debitâ liberat. Sed hoc privilegium ei competere potuiſſe fortaſſe exiſtimat propter quandam Epiſcoporum præ ſimplicibus preſbyteris aut Diaconis poteſtatis atque autoritatis eminentiam, quæ impedit ne tam citò indictâ causâ judicentur. Jus enim violari poterat aliquando adversùs Preſbyteros ſed ſaltem difficiliùs adversùs Epiſcopos, qui ſuas lites non difficiliter adeò poterant ſubjicere judicio Eccleſiarum Apoſtolicarum; Collegarum opem & auxilium impetrare. Incredibile enim erat fore, ut indictâ causâ judicarent, pravâque iſtiuſmodi judicia unquam approbarent. Quamobrem S. Auguſtinus conſtanter aſſerebat abſente Ceciliano & Numidiæ Concilium ejurante, ſecundum Tiſigitanum debuiſſe intercedere, & condemnationis judicium cohibere. Hic eſſe mihi videtur ſenſus Epiſtolæ 162. S. Auguſtini, cui explicatio noſtra quibuſdam fortaſſe videbitur, tenebras & obſcuritatem afferre, aliis verò lumen adhibere maximum, qui ſincero examine ſancti Doctoris mentem eruere conati ſunt. *Quia ergo venire noluit ad hoſpitium collegarum quos à ſuis inimicis contra veritatem ſuæ cauſæ perverſos eſſe ſentiebat vel ſuſpicabatur, vel ut ipſi aſſerunt ſimulabat tanto magis ſecundus Tiſigitanus ſi veræ pacis cuſtos eſſe voluiſſet, cavere debuit ne damnarentur abſentes, qui judicio eorum omninò intereſſe noluerunt, neque enim de Presbyteris aut Diaconis aut inferioris ordinis Clericis ſed de collegis agebatur qui poſſint aliorum collegarum judicio præſertim Apoſtolicarum Eccleſiarum cauſam ſuam integram reſervare, ubi contra* S. Auguſt. Epiſt. 162.

 eos

eos ſententiæ dictæ in abſentes nullomodo aliquid valerent quando eorum judicium non primo aditum poſtea deſeruerunt, ſed ſuſpectum ſemper habitum nunquam adire voluerunt. At verò inſtat Davidius enixè & reſponſum aſſumit ex eo quod S. Auguſtinus ait nihil fuiſſe Ceciliano „ pertimeſcendum quamdiu communionis litteris cum „ Eccleſiâ Romana conjungeretur, in qua ſemper Sedis „ Apoſtolicæ principatus viguit, niſi plura diceret Auguſtinus, & aliis Eccleſiis prætermiſſis de ſola communione cum Eccleſiâ Romana mentionem faceret, me victum faterer libentiſſimè, nihilque Davidio reſponderem; ſed prorſus contrarium dicit. Omnes Eccleſias quibuſcum Cecilianus communicaverat Romanæ exæquat, adjuncto tantùm diſcrimine Principatûs Apoſtolicæ Sedis, qui ſemper Romæ viguit; unde Romanæ Eccleſiæ gloria ſingularis exurgit. Præterea ſignificat Cecilianum non minus auxilium ſibi comparaſſe ex aliis Eccleſiis quibuſcum communicabat quàm ipsâ Romanâ. *Qui poſſet Cecilianus non curare conſpirantem multitudinem inimicorum, cum ſe videret & Romanæ Eccleſiæ in qua ſemper Apoſtolicæ Cathedræ viguit principatus, & cæteris terris unde Evangelium ad ipſam Africam venit per communicatorias litteras eſſe conjunctum ubi paratus eſſet cauſam ſuam dicere, ſi adverſarij ejus ab eo illas Eccleſias alienare conarentur.*

Denique ſi Pontifex Romanus ſe Epiſcoporum ſupremum judicem habuiſſet, cur poſt ſententiam à ſeipſo prolatam, iteratam litis cognitionem in Concilio Arelatenſi ſuſtinuiſſet? Cur de hac cauſa ſolitarius judex non ſedebat, ſed immò ſibi tot judices ab Imperatore adjungi patiebatur? Si ea fuiſſet mens S. Auguſtini, ut contendit Davidius, cur poſt Romanum judicium, toties Donatiſtis Concilium Arelatenſe oppoſuiſſet? Cur denique poſt ſupremam Romani ſolij deciſionem poſſe adhuc hanc cauſam in Concilio generali univerſæ Eccleſiæ agitari repoſuiſſet?

poſuiſſet? *Ecce putemus illos Epiſcopos qui Romæ judicarunt non bonos judices fuiſſe: reſtabat adhuc plenarium Eccleſiæ univerſæ Concilium ubi etiam cum ipſis judicibus cauſa poſſet agitari.* Epiſt.162.

CAPUT VI.

Explicatur Concilium Nicænum de cauſis Epiſcoporum circa annum Chriſti 325.

FATUAM putat D. Petri de [a] Marca opinionem [b] Davidius, quia Concilij Nicæni autoritatem interpoſuit ut probet Synodorum provincialium patres, extitiſſe olim ſupremos judices Epiſcoporum.

At totum difficultatis caput ad explicationem 5. Canonis hujuſce Concilij devolvitur, quam ob rem hìc potiſſimùm exhibere opus eſt.

[a] P. de Marca de concordia l.7. cap.2. num.5.

[b] Pagin. 20.art.2.

QUINTUS CANON CONCILII NICÆNI.

De his qui communione privantur ſeu ex clèro ſeu ex laico ordine ab Epiſcopis per unamquamque provinciam ſententia regularis obtineat ut hi qui abjiciuntur ab aliis, non recipiantur. Requiratur autem ne puſillanimitate aut contentione aut alio quolibet Epiſcopi vitio videatur à congregatione ſecluſus. Vt hoc ergo decentius inquiratur, bene placuit annis ſingulis per unamquamque provinciam bis in anno concilia celebrari, ut communiter omnibus ſimul Epiſcopis congregatis provinciæ diſcutiantur hujuſmodi quæ-

 ſtiones,

ſtiones, & ſic qui ſuo peccaverint evidenter Epiſcopo excommunicati rationabiliter ab omnibus æſtimentur, uſque quo vel in communi vel Epiſcopo placeat humaniorem pro talibus ferre ſententiam. Concilia verò celebrentur unum quidem ante quadrageſimam paſchæ ut omni diſſenſione ſublatâ, munus offeratur Deo puriſſimũ, ſecundum verò circa tempus autumni.

David pag. 21. „ COnſtat, inquit Davidius, ex primâ parte hujus Canonis, intelligi debere judicia ab Epiſcopo ſingulari lata, adverſus clericos aut laicos ſuæ juriſdictioni obnoxios, & quorum judex natus eſt.

Conſtat è contra hac primâ parte Canonis, nullam fieri mentionem judicij ab Epiſcopo ſingulari lati: ſed à pluribus Epiſcopis, ut concepta verba canonis ſonant, *De his qui communione privantur ab Epiſcopis*, non ab Epiſcopo ſuo. Præterea legimus, *ab Epiſcopis per unamquamque provinciam* non per unamquamque parœciam. At verò multi erant in una provinciâ Epiſcopi, quia multas complectebatur parœcias ſive Diœceſes. Dubitandi autem locus nullus relinquetur quin per unamquamque provinciam multæ Diœceſes intelligendæ ſint, ſi ad canonem qui antecedit, ſcilicet quartum hujus Concilij reſpiciatur. Hanc veritatem adhuc illuſtrant continua hujus canonis verba, *ut qui abjiciuntur ab aliis, ab aliis non recipiantur.* Enimverò ſi Concilij mens fuiſſet de ſingularis Epiſcopi judicio, ſcriptum eſſet *ut qui abjiciuntur ab uno Epiſcopo, ab aliis non recipiantur.* Ex his igitur colligere debemus Concilium Nicænum eo loci mentionem facere de omni excommunicationis genere, ſive ab uno, ſive à pluribus Epiſcopis immiſſæ adverſùs laicos aut clericos *ſive ex clero, ſive ex laico ordine.* At certum eſt Epiſcopum eſſe ex clero non ſecus ac Preſbyterum & Diaconum

num. Certum etiam eſt ei poſſe communione interdici ab Epiſcopis per unamquamque provinciam, aut à ſuo Metropolitano, ſi Davidius hunc canonem de judicio Epiſcopi ſingularis, intelligi debere pertinaciter contendat. Ergo jam dubitandi locus nullus relinquitur, quin Concilium Nicænum de excommunicationibus in Epiſcopos vibratis mentionem fecerit, ita ut alios clericos, & ipſoſmet laicos. At fortaſſe, cui hæc ſententia non placebit, dicet, quod ſi Concilium Nicænum ſignificat excommunicationem ab Epiſcopis provinciæ immiſſam, & non ab Epiſcopo ſingulari, fruſtra ſtatuit ejuſmodi quæſtiones bis anno quolibet debere in Concilio Provinciæ examinari.

Sed ut rem totam perſpectam habeamus, obſervare neceſſe eſt diſcrepantiam eſſe maximam inter judicium adversùs clericum in foro judiciali pronunciatum, & excommunicationem ſeu potius communionis privationem, ut verba Nicæni canonis ſonant *de his qui communione privantur.* Enimverò cum olim quis Epiſcopus vel alius, in hæreſim aut aliud crimen palam ac publicè incurrebat, fideles comitia Concilii non operiebantur ut communicationem Eccleſiæ cum eo intermitterent, ſeu omnem conſociationem humanam diſſolverent. Sed quilibet Epiſcopus uſum & conſuetudinem, quicum conjunctus erat opportunè dirimebat, ſcilicet nec dabat nec recipiebat litteras ab eo qui quaſdam criminis ſuſpiciones habebat, ſibique omni commercio cum eo interdicebat. Sed quoniam hanc agendi rationem magna rerum confuſio & Eccleſiæ perturbatio ſequebantur, Concilium Nicænum huic malo remedium admovit, hoc ſcilicet, quod ſi cui communione interdictum ſit, ab uno aut pluribus Epiſcopis ſive ex clero ſive ex ordine laico negotium examinabitur & judicabitur in Concilio Provinciali quolibet anno bis cogendo. Quamobrem hoc Canone Nicæno lo-

cum

cum habere non poſſumus aptiorem, ex quo nervoſam argumentationem aſſumamus ad tuendam ſupremam ſynodorum Provincialium autoritatem in cauſis Epiſcoporum? Denique ſolius ſenſus communis luce perſpicimus hunc canonem æquabili ratione ad Epiſcopos & ad alios pertinere, quippe cum hoc vocabulum Clerus *ſive ex Clero* Preſbyteros & Diaconos pariter conſequatur. Et certè Davidij ſubtilitas adeò mentis meæ perſtringit aciem ut ipſe comprehendere non poſſim cur ex hoc canone potius Preſbyteros aut Diaconos quàm Epiſcopos intelligat. Enimverò ſi hæc nobis verba continua objiciantur: *Requiratur autem ne puſillanimitate aut contentione vel alio quolibet Epiſcopi vitio videatur à congregatione ſecluſus*; quæ ſolùm juriſdictioni Epiſcopali obnoxios homines & ſubjectos ſignificant.

I. Reſpondeo hanc concluſionem eſſe à veritate alieniſſimam. Non enim quæſtio eſt de ſententiâ judiciali ab Epiſcopo pronuntiata, ſed de communionis privatione, quæ ut obſervavimus eſſe poteſt ſimplex litterarum aut communicationis intermiſſio, quæ adverſus Epiſcopum ita ut Preſbyterum & Diaconum contingere poterat.

II. Hoc mihi maximo argumento eſt ad confirmandam, ſecundùm Nicæni Concilij mentem, ſupremam Synodorum Provincialium autoritatem in cauſis Epiſcoporum. Et ſic ratiocinor. Dubium non eſt, quin ille homo, cujus vita & mores examine judiciali poſſunt diſceptari & Judicia emendari, ſit obnoxius ſeu ſubjectus juriſdictioni illius penes quem diſceptationis & emendationis jus eſt.

Atqui Concilium Nicænum hoc jus tribuit Synodis Provincialibus in cauſis excommunicationum ab Epiſcopis immiſſarum & ſententiis ab iiſdem pronunciatis in foro judiciali. Ergo mens Concilij Nicæni fuit, Epiſcopos eſſe Conciliorũ Provincialium juriſdictioni obnoxios. Non enim gravius ſubjectionis argumentum quam rei

judicatæ

judicatæ iterata cognitio & ſententiæ judicialis emendatio. Quippe ſemper eſt judicis ſuperioris jura dare judici primæ juriſdictionis ſeu provocatoriæ. Verbi gratiâ in Galliâ omnes judices, regis ſupremæ poteſtati & juriſdictioni ſunt ſubjecti. Quia regis eſt eorum judicia emendare & corrigere.

Porrò Concilium Nicænum hoc jus tribuit Synodis Provincialibus adversùs Epiſcopos. Ergo Epiſcopi ſunt earum juriſdictioni obnoxij. Cæterùm probare oportet hanc Synodorum juriſdictionem eſſe ſupremam, quo nihil facilius eſt.

Cum autoritatem & juriſdictionem ſupremam appellamus, non eam intelligimus quæ nullam omnino ſupra ſe legitimam cognoſcat, qualis eſt Regis Franciæ poteſtas qui cæteris ideo major eſt quia ſolo Deo minor eſt, ſed eam quæ ſupra ſe nullam habuit licet habere potuerit.

Hoc ut perfectè intelligamus ſcire neceſſe eſt autoritatem verè ſupremam quâ nulla ſuperior eſt in orbe terrarum, (ad lites dirimendas ſcilicet ſuæ juriſdictioni obnoxias) eam eſſe ſolitariam quâ Chriſtus Dominus Eccleſiam Catholicam in perſona ſancti Petri donavit. Quamobrem ultimæ juriſdictionis ac ſupremæ tribunal Eccleſiæ, cui omnes fideles non ſolùm obedire tenentur, verùm etiam, à quo nunquam appellare licet, eſt Concilium Oecumenicum univerſam Eccleſiam repræſentans. Antequam cogeretur Concilium Oecumenicum ſcilicet ante annum 325. omnes controverſiæ in Conciliis Provincialibus dirimebantur, & quoniam ab eorum judiciis appellatio nulla nobis innoteſcit nullaque judicatarum rerum iterata diſceptatio, jure merito ſentire videmur Conciliorum Provincialium his temporibus ſupremam juriſdictionem extitiſſe, adversùs ipſoſmet Epiſcopos, quorum cauſas omni ſpe appellationis adempta judicabant.

Hoc autem intelligere non eſt difficile ex iis quæ capitibus quæ antecedunt expoſuimus ex exemplis quæ protulimus. Enimverò in antiquitatis pulvere nullos appellationis ad Romanam Sedem aut quodvis aliud tribunal ſulcos diductos perſpeximus: quamvis libenter fateamur autoritatem Conciliorum Generalium eſſe ſuperiorem, ut ex continenti explicationis ſerie demonſtrabimus, idque extra omnem dubitationis aleam poſitum eſſe non ſentire nequivimus, ſi vera ſunt quæ narrat Socrates hiſtoriæ Eccleſiaſticæ l. 2. cap. 40. quo mentionem facit appellationis ſancti Cyrilli Hieroſolymitani qui floruit anno 365. Conſtantio Imperatore à Concilio Cæſarienſi in Paleſtinâ ad Seleucienſe, & hunc Epiſcopum, primum & ſolitarium à minori Concilio ad majus provocaſſe nobis ſignificat τοῦτο μὲν οὖν ἐκκλησιαστικῷ πρῶτος παρὰ τὸ συνήθει τῷ ἐκκλησιαστικῷ κανόνι Κύριλλος ἐποίησεν ἐκκλήτοις ὡς ἐν δημοσίῳ δικαστηρίῳ χρησάμενος.

Solus igitur ac primus omnium Cyrillus contra Eccleſiaſtici Canonis conſuetudinem appellationem, ſicut in publicis judiciis fieri ſolet, interpoſuit.

CAPUT VII.

Concilij Nicæni explicatio continuata.

Pag. 16. SI tempore Concilij Nicæni in eam iviſſet Eccleſia ſententiam, quam tuendam ſuſcepiſſe videtur Davidius, ſcilicet exiſtimaſſet Pontificem Romanum, pro ſuo jure, poſſe lites Epiſcoporum etiam primæ cognitionis judicio definire: an credibile eſt Meletium, de quo jam capite quarto, diximus neutiquàm in cogitationem veniſſe querimoniæ habendæ aut expoſtulationis ad Papam Silveſtrum de injuria ſibi illata judicio Concilij Alexandri-

ni

Digitized by Google

ni quo Epiſcopali Sede pulſus fuerat? Et ſi poſt Concilium Provinciale aliquod provocatoriæ cognitionis tribunal extitiſſet, credibilene eſt ducem factionis Meletianæ ad id non confugiſſe, eique fuiſſe ſatis Petrum Alexandrinum & ſucceſſores Achillam Alexandrum calumniæ arguere omni actione judiciali poſtpoſitâ, ſtudióque omni reſtitutionis in priſtinum Magiſtratum?

Sed coacto Concilio Nicæno quod primum œcumenicum fuit, dubitavit nemo quin res jam judicatæ in Conciliis Provincialibus poſſint ad iterandam diſceptationem recenſeri.

Enimverò non niſi de rebus jam judicatis in Conciliis Provincialibus Concilium Nicænum ſententiam tulit. Controverſia de Paſchate, de qua potiſſimè judicavit, jam multis antea Conciliis fuerat agitata: Arius quem condemnavit jam in Concilio Alexandrino condemnatus fuerat. Sed ut è propoſito non egrediamur, negotium Meletij Epiſcopi qui jam ut ex Athanaſio intelleximus in concilio multorum Epiſcoporum depoſitus fuerat, nunquid non ad examen revocatum & omninò recenſitum eſt, & ſententia paulo acerbiùs in eum lata mitiori judicio temperata & emendata fuit? Hæc omnia ſatis ampla teſtificatione ſignificat Epiſtola patrum Concilij Nicæni ad Eccleſiam Alexandrinam & ad Epiſcopos Lybiæ Ægypti & Pentapoleos. *Concilium clementius aliquantò in Meletium animatum (nam ſi accuratè in eum inquiſitum fuiſſet, nihil certè commeruiſſet venia) decrevit ut in propriâ ac ſua civitate remaneat, nullámque habeat poteſtatem vel cuipiam manus imponendi, vel quemquam ad aliquod munus Eccleſiaſticum deligendi vel in aliquam civitatem ac regionem ejus rei gratiâ commeandi, ſed ut ſolum dignitatis & officij nomen retineat: Illi autem qui ab eo Presbyteri deſignati ſunt atque ſanctiore ordinatione confirmati fuerint hac conditione in Eccleſia communionem*

Digitized by Google

admittantur, nimirum ut Eccleſiaſticæ dignitatis ac miniſterij gradum habeant. Illi quidem, ſed tamen omnibus Presbyteris in ſingulis Provinciis & Eccleſiis verſantibus qui ſunt ab honoratiſſimo viro & collega noſtro Alexandro ordinati ſint omnino inferiores quin etiam ut nulla illis poteſtas ſit eos miniſtros Eccleſiæ deſignandi qui ipſorum probentur arbitrio, neque nominationem penes ſe habeant eorum quæ ſunt ad Eccleſiæ munera obeunda deligendi; neque quidquam abſque conſenſu Epiſcoporum Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ qui ſub Alexandro ſunt, omnino tranſigant. Hanc refert Epiſtolam Socrates lib.7. hiſtoriæ, cap.9. cui congruit Sozomenus lib.1.cap.24.

Ex quibus rebus id conflatur ac conficitur. Scilicet Conciliorum Provincialium uſque ad Nicænum juriſdictionem fuiſſe ſupremam in cauſis Epiſcoporum, id eſt eorum mandata fuiſſe confecta omni examine aut appellatione remotâ. Quippe cum iſta Synodus Nicæna primò litem Epiſcopi ad novam cognitionem revocaverit & ad iterandum diſceptationem cauſam judicatam recenſuerit. Atque hanc etiam autoritatem ſupremam penes Concilia Provincialia eſſe intellexerit quamdiu Generalia nondum coacta fuerunt. Jam verò mihi non eſſet difficile veram eſſe concluſionem quam ex Concilio Nicæno aſſumpſi oſtendere, adductis variis locis Concilij Conſtantinopolitani 1.Innocentij Papæ primi & Concilij Africani: pariterque Davidij mentem falſis imaginibus concitatam atque illuſam demonſtrare. Sed quoniam optimum cepiſſe puto conſilium ne huic lucubrationi obſcuritatem adferam, omnia Epiſcoporum negotia ſecundùm ſeriem temporum tractandi: hæc omnia in diſceptationem venient capitibus 21.34.36.37.38.

CAPUT

CAPUT VIII.

Argumenta ex Concilio Nicæno aſſumpta, ex quibus intelligimus tempore hujus Concilij, penes Concilia Generalia extitiſſe autoritatem judicandi Epiſcoporum cauſas eóſque ſuis Sedibus amovendi primæ cognitionis & ſupremæ judicio.

QUÆ in hoc Concilio geſta ſunt mihi maximo ſunt argumento ad hanc veritatem tuendam: quamvis acta illius Concilij penè omnia ſuppoſititia atque apocrypha ſuperſint.

Acceptam referre debemus ſtudio Theodoreti Epiſtolam quam hujus Concilij Patres ſcripſerunt ad Eccleſiam Alexandrinam, cùm ad eam confecta Synodo Alexander reverſus eſt. Nam in ea conquiſitè & accuratè geſta in Concilio, narrata ſunt, & de hujus Epiſtolæ veritate dubitandi locus nemini homini relictus eſt. Lib. 1. hiſtor. c. 9.

At verò ex hac Epiſtolâ intelligimus Concilium Anathematis telum vibraſſe adversùs Arium & eos omnes qui conjurationi nomen dederant cujus princeps extitit: Atque ejuſmodi hominis impietatem magnam cladem ac detrimentum importaſſe Theonæ Epiſcopo Marmaricæ & Secundo Epiſcopo Ptolemaidis, qui cum eo triſte bidental erexerunt. *Eouſque certè ejus prorupit impietas ut Theonam Marmaricæ Epiſcopum, & Secundum Ptolemaidis ad exitum uſque perduxerit, nam eaſdem cum eo pœnas ipſi luerunt.* Id eſt cum Ario Eccleſiâ pulſi abdicare ſe Epiſcopali magiſtratu coacti ſunt.

Lib. 9. hiſtor. Eccl. cap. 6. edit. Sirm.

Hanc veritatem mirificè confirmat Theodoretus lib. 1. hiſtoriæ, capite ſexto, dum ait *paucos quoſdam Epiſcopos & præter illos Menophantum Epheſi & Patrophilum Scytopolitanum, Throgonium quoque Nicææ ipſius Epiſcopum & Narciſſum Neroniadis, & cum his Theonam Marmaritanum & Ptolomaidis Secundum ſuſcepto Arij patrocinio Apoſtolicæ doctrinæ refragatos eſſe. Quin etiam fidei formulam quam dictarant obtuliſſe Concilio: quæ ut primum lecta fuit, ſpuriam cunctis & adulterinam clamantibus illico diſcerpta eſt.* Narrat præterea Theodoretus *cum ingens tumultus eſſet contra eos concitatus & omnes proditæ illos pietatis inſimularent metu percuſſos exurrexiſſe primoſque omnes Secundo & Theona, exceptis, Arium abdicaſſe. Impio autem illo ſic deturbato & Fidei formula quæ ad hoc uſque tempus in Eccleſiis obtinet communi conſenſu compoſita ſubſcriptionibuſque firmata Concilium dimiſiſſe.*

Ex hac narratione & Epiſtolâ Concilij de qua mox loquuti ſumus, conficitur, Arium Eccleſiâ pulſum fuiſſe, Secundum & Theonam pravis ejus dogmatibus tuendis pertinaciter adhæſiſſe ipſique communione noluiſſe interdicere & eaſdem cum eo pœnas luiſſe. Proindéque, cum eo Eccleſiâ pulſos & abdicatos fuiſſe. Igitur ex his omnibus jure merito colligere debemus.

I. Cum certum ſit Theonam & Secundum ad nullum judicium adfuiſſe, ante Concilium Nicænum, quod cauſam eorum diſceptavit primæ cognitionis judicio.

II. Cum etiam hi Epiſcopi poſt Concilium neque ad Papam aut aliud tribunal appellaſſe videantur, illos ſupremæ cognitionis ſententiâ judicavit.

Hoc adeò perſpectum videtur ut nemini homini niſi lumine capto dubium ſupereſſe poſſit. Igitur ad aliud hujuſce veritatis argumentum pergamus.

Socrates libri primi hiſtoriæ capite nono, rem totam ſic narrat. *Fidem Nicænam trecenti quidem & octodecim Antiſtites*

Digitized by Google

Antiſtites probaverunt & amplexi ſunt : atque ut Euſebius ſcribit, uno omnes ore & in unam ſententiam conſpirantes conſcripſerunt. Quinque tantum reperti ſunt qui illam amplecti nollent, vocem conſubſtantialis *reprehendentes : Euſebius ſcilicet Nicomedienſis Epiſcopus, Thrognis Nicaæ, Maris Chalcedonis, Theonas Marmaricæ & Secundus Ptolemaidis. Nam quod conſubſtantiale illud eſſe aiebant quod ex alio eſt, vel partitione vel fluxu, vel eruptione : eruptione quidem ut ex radicibus germina : fluxu ut ex parentibus liberi : partitione verò ut ex auri maſſa duæ vel tres Phialæ: nullo porro ex his modo eſſe filium Dei: Idcirco in eam fidem ſe conſentire non poſſe aſſeverabant. Vocem igitur* conſubſtantialis *plurimis cavillis ac dicteriis inſectati Arrij depoſitioni ſubſcribere noluerunt. Quam ob cauſam Synodus quidem Arium & omnes qui cum eo ſentiebant, anathemate percuſſit adjecto inſuper ne Alexandriam ei ingredi liceret. Imperator verò tum Arium ipſum tum Euſebium & Thrognim exilio mulctavit, & Euſebius quidem & Thrognis, paulo poſtquam in exilium miſſi eſſent, oblato pœnitentiæ libello in fidem conſubſtantialis conſenſere.*

Venit Socrates apud eruditos ætatis noſtræ, in ſuſpicionem inventionis ſeu compoſitionis hujuſce libelli. Et cap. 14. ejuſdem libri ſic ait.

Porrò Euſebius & Thrognis, pœnitentiæ libello ad præcipuos Epiſcopos miſſo Imperatoris juſſu ab exilio revocati, Eccleſias ſuas receperunt, eóſque qui in ipſorum locum ordinati fuerant, expulerunt, Amphionem quidem Euſebius, Chreſtum verò Thrognis.

Sanctus Athanaſius apertâ Concilij Alexandrini anni 339. teſtificatione nobis ſignificat hos Epiſcopos fuiſſe depoſitos. *Qui igitur ipſe & Thrognius potuerunt alios deponere : ipſi depoſiti & exauctorati & vitio ſuæ creationis famoſi? bene ſiquidem cognitum habetis Amphionem Nicomediæ, Chreſtum verò Nicææ in eorum locum ob impietatem* S. Athan. apolog. 2. pag. 566. L. B.

&

& communionem, quam cum Arianis à Niceno Concilio reprobatis, habuerant Epiſcopos conſtitutos eſſe.

Poſt hæc teſtimonia omni exceptione majora, dubitandi locus nullus relinquitur quin hi duo Epiſcopi Euſebius & Thrognis Epiſcopatu abdicati ſint.

At verò ex nullo antiquorum Scriptorum ſuffragio intelligimus confectam utriuſvis abdicationem autoritate Pontificiâ ſeu Imperatoria; nunquam enim de iſtiuſmodi poteſtate incurrit in mentem Conſtantini cogitatio, cujus animus ab ejuſmodi elatione & ambitione alienior ſemper viſus eſt, ut patet ex ejus Epiſtola ad omnes orbis Eccleſias ab Euſebio relata, libr. 3. de vita Conſtantini, cap. 16. 17. & 18. Difficiliter magis hæc abdicatio tribueretur alicui Concilio Provinciali, quod collocare neceſſe eſſet incidenti tempore inter Concilium Alexandrinum habitum anno 339. ex quo depoſitos fuiſſe hos Epiſcopos diſcimus, & Nicænum.

Tom. 1. Conc. Binij pag. 280.

At verò hoc temporis ſpatio quod quindecim annorum fuit, nulla coacta eſt Synodus cui hanc abdicationem eruditus homo adſcribere poſſit præter Gangrenſem, Tyriam, Hieroſolymitanam, & Conſtantinopolitanam in cauſa Marcelli Ancyrani, in quibus nullum extat veſtigium abdicationis Euſebij & Thrognij: quam igitur à Concilio Nicæno confectam fateri neceſſe eſt.

CAPUT IX.

Diluuntur objectiones contra ſententiam capite quod huic anteceſſit propoſitam.

S. Athan. de decretis Nicænæ Synodi.

I. OBjici poteſt S. Athanaſium aſſerere hos Epiſcopos ſe ſubmiſiſſe, ſeu obtemperaſſe decreto Concilij

cilij Nicæni, ne telo damnationis cum Ario ferirentur, ipſamque ſummiſſionem meram fuiſſe diſſimulationem ac fraudem, quippe eum ſtatim vomitum repetierint. Sicque argui poteſt incredibile eſſe hos Antiſtites fuiſſe depoſitos in Concilio ad cujus cœtum & comitia ita ut cæteri Epiſcopi admiſſi ſunt.

II. S. Hieronymus dialogo contra Luciferianos teſtificatur Euſebium & Thrognium poſtquam ſubſcripſerint conſubſtantiali cum aliis Epiſcopis, fuiſſe in Concilio admiſſos, idque poſſe confirmari ait actis hujus Concilij. *Legamus acta & nomina Epiſcoporum Synodi Nicænæ & hos quos ſuprà diximus fuiſſe ſuſceptos ſubſcripſiſſe* homouſion *inter cæteros reperiemus.*

III. Euſtatius Epiſcopus Antiochenus inter illuſtres hujus Concilij Patres multa commendatione dignus, loco quodam apud Theodoretum citato narrat: *Quid ergo cùm Synodus has ob res Nicæam maximè convenerit, coactis in unum Epiſcopis ducentis circiter & ſeptuaginta? Liquido enim propter eorum multitudinem ſcribere non poſſum, quippe id curioſius non inveſtigarim. Vbi cum de fidei ratione quæri cæptum eſſet Euſebij blaſphemia ex ejus litteris perſpicuè deprehenſa eſt. Quæ coram omnibus lectæ, immenſum dolorem auditoribus propter hominis depravationem attulerunt, ipſum verò qui ſcripſerat inſanabili dedecore affecerunt. At jam quidem officina Euſebij patefacta nefariiſque litteris in omnium conſpectu diſcerptis, quidam ſimul ex compoſito, pacis nomen oſtendentes, ſilere omnes compulerunt qui aptiſſimè concionari ſolebant. Arianæ verò dementiæ ſectatores veriti ne autoritate tanti Concilij exilio mulctarentur, proſilientes in medium Arij dogma reſpuunt ipſi quidem & damnant anathemate, communiſque conſenſus decreto ſuâ manu ſubſcribunt.*

Theodor. lib. 1. hiſtoriæ cap. 8.

Si Euſebius Nicomediæ fuiſſet in Concilio Nicæno condemnatus nec reſtitutus in priſtinam dignitatem, niſi

G poſt

poſt Palinodiam de qua loquitur Socrates, credibiléne eſt hanc ignoraſſe Euſtatium & rei annexam ejuſmodi conditionem ſilentio prætermiſiſſe, cùm præſertim ad explicandam hujus Ariani Epiſcopi levitatem, inconſiderantiam & hypocriſim omnibus hominibus, mentem appulit?

Multa quidem animadverſione digna ſunt ad expediendos tot difficultatum nodos, nihil enim conſtitui poſſe prima fronte videtur quod non in magnam incurrat aliquam difficultatem. Veruntamen non gravabor dicere ſanâ mente tantum opus eſſe ac rectæ rationis face ad inveniendos amicæ veritatis calles in tam denſis ſalebroſæ antiquitatis tenebris.

Non enim ait Socrates juſſu Imperatoris exulaſſe Euſebium & Thrognium ſtante ſeu durante Concilio Nicæno, ſolum ait Concilium dixiſſe anathema Ario, & ſectatoribus ejus: ipſumque in exilium miſiſſe Imperatorem, cum Euſebio & Thrognio: quod æquabili ratione confecta Synodo & ſtante contingere potuit.

Huic conjecturæ locum dat Socrates, nam de illorum Epiſcoporum libello ſupplice mentionem faciens non ait eos obtuliſſe Concilio Nicæno, ſed præcipuis hujuſce Concilij Patribus. Cum enim autoritate Concilij ſuas in Sedes reſtitutionem ſperare potuiſſent, non præcipuis tantùm Concilij Patribus, ſed toti ac frequenti Concilio libellus deferendus erat, ſi adhuc ſtetiſſet, ſi ejus comitia nondum dimiſſa fuiſſent. Sed jam dimiſſo Concilio fortè ante exilij pœnam ſibi impoſitam, præcipuis tantùm Patribus ſupplicem libellum dare poterant, ut eorum ope reliqui Epiſcopi ad ſuas Eccleſias reverſi, de eorum reſtitutione conſentirent. Et quamvis in hujuſce libelli ſive Palinodiæ contextu hæc legantur. *Quod ſi ſanctiſſimo Concilio veſtro ſatisfactum eſt*, ex his non conficitur Concilium adhuc ſtetiſſe,

ſtetiſſe, quippè cùm diu poſt dimiſſa comitia eorum decretis obtemperari poſſit.

Igitur ad hæc teſtimonia concilianda, & difficultates ſolvendas, dicere neceſſe eſt: Arium in Concilio Nicæno anathemate perculſum cum ſuis ſectatoribus abdicatum fuiſſe ſeu depoſitum. Et cùm ex his quidam, ſcilicet Theonas Marmaricæ, & Secundus Ptolemaïdis, Concilij mandatis morem gerere nollent lege *ſine mora* adversùs eos actum eſt. Euſebius verò & Thrognis ſimulata ac fictâ obedientiâ minas tantùm abdicationis ſuſtinuerunt, & hac fraude legis actionem cohibuerunt. Continenti tempore cum ſe liberos eſſe arbitrarentur, ab eorum corde errorum virus diſtillavit: & tunc abdicare ſe magiſtratu invitâ obtemperatione coacti ſunt. In eorum locum Amphione & Chreſto ſuffectis, quoniam res humanæ viciſſitudini ſunt obnoxiæ, & rara eſt principibus in republica gubernanda viris in eadem ſententia perpetua permanſio, æquo Imperatore uti cœperunt, & ut quadam æquitatis ſpecie, ſuam reſtitutionem obtegerent fictam Palinodiam compoſuerunt, & libellum ſupplicem præcipuis Concilij Antiſtitibus dederunt: Hac ſpecie ſimulatæ fidei, deluſus Imperator Arianorum ſtudioſus ac fautor, eorum reſtitutionem prætexuit, atque Imperatoriâ autoritate comprobavit.

Epiſtola Cõcilij ad Alexãdrinã Eccleſiam apud Theod. l.1.hiſt. cap.9.

Theodor. l.1.cap.7. S. Athan. S. Hieron. S. Euſtat.

Quæ cum ita ſint, non tam difficiliter explicabimus S. Athanaſij librum de Synodis, quo ait Euſebium poſt Concilium Nicænum fuiſſe depoſitum. Cum præſertim hæc abdicatio ſit actio legis in Concilio Nicæno adverſùm Euſebium latæ; quam hypocriſi ac ſimulatione cohibuerat. Sed utcumque res ſint, ſemper erit certum ac manifeſtum, Euſebium & Thrognium autoritate Eccleſiæ abdicatos fuiſſe ac Sedibus pulſos, omiſſo ad Romanam Sedem perfugio. Ex quo ſatis eſt argumenti ad demonſtrandam Davidij temeritatem, qui ante Concilium Nicæ-

Pag. 16.

Nicænum & Sardicenſe Romanum Pontificem contendit ex jure poſſediſſe facultatem judicandi cauſas Epiſcoporum etiam primæ cognitionis judicio.

Objicient fortaſſe quidam Sylveſtrum Papam confirmaſſe Concilium Nicænum ut ex Concilio Romano III. intelligimus. Sed hoc inſtrumentum adeò ſpurium & apocryphum eſt, ut in eo explicando tempus terere hominis otioſi atque inutilis eſſe videatur.

CAPUT X.

Sanctus Athanaſius Sede Alexandrina ab Euſebianis pulſus in Concilio Tyri anno Christi 335.

QUamvis nunquam fuerit in orbe terrarum tetrior aut truculentior coïtio, ipſo Conciliabulo Tyri in quo S. Athanaſij hoſtes infenſiſſimi Judicum & adverſariorum perſonam impudenter egerunt. Licèt, inquam, hæc prava concio hominibus venundatis ſub peccato conſtiterit, & Arianorum factioni deditis, in qua tenuit apertum Imperium poteſtas ſæcularis, & extra modum dominata eſt: attamen nobis graviſſimum ſuppeditat argumentum ad tuenda jura Synodorum Provincialium in Judiciis cauſarum Epiſcopalium. Enimverò ſi in hoc Concilio ſancti Athanaſij hoſtes, vi ac imperio cæteris antecelluerunt, & adverſus eum impotentis animi motibus ſunt ferociter ſtomachati, non ei defuerunt animi robur ac mentis ſagacitas, ad cauſam ſuſtentandam, & ſuæ dignitatis prærogativam ac jura tuenda, nunquam ei pariter amici æqui ac fortes, opera, conſilio & labore defuere, ad firmiſſimum ſuæ innocentiæ & integritatis præſidium.

I. Enim

Digitized by Google

I. Enimverò cum animum induxit eundi ad Concilium, quadraginta ſeptem Epiſcopi Ægypti omnes orthodoxi comitari voluerunt. Habemus libellum ſupplicem quem Concilio dederunt, ex quo intelligimus quanto labore & induſtriâ adverſariis ejus non ſolùm pudorem, verumetiam dedecus incutere conati ſunt ac fori exceptionibus juriſdictionem eorum cohibere. At verò in eo libello ſupplice ne verbum quidem de Summi Pontificis autoritate occurrit ad judicium Epiſcopi, fatentur omnes Synodi tribunal eſſe legitimum dummodo non ſint adverſarij judices ut in Concilio Tyri.

II. Ipſemet S. Athanaſius ſcripſit Apologias adversùs hoc miſerum conciliabulum, ſed quæſtionem de Epiſcoporum judiciis neutiquam agitavit, nec ulla ratione dubitavit quin potuerint jure merito in Synodo legitimâ judicari.

Quamobrem ad illud Concilium ipſemet adeſſe voluit, in eodem hoſtes nervosè confutavit, criminationes fracti calicis, cædis Arſenij, ac ſtupri mulieri illati diluit.

III. Hi quadraginta ſeptem Epiſcopi qui tanto fervore ac fortitudine cauſam ejus egerunt, prætexueruntne Epiſcoporum negotia Romæ tractari neceſſe eſſe, aut hoc privilegium Epiſcoporum allegaverunt Comiti Dionyſio, quem hujus Concilij ducem, præfectum ac moderatorem Conſtantinus Imperator inſtituerat? habemus ab iis Epiſcopis ei delatum libellum ſupplicem ex quo nihil intelligimus de autoritate Summi Pontificis in cauſis Epiſcoporum ſive primæ ſive ultimæ cognitionis judicio dirimendis.

Baronius 335. Tom. 1. Concil. pag. 378. 379.

IV. Cum Concilium Tyri deputavit Epiſcopos ad habendam quæſtionem in Mareotide de criminibus quibus ab inimicis poſtulabatur Athanaſius, Clerici Alexandrini arctè tenuerunt & accuratè defenderunt actionem litis imprudentem & injuſtam merito haberi, quoniam

teſtes & reum in provinciam adducere debuerant & eos inter ſe committere.

Exprobravit eis Tyri pſeudo-Concilium, ſed nunquam inficiatus eſt penes verum Concilium eſſe jus ferendi judicij de cauſis Epiſcoporum.

Quamobrem Preſbyteri & Diaconi Clerici Alexandrini conteſtatâ denuntiatione, publicè ſignificaverunt ſe provocare ad verum & legitimum Concilium, in quo faciliter omnes homines deputatorum iſtiuſmodi iniquitatem ac pervicaciam perſpicerent. *Eâque de causâ Epiſtolam hanc vobis dedimus monumentum teſtimoniumque iſtius rei aliquando futurum in verâ & legitimâ Synodo ut omnibus innoteſcat quod inauditâ & alterâ parte, ea quæ libuit inter vos egeritis & nihil ſtuduiſſe niſi ut conſpiratione nos opprimeretis.*

Tom. 1. Concil. pag. 379. Baron. ann. 335.

V. An veriſimile eſt omiſſam fuiſſe autoritatem Romani Pontificis, ſi in hoc caſu & miſeriâ Epiſcopi Alexandrini, ea opus fuiſſet? An credibile quadraginta ſeptem Epiſcopos, totum Clerum Alexandrinum ipſumque ſanctum Athanaſium non confugiſſe ad autoritatem, & nequidem poſt abdicationem de ea in cogitationem veniſſe, cujus procuratio erat non ſolum certa, ſi Davidio credimus, verum etiam decretoria & ab omni erratione libera.

VI Denique ſi fieri potuit ut tam utile ac neceſſarium præſidium, ſi verum ac legitimum fuiſſet, hujus temporis peritiſſimi, & orthodoxi Epiſcopi, neglexerint: ſaltem mihi maximè videtur incredibile eos poſtulaſſe opem omninò contrariam. Attamen ita contigiſſe non dubium eſt, quippè cùm S. Athanaſius ab adverſariis & inimicis, ex quibus Concilium Tyri conſtabat nihil obtinere potuerit, ad Imperatorem confugere coactus eſt, rogaturus eum alterius Concilij convocationem Conſtantinopoli, ad litis ſuæ diſceptationem coram judicibus juſtis non inimicis nec adverſariis.

Ex

Ex hoc porrò certiſſimum argumentum aſſumitur, ad concludendum tempore ſancti Athanaſij præter Concilium, nullum fuiſſe tribunal ſive forum ad dirimendas Epiſcoporum cauſas.

Confecto Tyri Concilio videbatur opportunum ac rationi conſentaneum ad Concilium generale provocare, ſed ſua deſideria temperat Athanaſius, particulare Concilium omnem explet ejus voluntatem, quippè ſciebat in eo ſedere ordinarios Epiſcoporum Judices ejuſque juriſdictioni ſe obnoxium ſentit & præſtat, dummodo inimici non ſint judices. Baronius anno 335.

CAPUT XI.

Marcellus Ancyranus Epiſcopatu abdicatus ab Euſebianis in Concilio Conſtantinopolitano juſſu Imperatoris Conſtantini coacto anno Christi 336.

NON hîc habendam eſſe quæſtionem arbitramur de innocentiâ aut de criminibus, quibus poſtulatus fuit Marcellus Epiſcopus Ancyranus in Concilio Conſtantinopolitano. Socrates ait in hoc Concilio fuiſſe depoſitum, quoniam cum librum Aſterij confutare voluiſſet qui ſacerdotium minimè aſſecutus fuerat eo quod perſecutionis tempore ſacrificaſſet, nimiâ contradicendi cupiditate dum errorem evitaret in contrarium cucurrit. Lib. 1. hiſtor. cap. 36.

Chriſtum enim perinde ac Paulus Samoſatenſis nudum hominem eſſe non dubitavit aſſerere prædictus Marcellus Ancyranus. Sanctus Athanaſius aliam hujus abdicationis cauſam profert, ſcilicet odium & malevolentiam Euſebij

Euſebij Nicomedienſis, & conjuratorum quam incurrerat in Concilio Nicæno propter amorem veritatis ac fidei defenſionem. Baronius circa annum 336. ejus apologiam compoſuit numero 27. cumque ab omnibus Socratis criminationibus purgat & liberum comprobat; & ait hæc ſcribere non potuiſſe niſi ex ſibi ſuppeditatis ab Ariano quodam falſis præſcriptionibus.

Utcumque res ſint certum eſt Marcellum Ancyranum in hoc Concilio Conſtantinopolitano fuiſſe depoſitum, Judices non rejeciſſe nec juriſdictionem eorum contra leges allegaſſe.

Ex nullo antiquitatis monumento intelligimus propugnaſſe jus ac privilegium provocandi ad Romanam Sedem. Et quamvis fluxu temporis Julius Papa de hac cauſa monitus ac certior factus ſit, certè reperire non poſſum qua ratione probem Pontificia autoritate fuiſſe confectam hujus Marcelli reſtitutionem quam ex continenti ſermone ſolitariâ Synodi Sardicenſis poteſtate decretam ac ſtatutam perſpicimus.

CAPUT XII.

Explicatur ſententia Julij Papæ I. de Judiciis cauſarum Epiſcoporum.

QUAMVIS Euſebianorum factione decretum ſit in Concilio Tyri, ut S. Athanaſius Epiſcopatu ſe abdicaret ſicut obſervavimus cap. 10. attamen quæ ſtatuerant confeſtim per ſeipſos præſtare non potuerunt. Licet enim in tantâ gratiâ eſſent apud Imperatorem Conſtantinum ut eum in exilium miſerit, & Alexandriâ expulerit: tam exiguo tempore in locum ejus alter Epiſcopus non ſuffectus eſt. Verùm

Verum ut cogitata perficerent audax conſilium ſuſceperunt, adjungendi ad rationum ſuarum partes Julium I. Papam. Quamobrem Concilij coactionem eum rogaverunt, ſponſis probationibus ac teſtificationibus omnium criminum, quibus S. Athanaſium poſtulaverant. Revera ad has anguſtias adducti ſunt à legatis quos Romam miſerant: qui cum ibi Preſbyteros ab Athanaſio miſſos inveniſſent adeo viribus impares viſi ſunt ut pudore ſuffuſi & ignominia affecti hujus litis diſceptationem in Concilio petere coacti ſint. Hæc intelligimus ex celeberrima Julij Papæ Epiſtolâ quam refert S. Athanaſius Apologia 2. *Siquidem veſtri legati Macharius Presbyter & Heſychius Diaconus nullo modo cum huc veniſſent pares Presbyteris ab Athanaſio miſſis ac ſemper ab illis convicti refutatique Concilium indici poſtularunt, litteraſque ad Euſebianos & Athanaſium Alexandriam quibus convocarentur mitti ut coram omnibus juſto judicio de causâ cognoſci poſſet: Tum enim ſe de Athanaſio probaturos eſſe quod jam nequirent publicè coram nobis Martyrius & Heſychius refellebatur Athanaſij Presbyteris bonâ cum fiduciâ alacriter reſiſtentibus Martyrius verò cum ſuis ſi vera dicenda ſunt ubique profligebatur, ac proinde Concilium generale poſtulavit.*

Deinde verò ſive ab ope Julij Papæ deſperarent jam de innocentiâ S. Athanaſij certioris facti, aut de gratiâ ac favore Concilij quod poſtulabant, primò cœptum conſilium abjecerunt. Cum enim Julius Papa Romæ Concilium indicaſſet eorum voluntati annuens, ne quidem intereſſe dignati ſunt. Sed Antiochiam concurrerunt nonaginta & plures Epiſcopi à quibus Gregorius in locum Athanaſij ſuffectus eſt; quem deinceps omni Jure Eccleſiæ violato ſatellitum turba ſtipatum Alexandriam deduxerunt & eum vi ac violentiâ horribili malevolentia adversùs Athanaſium ſuffuſi in Sede collocarunt. *Qui igitur ſunt*, inquit Julius Papa, *qui contra canones agunt? an qui*

Epiſt. Iulij Tom. 1. Concil. pag. 303. litt. C.

Σκοπεῖτε τοίνυν τίνες εἰσὶν οἱ πα-

à triginta ſex manſionibus Antiochia quendam velut Epiſcopum externum hominem ſalutarunt eumque militari manu ſtipatum Alexandriam miſerunt.

παρὰ κανόνας πράξαντες, ἡμεῖς οἱ μετὰ τοσούτων ἀποδείξεων τὸν ἄνδρα δεξάμενοι; ἢ οἱ ἀπὸ τριάκοντα καὶ ἓξ μονῶν ἐν Ἀντιοχείᾳ ὀνομάσαντες τινα ὡς ἐπίσκοπον ξένον καὶ ἀποστείλαντες εἰς Ἀλεξάνδρειαν μετὰ στρατιωτικῆς ἐξουσίας.

Interea tamen Julius Papa Concilio ſuo ad voluntatem Euſebianorum coacto præfuit quod non peculiaris quædam Sedis Apoſtolicæ Synodus fuit, omnes enim Epiſcopi Italiæ & Occidentis coiverant. * *Nam tametſi ſolus ſim qui ſcripſi, non meam tamen ſolius ſententiam, ſed omnium Italorum & omnium in his regionibus Epiſcoporum ſcripſi.*

Multi etiam ex Oriente venerunt Epiſcopi. *Nam non ſolum Athanaſius & Marcellus Epiſcopi cum querimoniis de illatis injuriis ſed & plurimi alij Epiſcopi ex Thraciâ, Cœloſyria, Phœnicia, Paleſtina huc convenere Presbyteri: item non pauci partim ex Alexandria, partim aliundè ad hoc Concilium occurrerunt.* Igitur hoc Concilium dici non poteſt ſimplex Papæ aut Sedis Apoſtolicæ Synodus.

In hoc Concilio deliberatum & conſtitutum eſt communicare cum S.Athanaſio & Marcello Ancyrano. Quæſtiones in Mareotide atque omnes litis actiones ſimul ut fuerunt imprudentes atque injuſti furentis animi impetus, jure merito omnino refixæ & ſublatæ, calumniæ fracti calicis, cædis illatæ Arſenio omnino dilutæ ſunt. Denique his Comitiis S.Athanaſius palam ac publicè ab omni crimine liber & abſolutus renunciatus eſt.

* Epiſt. Julij Tom. 1. Concil. pag. 302. lit. E. inter.

Dum hæc Romæ agitabantur, Euſebiani Antiochiæ manu facta congregati, omnes adhibebant machinas ad invenienda Athanaſij crimina. Eóque furore accenſi cum inſultatione liberiori ac contemptu Julio Papæ ſcripſerunt Epiſtolam, ut ſuam à Concilio cujus ipſimet coactionem poſtulaverant abſentiam comprobarent: cui Julius hanc reſponſionem reddidit quam refert S.Athanaſius apologia ſecunda.

Ex hac reſponſione perſpectam habemus eorum inſolentiam & protervitatem, quippè nullam excuſationem

dederunt

dederunt abſentiæ ſed immò Pontificem arguere non veriti ſunt gravis culpæ, eo quod negotium in Concilio examinaverat à ſemetipſis poſtulato, defenderuntque litem ſemel judicatam in Concilio ad iterandam cognitionem non poſſe recenſeri. Opponebant Athanaſium in Concilio Tyri judicatum & Gregorium in locum ejus ſuffectum in Concilio Antiocheno.

Sed eos prorſus elingues reddidit Pontifex dum iis reſpondit prorſus contraria cogitationibus ſuis ac factionis conſiliis in Synodo Nicæna conſtituta fuiſſe. *Quocirca Epiſcopi in magnâ Synodo Nicæa congregati non ſine Dei conſilio permiſerunt prioris Synodi acta in alia Synodo examinari, ut & illi qui Iudices erant præ oculis habentes ſecundum de ea ipſa re Iudicium futurum cum omni diligentia cauſam expenderent & illi qui ſententiam acceperant certò cognoſcerent ſe non per ſimultatem priorum Iudicum ſed jure merito condemnatos eſſe: cum eâ ſuperbiâ & arrogantiâ flagrarent ut res jam in Concilio judicatas recenſere non pertimeſcerent.* Sed mirifice purgabat ſe pontifex crimine violatorum Canonum quo eos jure merito arguebat. Enimverò continuò cogere conciliabula non deſiſtebant Ariani ad evertendam fidem Concilij Nicæni decretis ſtabilitam. Ipſe verò Pontifex talem Synodum cui præfuerat arbitrabatur qualem ipſimet Euſebiani efflagitaverant; ſicque nihil magis inſulſum aut ineptum eſſe videbatur quàm quod ſibi vindicare ſtudebant. Quod attinet ad Concilium Tyri quoniam judices in eo conſederant hoſtes ſeu adverſarij ſancti Athanaſij: nullum atque irritum cenſebatur. Quamobrem reſpondit Pontifex Julius ſanctum Athanaſium non fuiſſe Tyri condemnatum. *Qui nec Tyri condemnatus eſt nec Mareotæ præſens fuit ubi contra eum abſentem in lite proceſſum eſt.* Ideſt, in hac lite nullam fuiſſe judicialem actionem; cujus aliqua ratio haberi potuerit.

Quod verò ſpectat ad electionem Gregorij in Concilio Antiocheno, hanc contra leges & Canones Eccleſiæ confectam fuiſſe reſpondet & ad hanc dignitatem aſſumi debuiſſe virum ex Preſbyteris Cleri & Provinciæ Alexandrinæ commendatione dignum, non hominem extraneum aut adventitium, qui omnes Eccleſiæ leges quibus adſtricti ſunt Chriſtiani perrumperet ac perfringeret. *Si enim poſt Synodum in culpa fuiſſet deprehenſus Athanaſius, non tamen oportuit creationem novi Epiſcopi ita illegaliter & præter Canonem Eccleſiaſticum fieri, ſed in ipſâ Eccleſiâ & ex ipſo Sacerdotali ordine & ex ipſo clero ejus Provinciæ Epiſcopos conſtitui & nequaquam ex illis qui nunc Apoſtolorum Canones violant. Age ſi in quemquam veſtrum id commiſſum fuiſſet non-ne vociferaturi eſſetis? non-ne vindictam quaſi violatis Canonibus poſtulaturi fuiſſetis? Dilecti credite, tanquam Deo præſente cum veritate loquimur; Non eſt piè factum, non jure, non Eccleſiaſticè.*

At verò multa ſunt in hac Epiſtola Julij ſeriâ cogitatione reputanda.

I. Ex ea intelligimus ſibi non arrogaſſe jus Pontificem Julium, judicandi ſolum cauſam Epiſcopi jam in Concilio Provinciali examinatam. Immò verò contendiſſe quoad ejus fuit, ut in majori Concilio recenſeretur, ac propterea citaſſe Canonem Concilij Nicæni, Epiſcopos coëgiſſe non ſolùm Italiæ, verùm etiam Occidentis & ad illud Concilium coïviſſe plures Antiſtites & Preſbyteros Orientis & Alexandriæ & aliundè. Ex quibus perſpectum habemus nullum ſibi ſpeciale aut Apoſtolicæ Sedi voluiſſe tribuere privilegium.

II. Cùm Euſebiani hoc pronuntiatum, ſive axioma, proferebant, *quamlibet Synodum habere inconcuſſam autoritatem* non inficiatus eſt Julius; ſolum dixit, poſſe litem de qua quæſtio habebatur in Concilio recenſeri, eam pernegans judiciali ſententiâ in conciliabulis Tyri & Antiochiæ

chiæ fuiſſe definitam : reſpondit eos levem habere rationem axiomatis prolati ; cum ipſimet quotidie Concilio Nicæno non obtemperarent, immò verò leges in eo latas refigere non pertimeſcerent. Hoc pronuntiatum Julius referebat ad Concilium Romanum ad quod omnes Epiſcopos invitaverat ; ſolum enim erat verum Concilium. Igitur cùm certum atque indubitatum eſſet *quamlibet Synodum habere inconcuſſam autoritatem* rectè concludebat Euſebianos debere Concilio Romano obtemperare. Et cùm aiebat è re primorum Judicum eſſe maximè, ut ab iis cognita negotia ab aliis iterata diſceptatione recenſerentur, retulit ad gloriam majorum Conciliorum, quorum gratiâ ſtatuiſſe videbatur Concilium Nicænum ut negotia in Synodis judicata iterum poſſint in aliis recenſeri.

Et quoniam Julius Papa contendebat Concilium cui Romæ præfuerat Conciliabulis Tyri & Antiochiæ antecellere, jure merito concludebat, etiamſi vera ac legitima Concilia fuiſſent Euſebianos lege obedientiæ teneri decretis Concilij Romani.

III. Hæc omnia præcipuè atque inſigniter demonſtrant non dubitaſſe Julium quin majus Concilium minori antecelleret. Sed ex his perſpectam non habemus ſingularem Romani Pontificis in judicandis Epiſcoporum cauſis autoritatem.

IV. Enimverò dum Euſebianos objurgat de modo quo Antiochiæ ſanctum Athanaſium & Marcellum Ancyranum tractaverant, ait, non ſolum debuiſſe ſibi Pontifici ſcribere, verùm etiam omnibus Epiſcopis. *Nam ſi ut dicitis omninò in culpa fuerunt, oportuit ſecundum Canonem, & non iſtô modo judicium fieri, oportuit ſcribere omnibus nobis ut ita ab omnibus quod juſtum eſſet decerneretur.*

V. Revera continenti ſermone ait conſuetudinem eſſe, primò ſcribendi ad Romanum Pontificem, ut poſtea res ex æquo dirimerentur.

Digitized by Google

Ex quo concludit, ſi quis Epiſcopus, de Athanaſio loquitur, in tanti criminis ſuſpicionem venit, debuiſſe Eccleſiæ Romanæ renunciari; *An ignari eſtis hanc conſuetudinem eſſe ut primum nobis ſcribatur, ut huic quod juſtum eſt definiri poſſet. Quapropter ſi iſthic hujuſmodi ſuſpicio in Epiſcopum concepta fuerit id hùc ad noſtram Eccleſiam referri debuit.* Epiſcopum Romanum eſſe Epiſcoporum primum non dubitandum eſt. Quamobrem cum Euſebiani Concilio generali opus eſſe faterentur quod enixè poſtulaverant, *Martyrius Concilium generale poſtulavit*, cum Antiochiæ convenire ſtatuerant, ad Eccleſiam Romanam præviâ monitione referre debuerant. Quippe agenda erat cauſa Epiſcopi Eccleſiæ quam Apoſtoli condiderant. *Epiſcopi enim erant & non vulgares Eccleſiæ quæ iſta patiebantur ſed quam ipſi Apoſtoli ſuâmet operâ ad fidem inſtruxerant.* Igitur tanti ponderis negotium omnes Epiſcopi celare non poterant, ac præſertim Romanum, ad quem primum ex conſuetudine ſcribendum erat.

Solitariam hanc prærogativam Sedis Apoſtolicæ ex Epiſtola Julij cognoſcimus. Enimverò cùm graviora negotia, ſive habitâ ratione perſonarum, aut dignitatis Eccleſiarum, omnibus Epiſcopis ſignificari debeant & exponi: Jure merito uſus & conſuetudo invaluit, ut primùm Epiſcopo Romano renunciarentur, quem omnes Catholici, Eccleſiæ primum Epiſcoporum ſummo cultu ac veneratione proſequuntur.

CAPUT

CAPUT XIII.

Socratis & Sozomeni ſententia explicatur de conſuetudine ſcribendi ad Summum Pontificem, ſeu referendi cauſas graviores.

SOCRATES & Sozomenus qui hujus Epiſtolæ Julij ad Euſebianos ſcriptæ mentionem faciunt, plura non dicunt. Hæc ſunt verba Socratis. *Iulius itaque contrariis inter ſe litteris ad ipſum miſſis reſcribens Epiſcopis qui Antiochia convenerant graviter conqueſtus eſt: primum quidem de acerbitate ipſorum Epiſtolæ, deinde quod contra Canones ipſum ad Synodum non vocaſſent, cùm Eccleſiaſticâ regulâ interdictum ſit ne præter ſententiam Romani Pontificis quidquam ab Eccleſiis decerneretur.* Sozomenus qui Socratem exſcripſit, penè in omnibus congruit. *Ad Epiſcopos verò qui Antiochiæ convenerant, eorum enim tunc temporis acceperat Epiſtolam litteras ſcripſit, quibus eos accuſabat quod Nicæni Concilij fidem clanculò innovarent & quod præter Eccleſiæ leges ipſum ad Synodum non vocaſſent: legem enim eſſe pontificiam ut pro irritis habeantur quæ præter ſententiam Epiſcopi Romani fuerint geſta.* Socrat. l. 1. cap. 17. Sozom. l. 3. cap. 10.

Multa ex his locis habemus perſpecta.

I. Si quædam eſt penes Romanum Pontificem autoritas in Synodis, & ejuſmodi, ut omnium decretorum eum eſſe participem neceſſe ſit: hoc jure potitur Eccleſiæ inſtitutione, *quod contra Canones........ cum Eccleſiaſtica regula*, non jure divino: hoc enim Socrates & Sozomenus ſilentio non prætermiſiſſent, neque ipſemet Julius Papa. Ex quibus intelligimus à veritate alieniorem mentem Da-» vidij, dum ait pag. 228. hanc regulam eſſe meram explica-

tionem

David pag.128. „ tionem juris cum Eccleſia nati, ab ipſamet Chriſti in„ ſtitutione trahentis originem.

Que cette regle n'eſt autre choſe que l'explication d'un droict né avec l'Egliſe qui a pris ſon origine dans l'inſtitution méme de IESUS-CHRIST.

II. Cum ex Epiſtola Julij Papæ ad Epiſcopos Antiochiæ congregatos certùm ſit eos debuiſſe ad omnes Epiſcopos ſcribere, mirum non eſt, ſi obſervent hiſtorici prædictum Papam conqueſtum eſſe vehementer, eo quod nullas ab eis litteras acceperit. His enim temporibus jam uſus invaluerat & conſuetudo, prævia monitione referendi majores cauſas ad primores Eccleſiæ Epiſcopos quas ſcire multùm ſalutis communis intererat.

Hoc igitur privilegium non ſolùm ad Pontificem Romanum attinebat, ſed & ejus ſodales Epiſcopos. Quamobrem exiguo tempore poſt exceſſum Julij, ſcripſit Liberius Papa Oſio Epiſcopo Cordubenſi *ſe rerum quæ in Eccleſia gerenda adminiſtratione contingebant nihil eum debere celare.* Quippè cùm Oſius non Papæ, aut Primatis dignitate ſed merito ac ſingulari virtute cæteris antecelleret. Sed ex eo non cõficitur Oſium fuiſſe ſuperiorem Liberio. Habitâ ratione hujuſce conſuetudinis, S. Baſilius ſcripſit Eulogio, Alexandro & Harpocrationi Epiſcopis Ægypti pro fide exulantibus *eos non debuiſſe communicare cum ſectatoribus Marcelli inconſultis ſuæ communionis Epiſcopis tam Orientis quàm Occidentis.*

Fragmenta ſancti Hilarij. pag. 47.

S. Baſil. Ep. 293.

Hæc Romæ vigebat conſuetudo tempore ſancti Gregorij cum ſcribit Eulogio Epiſcopo Alexandrino & Anaſtaſio Antiocheno: *Charitas quâ vobis valdè conſtrictus ſum tacere me minimè permittit: ut ſanctitas veſtra quæcumque apud nos aguntur agnoſcat*

III. Quamvis Socratem Sozomenus exſcribere ſæpè ſolitus ſit, non prætermittenda eſt eo loci elocutionis eorum diſcrepantia. Dicit Socrates *Eccleſiaſticâ regulâ interdictum eſſe ne præter ſententiam Romani Pontificis quicquam ab Eccleſiis decerneretur.* Alter verò, *legem eſſe Pontificiam ut pro irritis habeantur quæ præter ſententiam Epi-*

ſcopi

ſcopi Romani fuerint geſta. Adeo quemadmodum ex Socratis verbis conſequitur hoc privilegium Jure Eccleſiaſtico tantùm Epiſcopo Romano competere, conficitur ex Sozomeno hoc ſibi ipſi Pontificem Jus adſcripſiſſe, & vindicaſſe. Sed hiſtoricorum caliginem luce autographi Epiſtolæ Julij diſcutere oportet. Enimvero ſi res aliter, ac eas habet, referunt eos hallucinari non ſolùm opus, verùm etiam neceſſe eſt. Quippe cùm ipſi diu poſt Julium Pontificem floruerint, prorsùs incogitabile eſt eis magis perſpectas fuiſſe leges Eccleſiæ latas tempore Julij quàm ipſimet Julio. At verò non ait Pontifex fuiſſe legem aut regulam, ſed conſuetudinem, *an ignari eſtis hanc eſſe conſuetudinem.* Ergo hi duo hiſtorici per legem & regulam conſuetudinem intellexerunt, vel certè lectoribus imponunt.

IV. Cæterum maximè omnium intererat cognoſcere cauſam ſancti Athanaſij, quamvis enim eſſet privatus Epiſcopus, qui poterat ea ratione ſecundùm conſuetudinem in Concilio Provinciali ſuâ Sede diſpelli nunquam tamen in Jus vocatus coram Epiſcopis provinciæ fuerat. Non enim uſquam animadvertimus ei diem dictum ab Epiſcopis Provinciæ Alexandrinæ. Sed eum turba conjuratorum ad Concilium Tyri excivit trans mare, & extra provinciam in qua jure poterat judicari. Exciverunt pariter congregati Antiochiæ factioſi. His moleſtatur procellis propter fidei Nicænæ defenſionem, calumniis, injuriis ac probris afficitur. Oppugnat eum hæreticorum hominum turba, quæ ipſo ſublato totam Eccleſiam quam incredibili fortitudine ſuſtentat, opprimere contendit. Hoc igitur negotium maximè ab omnibus Epiſcopis debuit intelligi ac diſceptari, & jure merito conqueſtus eſt Julius de Antiocheni Conciliabuli Arianis: eo quod graviſſimam & maximam Eccleſiæ cauſam non ſolùm Papæ Romano, verum etiam cæteris orbis Epiſcopis inconſultis, diremerint.

I Jam

Jam dicendi locus eſſe videretur de Canonibus Concilij Antiocheni, atque iis comprobandi ſupremam in Epiſcoporum cauſis Synodorum autoritatem. Sed quoniam ut eſſent Arianorum hæreticorum fœtus, dubio procul rejicerentur: hos jam omittere neceſſe eſt, & de illis omnem diſputationem differre uſque ad tempora Concilij Chalcedonenſis, quibus conſtituta iis diſciplina ab univerſâ Eccleſiâ confirmata eſt.

Saltem inficiari nemo poteſt quartum Canonem Antiochenum, qui cauſas Epiſcoporum tangit, in Concilio Chalcedonenſi citatum & laudatum fuiſſe, & inter regulas ſacras ac divinas recenſitum nemine intercedente, uti ex continenti hujus operis lectione facilè intelligitur, cap.51. Ex quo manifeſtè conficitur Arianos affectaſſe diſciplinam Eccleſiæ, & non noluiſſe eam obſervatione conſequi uti famam ſibi conficerent & fidelium benevolentiam & amicitiam ſibi compararent. Licet enim ſint ab hæreticis confecti Canones, illos tamen fluxu temporis Eccleſia comprobavit, ſedatis furentium Arianorum motibus poſt mortem ſancti Athanaſij & ſancti Chryſoſtomi, juxta ſancti Auguſtini pronunciatum. *Hoc enim juſtum eſt ut cum mala hominum reprobamus, quæcunque in illis bona Dei reperimus, approbemus.*

S. Auguſt. l. de unico Baptiſmo pag. 82. L.B. inteřiùs.

CAPUT XIV.

Explicatur Concilium Sardicenſe anno Chriſti 347. ſub Julio Papa V.

DUo potiſſimùm explananda ſunt in Concilio Sardicenſi. Primò noſſe opus eſt autoritatem quam Summo Pontifici adſcripſit, & jus quo cenſuit Papam Romanum

Romanum cæteris antecellere Epiſcopis. Secundò an ſit jus novum quod penes Pontifices ante Concilium iſtud non fuerit.

Antequàm ad hanc diſceptationem aggrediamur, ſcire adhuc neceſſe eſt Eccleſiam vehementioribus procellis vexatam fuiſſe finitis Concilio Romano ſub Julio Papa, in quo Epiſcopi Catholici vicerant Arianos, & Athanaſium ad communionem admiſerant; & Antiocheno, à quo pulſis penitùs Catholicis Præſulibus, in locum Athanaſij Gregorius ab Euſebianis ſuffectus fuerat. Sicut enim ad ſuſtentandam Eccleſiæ Fidem Orthodoxorum fortitudo omni exceptione major viſa eſt; ad eandem penitùs tollendam Hæreticorum contumacia, fraudum ac vitiligationum omnium acceſſionibus fuit cumulata. Hæ contentiones adeò Rempublicam Chriſtianam miſcuerant, ut vix eſſet, qui pro rerum atrocitate, in tantâ calamitatum caligine eam recognoſcere poſſet. Prætereà Ariani tam acri ac vehementi incitatione adversùs Catholicos erant inflammati, & implacabiles, ut hic rerum ſtatus diu permanere nequiret. Quamobrem Concilij Sardicenſis coactionem Imperatores non procraſtinarunt ultra annum Chriſti 347. *Quapropter cooperante Dei gratiâ religioſiſſimi Principes nos ex diverſis Provinciis ex civitatibus in unum convocarunt cupientes ut ſancta Synodus in Sardorum civitatem conveniret, quo omnis controverſia præcideretur, & ejecto quicquid prava Fidei eſſet ſola in Chriſtum pietas ab omnibus retineretur.* Epiſt. Concilij Sardic. ad omnes Epiſcopos.

Verumtamen in hoc Concilio nihil de Fide definitum eſt. Cenſuerunt Epiſcopi ea ſufficere quæ in Concilio Nicæno fuerant conſtituta; vetitumque eſt ne quid ulteriùs de Fide ſcriberetur, aut alia profeſſio Fidei quam Nicæna ederetur, ut refert Athanaſius. *Tabellas nonnulli jactant quaſi ex Sardicenſi Synodo de Fide conſcriptas; ne legi quidem ſemel aut proferri ſinatis: nihil enim tale Concilium definivit. Quamvis enim certi homines nonnulla quaſi quæ* S. Athan. Epiſt. ad populum Antiochenum.

deeſſent Nicæno Concilio adſcribere vellent : idque acriter contenderent, Sancta tamen Synodus quæ Sardicæ convenit indignè id tulit decretoque ſancivit ne quid ulterius de fide ſcriberetur, & ſeſe contentos eſſe Nicæna fide declararunt, ut cui nihil deeſſet & in qua integra & ſolida pietas contineretur : neque edendã eſſe aliam profeſſionem fidei nè in illa quæ Nicææ ſcripta eſt ſuos numeros non habere videretur, néve illis quibus libido eſt ſemper nova ſtatuere occaſio ſuppeditaretur ut iterum atque iterum de fide definiant. Verùm accuratè recenſita ſunt negotia S. Athanaſij, nec non aliorum Epiſcoporum, ſcilicet Marcelli Ancyrani, & Aſclepæ Gazæi, qui non ſolùm ad communionem admiſſi ſunt, tanquam omni culpa liberi (uti contigerat in Concilio Romano ſub Julio Papâ) ſed judiciali ſententiâ declarati ſunt abſoluti, imperatúmque eſt Eccleſiis & Diœceſibus eorum, ut illos veros ac legitimos Epiſcopos haberent, & aliis in eorum locum inconſideratè ac ſummâ injuriâ ſuffectis, communione Eccleſiæ & omni aditu interdictum eſt ; iiſque familiariter uti ſivè litteris miſſis aut acceptis, omnibus lege confectâ ſpeciatim prohibitum eſt. Theodorus verò, Narciſſus, Acatius, Stephanus, Urſacius, Valens, Menophantus & Georgius Epiſcopi Orientis, qui timore exterriti ad Concilium adeſſe non erant auſi, crimine Hæreſis convicti omnes ſuis Sedibus depulſi, Epiſcopatu ſe abdicarunt & de Eccleſiâ deceſſerunt, eorúmque condemnationi, ſubſcribendi omnibus Epiſcopis neceſſitas fuit. *Ideò vos dilectos fratres & comminiſtros noſtros Athanaſium, Marcellum, Aſclepam cum cæteris comminiſtris noſtris innocentes & puros pronunciavimus litteris ad ſingulas paræcias miſſis, ut populi cujuſque Eccleſia cognoſcant ſui Epiſcopi ſinceritatem eumque pro Epiſcopo & habeant & ſpectent, iſtos autem more luporum in horum Eccleſias invadentes Gregorium, inquam, in Alexandriam, Baſilium in Ancyram, Quintianum in Gazam, eos neque Epiſcopos appellent, neque ullam*

cum

tum eis communionem habeant aut eorum litteras recipiant aut viciſſim mittant; Theodorum autem, Narciſſum, Acacium, Stephanum, Vrſacium, Valentem, Menophantum, & Georgium per metum huc ab Oriente non audentem venire, ſed tamen à beatæ memoriæ Alexandro depoſitum tum quia ille & cæteri ſectatores ſunt Arianæ rabiei, tum ob reatuum criminationem ſacroſancta Synodus communi calculo exauctoratos omninò ab officio Epiſcopatus ſubmovit, decrevimúſque eos non modo Epiſcopos non eſſe ſed ne dignos quidem fidelium communione; nam qui ſeparant Filium à Patre & verbum à ſuo Patre abalienant, æquum eſt eos ab Eccleſia Catholica ſeparari & alienos indignóſque haberi Chriſtiano nomine. Sint vobis igitur Anathema, eo quod verbum veritatis adulteraverunt. Præceptum ſiquidem Apoſtolicum eſt, ſi quis evangelizaverit vobis præter id quod accepiſtis Anathema eſto, cum his ne quis habeat communionem præcipite. Nihil commune luce cum tenebris: hos procul à vobis arcete, cum nulla ſit concordia Chriſto cum Belial. Cavete interim, dilecti, ne vel ſcribatis ad eos vel eorum ſcripta recipiatis. Quin & vos quoque ſtudete, fratres & comminiſtri noſtri, in ſacris obeundis ut ſpiritu præſentes in noſtra Synodo idem ſuffragium conferatis per veſtras ſubſcriptiones quo ab omnibus ubique ſacrorum miniſtris concordia ſervetur.

Ex his facilè intelligitur Concilium Sardicenſe plus præſtitiſſe, ſeu plura conſtituiſſe Concilio Romano, in quo S. Athanaſius ad communionem tantùm admiſſus eſt: omiſſa judiciali ſententiâ ſive reſtitutionis in Sedem Epiſcopalem, ſive excluſionis eorum qui in locum ejus ſuffecti fuerant. Quæ cùm ita ſint obſtupeſco temeritatem Dav- Pag. 220.
vidij, aſſerentis Concilium Sardicenſe in Epiſtola ad Epiſcopos Eccleſiæ Catholicæ his tantum verbis uſum eſſe ut ea quæ conſtituta fuerant ſuper reſtitutione S. Athanaſij exprimeret. *Scribentes ad uniuſcujuſque Parochiam ut ſingularum Eccleſiarum populi cognoſcentes Epiſcopi ſui puri-*

 tatem

tatem, cum ſe Epiſcopum & habere & ſperare cognoſcant. Nam ex ea intelligimus. 1. Ab omni culpâ liberum renunciatum fuiſſe cum Marcello Ancyrano & Aſclepa Gazæ. 2. Fuiſſe interdictum communione iis qui in eorum locum ſuffecti fuerant. 3. Eos pro Epiſcopis habere vetitum eſſe. 4 Prohibitum eſſe ad eos ſcribere, aut ab iis viciſſim litteras accipere. 5. Plures alios Epiſcopos Arij ſectatores depoſitos fuiſſe. 6. Omnibus Eccleſiæ Præſulibus impoſitum fuiſſe eorum condemnationi ſubſcribere. Enimverò cum hæc omnia non ſint in Concilio Romano conſtituta, nec Julij Papæ auctoritate fulta, mirum non eſt de iis nullam feciſſe mentionem, ſed multò magis obſtupeſco temeritate Davidij, quem ex collatione litterarum Julij & Concilij Sardicenſis falſi crimine convincere non eſt difficile. Prætereà Concilium Sardicenſe multos Canones fecit ſpectantes ad diſciplinam Eccleſiaſticam ſcilicet viginti aut viginti unum, ac potiſſimum ad judicia Epiſcoporum; ex quibus jus ac privilegium Summi Pontificis in ejuſmodi cauſis intelligimus. Canon 3. ſic ſe habet. *Si quis autem Epiſcoporum in aliquo negotio condemnandus fuerit & exiſtimet ſe non malam, ſed bonam cauſam habere ut etiam rurſus judicium renovetur, ſi veſtræ dilectioni videtur Petri Apoſtoli memoriam honoremus ut ab iis qui judicaverint ſcribatur Iulio Romanorum Epiſcopo & per propinquos Provinciæ Epiſcopos ſi opus ſit judicium renovetur & cognitores ipſe præbeat, ſi autem probare non poteſt ejus cauſam eſſe talem ut eam rurſus judicari opus ſit, quæ ſemel ſunt judicata non infirmentur.* Ex hoc Canone patet ad cultum & honorem memoriæ S. Petri, quod ſi Epiſcopus poſtquam cauſa ceciderit eam juſtam æſtimet. 1. Epiſcopi Judices ſcriberent Julio Romanorum Epiſcopo. 2. Si opus eſt judicium renovabitur ab Epiſcopis Provinciæ. 3. Deputabit Papa cognitores ad diſquirendum utrùm diſceptatio cauſæ recenſenda ſit. *Et cognitores ipſe præbeat.* 4. Si autem probare non

poteſt

poteſt Epiſcopus judicatus, cauſam eſſe talem ut eam rurſus judicari opus ſit, quæ ſemel ſunt judicata non infirmabuntur. Multa ſunt circa hanc diſciplinam obſervanda ac ſuo momento ponderanda.

I. Hoſius, cujus ſuffragium hic Canon eſſe videtur, aliquid novi ſe inſtituere ſignificat his verbis, *ſi veſtræ dilectioni videtur.* Enimverò ſi jam hic uſus invaluerat, deliberandum non erat. Sed Sardicenſes Patres memoriæ Beati Petri novum cultum exhibere non noluerunt. *Beati Petri memoriam honoremus.*

II. Revera ante tempus Concilij Sardicenſis Epiſcoporum negotia Romæ tractata & agitata ex ſuperioribus capitibus intelleximus de fortunato & feliciſſimo Martiano Arelatenſi, Dionyſio Alexandrino & Sancto Athanaſio poſt Concilium Tyri. Sed ejuſmodi cauſæ Romam delatæ non fuerunt ab Epiſcopis qui eas judicaverant. Igitur aliquid novi voluit inſtituere Concilium Sardicenſe, *ut ab his qui judicaverunt ſcribatur Iulio Romanorum Epiſcopo.* Nam ſpatio trecentorum quadraginta ſeptem annorum, ſcilicet uſque ad tempus hujuſce Concilij, nullum cauſæ Epiſcopalis Romam delatæ, ab Epiſcopis primæ cognitionis judicibus exemplum occurrit.

III. Ad hujuſce negotij recenſionem Papa deſignat cognitores, *& cognitores ipſe præbeat* καὶ ἐπιγνώμονας αὐτὸς παρέχοι verſionem Dionyſij exigui, & Iſidori mercatoris textui græco præfert Davidius, quoniam hæc verba verſionis magis placent, *& det Iudices*, ex quibus concludit penes Papam exiſtere jus deſignandi novos Judices. Sed utcumque res ſint & hæc verba intelligantur, ſemper ex his aliquid novi exurgit. Quippè cum ante Concilium Sardicenſe poſtquam cauſæ in Concilio provinciali judicatæ fuerint, non inveniamus delegatos Judices recuperatorios; aut ad ſimplicem rei diſceptationem ſeu cognitionem aut, ad judicium iterandum. Verum igitur ver-

borum

Digitized by Google

borum iſtorum ſenſum faciliùs ex contextu græco videmur aſſequi. Ex quo perſpectum habemus Papam obtinere ab hoc Concilio jus deſignandi cognitores non ad ferendam ſupremæ cognitionis ſententiam, ſed ad diſceptandum utrum iſtud negotium ſecundæ cognitionis judicio ſubjiciendum foret. Enimverò Hoſius hoc ſuffragio nobis abundè ſignificat quales eſſe debeant Judices negotij iteratæ diſceptationi obnoxij. Deſignat enim Epiſcopos vicinos Provinciæ. Non ait hoc eſſe poſitum in poteſtate Papæ, cui deinceps jus delegandi *Cognitores* attribuit. Quod ſi de Judicibus intelligendum eſſet, hic Canon ſecum manifeſtè pugnaret, nam Papa deſignaret Judices qui ejus delegatione prætermiſſâ ex Concilio judicare non deſinerent. Ex his planiſſimè conficitur delegatos à Papa fuiſſe ſolum ad diſceptandum utrùm negotium recenſioni ſeu *reviſioni* foret obnoxium. Ex quibus conſtat Dionyſium exiguum & Iſidorum mercatorem per *Iudices* intellexiſſe ſolùm cognitores annexæ rei conditionis: neutiquam verò rei ſupremo judicio omninò excutiendæ. Enimverò ſi mens alia fuiſſet Concilij Sardicenſis, credibile non eſt deſignaſſe Judices ad iterandam diſceptationem litis novo judicio obnoxiæ, ipſos Epiſcopos viciniores Provinciæ.

IV. Verum hunc eſſe hujuſce Canonis ſeu ſuffragij Hoſij ſenſum dubitandi locus non relinquitur. Cum præſertim poſtquàm de Papa dixit *& cognitores ipſe prabeat* juxta textum græcum, vel *& det Iudices* juxta verſiones, *ſemel jam judicata non infirmentur*, ſi probare non poſſit Epiſcopus ejus cauſam eſſe talem ut eam rurſus judicari opus ſit.

Nam ſi ſtare poterat primum judicium, antequàm Epiſcopi vicini Provinciæ alterum pronuntiaſſent: manifeſtè conficitur hos cognitores ſive Judices à Papa deſignatos de re ipſâ judicium non tuliſſe,ſed de ſolâ rei recenſione ſcilicet *reviſione*. Igitur Hoſius in Concilio Sardicen-

ſi

ſi non exiſtimavit Romanum Pontificem Concilio provinciali antecellere : ſed ei ſolum tribuit jus dandi cognitores ad examinandum utrùm res judicata debeat iteratâ diſceptatione recenſeri, atque ab Epiſcopis Provinciæ vicinis in qua jam judicata fuit, novo judicio dirimi.

At verò quartus hujus Concilij Canon diſciplinæ ab eo quem mox examinavimus ſancitæ quædam adjungit. Sic ſe habet. *Gaudentius Epiſcopus dixit ſi videtur neceſſe eſſe adjici huic ſententiæ quam ſincerâ dilectione plenam protuliſti , ut ſiquis Epiſcopus fuerit depoſitus judicio Epiſcoporum qui ſunt in viciniâ ; & dicat rurſus ſibi defenſionis negotium competere non prius in Cathedram alius ſubſtituatur quàm Romanus Epiſcopus ſententiam tulerit.*

I. Conſtat Epiſcopum Gaudentium velle amplificare ſuffragium Hoſij , *ſi videtur neceſſe eſſe adjici huic ſententiæ.*

II. Quid facto ſit opus prætermittit ſuffragium Hoſij , poſtquam Epiſcopi vicini Provinciæ judicium emiſerinr.

III. Proponit Gaudentius, ut ſi quis Epiſcopus fuerit depoſitus , judicio Epiſcoporum qui ſunt in viciniâ & dicat rurſus defenſionis negotium ſibi competere, non prius in cathedram alius ſubſtituatur quàm Romanus Epiſcopus ſententiam tulerit. Hi duo Canones diſſimilitudinem habent , non repugnantiam ; ſed alter alterum quâdam acceſſione cumulat. Ambo novam proferunt diſciplinam de qua ante hujus Concilij ætatem nulla in orbe terrarum mentio fuerat. Ipſemet Davidius ab hâc mente alienior non eſt quippè cum de hoc Concilio ita loquatur , Capite 10. Articulo 2. pag. 336. linea 10. ex anterioribus Conciliis , ſolitaria Synodus Sardicenſis nominatim conceſſit " Epiſcopo Romano juriſdictionem generalem adversùs " omnes orbis Metrapolitanos, dum ei poteſtatem dedit judicandi de cauſis ad ſuum Tribunal per appellationem " delatis, paremque autoritatem delegandi Epiſcopos qui "

K

De Romano Epiſcopo adhuc mentionem facit hujuſce Concilij Canon 10. *Qui autem Romam accedunt, quemadmodum ſæpiùs dictum eſt, Dilecto fratri noſtro Coëpiſcopo Iulio preces quas habent dandas præbere debent ut ipſe prius examinet ſi aliqua earum non ſint impudentes.* Præterea Romani Epiſcopi nullam mentionem facit Conciliũ Sardicenſe. Hæc autem omnia ad quinque capita facilè recidunt.

I. Cùm Epiſcopus condemnatus fuerit Epiſcopi Judices ad Papam ſcribent litteras.

II. Si opus ſit, hujus negotij recenſionem Judicibus recuperatoriis delegabit.

III. Si ejuſmodi ſit negotium ut recenſione dignum judicetur, & Epiſcopus judicatus velit apud Pontificem Romanum iterum conqueri, non prius in cathedram alius ſubſtituetur, quàm Romanus Epiſcopus ſententiam tulerit.

IV. Scribet Romanus Epiſcopus ad Epiſcopos provinciæ ut judicent.

V. Si Epiſcopus condemnatus non deſiſtat conqueri poterit Papa à proprio latere Preſbyteros mittere, *& erit in poteſtate ipſius quodcumque rectè habere probaverit.*

Ad hæc capita recidunt omnia quæ de Epiſcoporum cauſis in Canonibus Sardicenſibus habentur. Si ante tempus hujuſce Concilij hæc confecta reperiantur, verè loquitur Davidius dum ait pagina 448. hoc ſolum novi contigiſſe in Concilio Sardicenſi quod legem nominatìm ſancivit de jure quo nunc potiuntur Romani Pontifices recenſendi cauſas, jam in Conciliis provincialibus judicatas quod tamen penès ipſoſmet fuiſſe ante Concilium Sardicenſe ex ſolâ traditione intelligitur.

At verò ſi nullum exemplum proferri poſſit ex quo à temporibus Apoſtolicis uſque ad annum 347. ejuſmodi juris uſus exſurgat, nullâque ratione probari poſſit; dubitandum non eſt Concilium Sardicenſe legem ſanciviſſe de jure novo ac privilegio, quod penes Pontifices Roma-

nos nunquam fuerat, & cujus ſulcos in pulvere antiquitatis deductos, nec ex Scripturis nec ex traditione perſpicimus. Prætereà ſi hujuſce Concilij Patres hæc omnia privilegia penès Romanum Epiſcopum eſſe cogitaſſent, fuiſſéntque ex certa traditione perſpecta, quid erat neceſſe de iis deliberare? Cur dicebat Hoſius *ſi veſtræ dilectioni placet Beati Petri memoriam honoremus*? Cur Patres hoc jure conceſſo, penes Pontifices Romanos idem jus ſemper fuiſſe non intellexiſſent? Denique quid erat neceſſe nominatìm ſancire legem de re extra omnem dubitationis aleam poſitâ, de qua, inquam, ne minimus quidem dubitandi locus relictus fuiſſet?

CAPUT XV.

Explicatio continua Concilij Sardicenſis.

JAM verò juvat examinare an iſtud Concilium debeat Oecumenicum appellari, & tale reverà fuerit. Quod quidem faciliùs intelligere non poſſumus, quàm ex certo numero Epiſcoporum qui huic Concilio interfuerunt. Sed ut hanc quæſtionem bene perſpectam habeamus hujuſce Concilij duplicem ſtatum cognoſcere expedit.

I. Antequam Epiſcopi Orientis diſceſſiſſent, & Phillippopoli fuiſſent coacti: Ubi pſeudo-Synodum habuerunt, quam Sardicenſem nominarunt, unde litteras adversùs veri Concilij Sardicenſis Patres injuriis ac calumniis plenas ad Africæ Donatiſtas miſerunt.

II. Poſt hunc diſceſſum Epiſcoporum, quo tempore res Eccleſiæ meliore loco fuerunt. Hic enim eſt verus Concilij Sardicenſis ſtatus, quippè Epiſcopi Hæretici qui diſceſſerant ei neutiquàm intereſſe debuerunt, cùm eis ferè omnibus Eccleſiæ communione interdictum fuerit.

Davidius

Davidius pag. 479. citat Sancti Athanaſij locum ex Epiſtolâ ad ſolitarios, ex quâ hunc numerum perſpicimus. *Conveniunt igitur ab Oriente & ab Occidente in urbem Sardicam plus minus C L X X.* At verò ex Epiſtolâ pſeudo-Synodi Sardicenſis ad Donatiſtas intelligimus diſceſſiſſe octoginta & coïviſſe Phillippopolim. *His itaque cognitis, nos octoginta Epiſcopi qui propter pacem confirmandam Eccleſiæ ex diverſis longinquis provinciis cum ingenti exitu & labore ad Sardicam veneramus.* Ex quo conficitur verum Concilium Sardicenſe poſt hunc diſceſſum conſtitiſſe tantùm nonaginta Epiſcopis. Proindéque CLXX. ante digreſſum ſive diſtractionem Epiſcoporum. Sed argumentum habemus certiſſimum, ex quo facilè comprobemus numerum Epiſcoporum veri Concilij Sardicenſis conſtitiſſe tantùm octoginta circiter. Conſtat enim ante diſceſſum Orientalium fuiſſe Epiſcopos ex pluribus quam triginta-quinque Provinciis. *Synodus autem, inquit S. Athanaſius, ex pluribus quàm triginta-quinque Provinciis coacta, cognitâ Arianorum malitiâ permiſere Athanaſio cum ſuis ut cauſam diceret.* Dico, ex pluribus quam triginta-quinque Provinciis, nam falsò dicit Davidius Concilium conſtitiſſe ex omnibus Epiſcopis triginta-quinque Provinciarum. Quippè cùm ipſemet fateatur ex quindecim Orientis Provinciis quæ diſceſſerant ſolùm fuiſſe octoginta Epiſcopos, juxta Epiſtolam ſuprà citatam pſeudo-Synodi Sardicenſis ad Donatiſtas miſſam. At ſi, ut ipſemet cenſet Davidius, ex quindecim provinciis exiterunt tantùm octoginta Epiſcopi. Nemini mirum videri debet, viginti qui ſuperfuerunt ex triginta quinque, ſuppeditaſſe tantùm nonaginta Præſules. Sicque integrum Concilium ante diſtractionem Orientalium conſtitiſſe CLXX. Epiſcopis juxta ſuprà laudatum Sancti Athanaſij locum.

Epiſt. S. Athan. ad ſolit. pag. 818.

S. Athan. Apolog. 2. initio. Epiſt. ad ſolitarios.

Egò verò hoc ratiocinij genus optimum ac certiſſimum eſſe puto, ad inveniendum numerum Epiſcoporum qui

omnes illarum provinciarum epiſcopos coïviſſe, nullumque abfuiſſe. Quæ cum ita ſint grates deferre debemus Davidio, ſi ſolum 376. Epiſcopos huic Concilio interfuiſſe defendat, poterat enim admittere fortè octingentos, eodemque argumento probare. Sed aliæ difficultates ſolvendæ ſunt quas Davidius affert ex Baronio & aliis ſcriptoribus qui Sardicenſe Concilium Oëcumenicum eſſe arbitrantur.

S.Athan. Epiſt. ad ſolitarios.

I. Objicitur Epiſtola octoginta Epiſcoporum Orientalium ad Donaſtitas Phillippopoli coactorum, ex qua intelligimus immenſam multitudinem Epiſcoporum Sardicæ interfuiſſe quod certè de numero centum & ſeptuaginta dici non poterat.

Sed hanc objectionem elevare non eſt difficile. Enimverò huic teſtimonio nulla fides haberi debet quod nititur litis Inſtrumento mendaciis ac calumniis pleno. Talis autem eſt Epiſtola Orientalium in qua infinita mendacia facilè demonſtrarem. Contrarium prorſus teſtificatur ſanctus Athanaſius,ait enim nominatim huic Concilio adfuiſſe centum ſeptuaginta circiter Epiſcopos. Præterea hæc revera ſignificat Epiſtola Euſebianorum, confluxiſſe ad Sardicam immenſam multitudinem ſceleratorum omnium ac perditorũ qui rei homicidiorum, rei ſanguinis,rei cædis, rei latrociniorum, rei prædarũ, rei ſpoliorum,nefandorumque omnium ſacrilegiorum erant. Sed hos epiſcopos fuiſſe nôn dicit, licèt ejuſmodi calumniæ ad eos ſpectare videantur. Sed dato, non conceſſo ejuſmodi injuriis epiſcopos affici: vehementius argumentum proferri non poterit, ex quo falſum ejuſmodi teſtimonium perſpiciatur. Quippe cùm nihil ſit magis ab inſtitutis veritatis alienum quàm ejuſmodi criminibus veri Concilij Sardicenſis Epiſcopos onerare. ***Immenſa autem confluxerat ad Sardicam multitudo ſceleratorum ac perditorum adventantium de Conſtantinopoli, de Alexandria qui rei homicidiorum, rei ſanguinis,*** rei

lio Sardicenſi pluſquam trecentis Epiſcopis qui eo ſe contulerunt. *Noſtram verò innocentiam plures quàm trecenti* Pag.560. *Epiſcopis ſuis calculis comprobarint qui ex multis provinciis Ægypti, Libiæ, Galaciæ, Daciæ, Myſiæ, Thraciæ, Dardaniæ, Macedoniæ, Epiri, Teſſaliæ, Achaiæ, Cretæ, Dalmatiæ, Siſciæ, Pannoniarum, Norici, Italiæ, Picani, Tuſciæ, Campaniæ, Calabriæ, Apuliæ, Brutiorum, Siciliæ, Aphricæ universæ, Sardiniæ Hiſpaniarum, Galliarum, Britanniarum eo ſe ad Concilium contulerunt.*

Quamvis hæc objectio multùm conferre videatur ad tuendam opinionem Davidij, illam tamen omittere placuit, & mihi ſolutionem ſuppeditavit. *Obſervat enim hæc verba qui eo ſe ad Concilium contulerunt*, in textu græco non reperiri ſed ab autore verſionis Latinæ adjecta fuiſſe. Ait igitur Athanaſius innocentiam ſuam in Concilio Sardicenſi fuiſſe comprobatam, quod verum eſt, à pluſquam trecentis epiſcopis, ex quibus ſcilicet multi aberant, ſed Epiſtolæ à Concilio ſibi miſſæ ſubſcripſerant.

IV. Sanctus Athanaſius Epiſtolâ ad ſolitarios, ait, Pag.640. omnes admiratione fuiſſe commotos *cum viderent tantum cum Athanaſio animorum conſenſum & pacem agitari, erant enim plures in hoc numero quàm quadringenti tum è magna Roma, atque univerſa Italiâ, Calabriâ, Apuliâ, &c.* Hæc ſunt reverà verba ſancti Athanaſij, ſed eo loci de epiſcopis Concilij Sardicenſis non cogitat. Immò de iis qui poſt Concilium Sardicenſe cum Athanaſio communicarunt.

V. Objicitur locus ſancti Athanaſij ex Epiſtolâ ad ſolitarios. *Patres contra orbis coacto Concilio congregatiſque* Pag.660. *plus minus trecentis Epiſcopis Arianam hæreſim condemnarunt, oſtenderuntque eam alienam peregrinamque eſſe ab Eccleſiaſticâ fide.* Et paulo inferiùs loquens de Imperatore Conſtantio, *Ille verò quoniam omnes hæreſim fugiunt &* Pag.661. *ſana fides in Chriſtum confeſſionibus celebratur Synodum*

Digitized by Google

pluſquam trecentorum Epiſcoporum abrogat & Epiſcopos in exilium abjicit.

Eo loci ſanctus Athanaſius non loquitur de Concilio Sardicenſi ſed de Nicæno.

Enimverò narrat originem ac progreſſum hæreſis Arianæ. Dicit Euſebium & Arium egreſſos eſſe ſuis è ſpeluncis veluti lacertas, & eorum hæreſim à patribus in Concilio congregatis circiter trecentis fuiſſe condemnatam. Nihil de fide in Sardicenſi Synodo ſtatutum fuiſſe ſupra oſtendimus ex Epiſtolâ ſancti Athanaſij ad populum Antiochenum. At luce meridianâ clarius conſtat Concilium de quo loquitur S. Athanaſius in hac Epiſtolâ ad Solitarios, Hæreſim Arianam condemnaſſe eámque à fide Catholicâ prorſus alienam declaraſſe. *Arianam Hæreſim condemnarunt oſtenderuntque eam alienam peregrinamque eſſe ab Eccleſiaſticâ fide.* Igitur de Concilio Sardicenſi non loquitur S. Athanaſius in hac Epiſtolâ ad Solitarios, ſed de Nicæno. Hæc adeò videtur Davidio perſpicua veritas ut nulla res infirmare poſſit; quamobrem hanc objectionem Baronio & Binio propugnandam relinquit.

VI. Subjiciuntur Socrates, Sozomenus & Theodoretus qui ferè centum annos poſt Concilium Sardicenſe vixerunt, mentionémque faciunt frequentiſſimi cœtus Epiſcoporum Orientis & Occidentis qui huic Concilio adfuerunt.

Socrates lib. 2. Hiſt. cap. 20. Hæc ſunt verba Socratis libro 2. hiſtoriæ capite 20. *Synodus Sardicæ congregata eſt. Et ex Occidentis partibus trecenti circiter convenerunt Epiſcopi ut ſcribit Athanaſius, ab Oriente verò ſeptuaginta ſex tantùm adfuiſſe refert Sabinus.*

Ex iis quæ ſuprà diximus ad varios Sancti Athanaſij textus de Concilio Sardicenſi, perſpectum habemus errorem Socratis; niſi pro Epiſcopis qui Synodo conſederunt, habeat eos qui ſubſcripſerunt Epiſtolæ Synodicæ ad omnes

Pag. 596. Epiſcopos miſſæ, quam S. Athanaſius refert apologiâ 2. Ex quâ intelligimus trecentos in univerſum quadraginta

quatuor

quatuor Epiſcopos fuiſſe tùm qui adfuerunt cùm qui ſubſcripſerunt, ut ſupra in reſponſione ad objectionem tertiam obſervavimus.

At verò Sabinus cujus in fide Socrates ait ſeptuaginta ſex Epiſcopos Orientis huic Synodo adfuiſſe, ſcriptor eſt quidem antiquus cui nemo fidem adhibere debet Semiarianus, ipsâmet Socratis teſtificatione Concilij Nicæni ac fidei Eccleſiæ hoſtis acerrimus. Hæc ſunt verba Socratis lib. 1. hiſtoriæ capite 8. editionis Valeſij. *Nec Sabino Macedoniaco credamus qui imperitos ac ſimplices vocat eos qui in eo Concilio, ſcilicèt Nicæno convenerunt. Nam Sabinus Macedonianorum apud Heracleam Thraciæ urbem Epiſcopus qui diverſarum Synodorum acta unum in corpus collegit. Nicæni quidem Concilij Sacerdotes quaſi rudes ac ſimplices deridet, nec animadvertit ſeipſum quoque Euſebium qui fidem illam poſt diuturnæ inquiſitionis examen amplexus eſt ut imperitum ſimul criminari.*

Sozomenus cum Socrate convenit, nec tamen Athanaſium neque Sabinum citat. *Ex Occidentis quidem partibus trecenti circiter epiſcopi convenere; ex Occidente verò ſeptuaginta ſex.* Sed quoniam Socratem ſolet exſcribere Sozomenus, potuit cum Socrate errare cùm præſertim ſcriptor veridicus non ſemper audiat qui nihil falſi dicere audeat, ut nos docet S. Gregorius lib.6. epiſt.95. *Sed ipſam quoque Sozomeni hiſtoriam ſedes apoſtolica recipere recuſat, quoniam multa mentitur.* Quamobrem difficile eſt certiſſimum veritatis argumentum ex teſtimonio Sozomeni aſſumere. Lib. 7. hiſt. cap. 12.

Theodoretus cum iis minimè congruit. Ducentos quinquaginta Epiſcopos in Concilio Sardicenſi collocat. *Ducenti & quinquaginta Epiſcopi, ſicut eſt à veteribus memoria proditum Sardicæ in unum convenere.* Sed non minus his, eſt à veritate alienus. Iiſque omnibus antecellit Athanaſius qui nominatim teſtificatur circiter centum

& ſeptuaginta interfuiſſe epiſcopos tum Orientis cùm Occidentis. Ipſe enim aderat judiceſque rerum ſuarum hi Epiſcopi conſidebant. At verò cum trecenti quadraginta quatuor epiſcopi epiſtolæ ſynodicæ hujuſce Concilij ſibi miſſæ ſubſcripſerint, non difficiliter hi tres Scriptores hallucinati ſunt, hac enim epiſcoporum deluſi multitudine ſubſcribentium, omnes ad hoc Concilium coïviſſe ſibi finxerunt, atque iſtud Concilium Oëcumenicum æſtimarunt. S. Gregorius Magnus qui pari veneratione proſequitur ita ut quatuor evangelia quatuor Concilia generalia, his non adjunxit Synodum Sardicenſem. Utcumque res ſint ſatis ſuperque demonſtratum eſſe arbitror, ex his quæ mox de hoc Concilio explicuimus, enucleavimus ipſum conſtitiſſe tantum nonaginta Epiſcopis, toto tempore quo celebratum eſt. Hic autem numerus tenuis & exiguus nimis eſt, ad efformandum Concilium quod cum Nicæno, Conſtantinopolitano, Epheſino, Chalcedonenſi & aliis quæ Oëcumenica dicta ſunt, comparari poſſit, eorumque catalogo adſcribi.

CAPUT XVI.

Sententia Concilij Primi Carthaginenſis ſub eodem Papa Julio habiti anno 348. de cauſis epiſcoporum.

CUM poſt habitum Concilium Sardicenſe Gratus Epiſcopus Carthaginenſis ad Eccleſiam ſuam rediiſſet, & Africam Donatiſtarum ſchiſmate ac circumcellionum furore mixtam inveniſſet, Conſtans Imperator legatos miſit ſcilicet Paulum & Macarium, uti mentes diſtractas conciliarent pacemque componerent. Sed quoniam

niam Donatiſtarum gens erat exacerbatione furens, belli ac turbarum appetens, & in cupiditatibus ardens, hi legati quoſdam circumcelliones ad extremas anguſtias redegere, atque interfici juſſere, adeo ut Donatus Schiſmaticorum Carthaginenſis Epiſcopus exulare coactus fuerit ac ſedem deſerere. Hinc data eſt Epiſcopis Catholicis concurrendi libertas ac leges ſanciendi de diſciplinâ Eccleſiaſticâ, quas ex hoc primo Concilio Carthaginenſi intelligimus.

Ex his quæ ſuperſunt hujus Concilij actis perſpicimus, æſtimaſſe Patres è re Eccleſiæ eſſe, canones quoſdam condere de cauſis quæ exſurgere poſſent Diaconorum, Preſbyterorum, & Epiſcoporum, & ea ſemper mandata Concilij Sardicenſis nominatim citaſſe, quæ exequi ac perficere voluerunt.

Id planè conſtat canone quinto. Enimverò cum Privatus Epiſcopus Vegeſelitanus Patribus Concilij propoſuiſſet nullum in diœceſes admittere clericum aut ſacris initiare Laïcum prætermiſſo Epiſcopi conſenſu, Gratus Epiſcopus Carthaginenſis qui Concilio Sardicenſi interfuerat, dixit fore ut ejuſmodi obſervantia pacem cuſtodiret, ſeque meminiſſe ſimilis omnino legis in Concilio Sardicenſi factæ. *Hæc obſervantia pacem cuſtodit, nam & memini in ſanctiſſimo Concilio Sardicenſi ſtatutum ut nemo alterius plebis hominem uſurpet. Sed ſi fortè erit neceſſarius, petat à collega ſuo & per conſenſum habeat.* At certè ſi unquam citari debuit Concilium Sardicenſe, in cauſis Epiſcoporum potiſſimè videtur citari debuiſſe. Attamen non ſolùm prorsùs illud omiſerunt Concilij Carthaginenſis patres, verumetiam ab ejus mente paulò alieniores, diverſam ſtatuerunt diſciplinæ rationem, eamque vix anno elapſo poſt Concilium Sardicenſe, dum adhuc in vivis ſuperſtites erant Epiſcopi Concilij Sardicenſis, ipſeque Julius Papa cujus dignitas tot acceſſionibus cumulata

Sardicæ fuerat Petri ſedem occupabat. Et quod maximè mirum videri debet, ipſemet Gratus Epiſcopus Carthaginenſis qui Concilio Sardicenſi adfuerat autor eſt ſuffragij ſeu calculi ex quo factus eſt canon XI. Concilij hujus Carthaginenſis, & prorsùs contrariam diſciplinam Sardicenſi inſtituit. Sic ſe habet: *Gratus Epiſcopus dixit, manifeſtum eſt illum non eſſe Dei qui humilitatem contemnit, ſed diaboli qui ſuperbiæ inventor & princeps eſt. Vnde ſi quis tumidus vel contumelioſus extiterit in majorem natu, vel aliquam cauſam habuerit, à tribus vicinis Epiſcopis ſi diaconus eſt arguatur, Presbyter à ſex, ſi Epiſcopus à duodecim conſacerdotibus audiatur, univerſi dixerunt Epiſcopi: contemptus debet contumaciæ & ſuperbiæ ab omnibus frangi, cauſa verò pro perſonis à ſtatuto numero audiatur.*

Hæc diſciplina non ſolùm diſſimilitudinem habet cum decretis Concilij Sardicenſis, verùm etiam eſt prorsùs inaudita & incognita: huc uſque, diaconi ac Preſbyteri Juriſdictioni Epiſcopi ac cleri fuerant obnoxij; Antiſtites verò Concilij Provincialis primæ cognitioni. Sed in hoc Concilio Carthaginenſi duodecim Epiſcopis delegatur judicium Epiſcopi, ſex Preſbyteri, tribus diaconi. Ex quibus planiſſimè perſpectum habemus quam ſit intolerabilis & inſolens cogitatio Davidij, hoc privati exemplo probantis uſum ſive praxim Canonum Sardicenſium in cauſis Epiſcoporum.

Concil. Laodicæ-num can. 56. S. Cyprianus Epiſt. 28. & 55. David. pag. 633.

CAPUT XVII.

Cauſa Euphratæ Epiſcopi Colonienſis circa annum Chriſti 350.

INTELLIGIMUS ex actis quæ ſuperſunt hujuſce Concilij Colonienſis, Euphratam Epiſcopum Coloniæ hæreſis

reſis crimine convictum (quippè non credebat Chriſtum eſſe Deum) duobus Conciliis ea de cauſa congregatis fuiſſe depoſitum, & ſede Epiſcopali pulſum.

Porrò in eorum Conciliorum primo quinque tantum fuerunt Epiſcopi ut nos docet ſuffragium quod tulit Amandus Epiſcopus in ſecundo. *Amandus Epiſcopus dixit: ſiquidem in præſenti quando Euphratas à quinque Epiſcopis ſententiam accepit, me inter ipſos fateor eſſe conſentaneum qui epiſtolis meis ad eundem deponendum conſenſi.* Habemus in ſecundo ſuffragia Epiſcoporum quatuordecim qui eum eſſe abdicandum æſtimant. Hiſtoria ſancti Servatij Epiſcopi Tungrenſis qui huic Concilio interfuit, ſi non eſt ſuppoſititia, rem eandem teſtificatur. *Nulla mora ſingulis, pontificibus orationes ſimiles ad eandem normam diſtantibus. Euphratas deordinatur & Severinus qui tunc ex voluntate Dei aderat plenariè Catholicus & ſanctus in locum ejus exaltatur.* Binius Tom. 1. pag. 461.

Patet ex hoc negotio nequidem in mentem ullius veniſſe appellationem ad Romanam ſedem; neque litis recenſionem ſeu *reviſionem*, quam obtinere poterat Euphratas, minuſque adhuc legem Concilij Sardicenſis; qua prohibitum erat in locum abdicati Epiſcopi alterum inſtituere antequam Romanus Epiſcopus ſententiam tuliſſet. *Non prius in cathedram alius ſubſtituatur quàm Romanus Epiſcopus ſententiam tulerit.* Sed hujuſce rei certiſſimum argumentum ex hoc Concilio Colonienſi difficile eſt aſſumere. Hujus enim Concilij acta prorsùs ſuppoſititia videntur. Quippe ejus mentionem facimus, ne quibuſdam doctis qui vera hæc acta putant omiſſio noſtra diſpliceret. Concil. Sardicenſ. canon. 4.

I. Si inſcripti conſules veri ſunt, *poſt conſulatum Amantij & Albini*, certum eſt eos incidere in annum Chriſti 346. quo tempore incredibile eſt Euphratam jam in Concilio judicatum altero, fuiſſe hæreticum & Sede epiſcopali pulſum.

pulſum. Nemini enim homini dubium ſubolet, quin Euphratas adfuerit Concilio Sardicenſi anno 347. & miſſus fuerit eo finito cum Vincentio Epiſcopo Capuenſi Antiochiam, ad Imperatorem Conſtantium ut Epiſcopos quos ipſe ejecerat reverti pateretur. *Miſſus à ſancto Concilio in legationem Epiſcopis Vicentio Capuæ quæ metropolis eſt Campaniæ, & Euphrata Agripinæ quæ eſt metropolis totius Galliæ, ut pro Synodi decretis Imperator Conſtantius Epiſcopos quos ipſe ejecerat, in ſuas ſedes reverti pateretur; & in eam ſententiam à Conſtante pientiſſimo ad fratrem ſuum litteris datis quibus Epiſcopos iſti commendabat.*

S.Athan. Epiſt. ad ſolitarios.

II. Ex his intelligimus non poſſe horum Conciliorum tempus inveniri ante annum 347. quo Sardicenſe coactum eſt, at verò anno 348. legatione fungebatur Antiochiæ Euphratas circa tempus paſchale, ut refert Athanaſius Epiſtolâ ad ſolitarios. Et ſi inferiùs deſcendamus ad annum 349. S.Maximinus Trevirenſis Epiſcopus quem præfuiſſe huic Concilio acta teſtantur, nequidem adeſſe poterit, quippe ante hunc annum mortuus. Quamobrem nihil difficilius videtur quàm horum Conciliorum certum tempus certò cognoſcere.

Lege explicat. Godefridi Herman Doctoris Sorbonici ad lib.5. vitæ S. Athanaſij.

III. Præterea adſunt huic Concilio Dyſcolus Remenſis Epiſcopus de quo Flodoardus nullam facit mentionem & qui nunquam vixit, Deſiderius Lingonenſis epiſcopus & Simplicius Eduenſis qui diu poſt Concilium quinto ſæculo floruerunt, quique ſi huic Concilio adfuerunt ſpatio ſexaginta annorum Epiſcopatum geſſerunt, quod eſt valde abſurdum. Adeſt etiam huic Synodo Severinus Epiſcopus Senonenſis in ſedem Colonienſem Euphratis loco ſuffectus juxta hiſtoriam S. Servatij Tungrenſis Epiſcopi. Sed cùm hic Severinus ex ſolitariis hujus Concilij actis innoteſcat, incredibile videtur 25. annos poſt Concilium Nicænum, Epiſcopum adeò ſpontè ac libenter fuiſſe tranſlatum, atque Epiſcopos Concilij Sardicenſis,

ſis, in quo ad mentem Concilij Nicæni & antiquæ traditionis Epiſcoporum tranſlationes fortiter ac nervosè vetitæ fuerant, tam facilè conſenſiſſe.

Igitur neutiquam nobis expedit argumentum aſſumere ex actis apocryphis pſeudo-Synodi. Sed alter caſus ſingularis, in quem fortunæ temeritate incidiſſe videtur iſte Euphratas occaſione datâ legationis Antiochenæ ad Imperatorem Conſtantium autoritatem Conciliorum Provincialium in cauſis Epiſcoporum dirimendis mirificè confirmabit capite ſequenti.

CAPUT XVIII.

Cauſa Stephani Epiſcopi Antiocheni Epiſcopatu ſpoliati circa annum 348.

EUPHRATAS Colonienſis Epiſcopus, cum legatus iviſſet Antiochiam, ad Imperatorem Conſtantium, cùm Vincentio Epiſcopo Capuenſi: Stephanus Antiochenus, ut ex Athanaſio & Theodoreto diſcimus, Arianorum factioni addictus, inſolenti fraude & horribili malevolentiâ ſuffuſus, eum ludificare tentavit.

Ideò tempore Paſchæ pellicem nudam per noctis obſcura ſilentia, in cubiculum Euphratæ diduxit, quæ cum ad ſpondam accedens non ſalaeem juvenem, uti ſperabat, inveniſſet, ſed venerabilem ſenem tegetibus & ſtragulis intectum, clamore magno conqueſta eſt ac crimine quaſi illati ſibi ſtupri accuſavit Euphratam. Quamvis autem ad ejuſmodi ſcelus patrandum, à Stephano & conjuratis eſſet accenſa, fraus adeo turpis atque impolita viſa eſt, ut accuſationem perſequi deſtiterit, ſic omnibus Stephani malevolentiâ ac conjuratorum patefactâ: *Suſcepto negotio con-*

M *ducit*

ducit ille, Stephanus ſcilicet *publicam meretricem in ipſis feriis ſanctiſſimi Paſchatis, eamque nudam per tenebras immittunt in ædes Euphratæ Epiſcopi. Meretrix autem quæ principio credebat juvenem eſſe à quo accerſeretur promptè ſequebatur. Poſtquam autem ita deſtituta ab illis hominem dormientem ignarum omnium intueretur diligentiuſque conſiderans ſenis vultum, ut Epiſcopi ſpeciem animadverteret, ſtatim clamorem edit, ac vim quiritatur? illi contra eam orare ut taceret & falſum crimen cum Epiſcopo concinnaret.*

S. Athan. Epiſt. ad ſolitarios pag. 637.

Tale fuit crimen Stephani, cui communione Eccleſiæ interdicendum erat etiam in articulo mortis canone 14. Concilij Arelatenſis, anni 8. Imperatoris Conſtantini, Chriſti verò 314 Igitur in jus vocatus eſt,ac de eo quæſtio habita, & hoc publicæ traditionis crimine convictus Infulis Epiſcopalibus jure ſpoliatus eſt,& in locum ejus Leontius ſuffectus, ille celebris epiſcopus qui propriâ manu teſtes amputaverat Euſtolij gratia, qua cum illi familiaritas quædam non turpis interceſſerat. *Itur in judicium, inquit S. Athanaſius, leno prodit eos qui meretricem accerſierant, illique deinde autorem iſtius rei Stephanum eſſe oſtendunt; erant enim ejus clerici qui cum lenone convenerant. Stephanus igitur Epiſcopali dignitate exuitur, & in locum ſufficitur Leontius ille caſtratus*, &c.

S. Athan. Epiſt. ad ſolitarios.

Theodoretus litis actionem amplificat: Ait enim Prætorem Antiochenum qui primus contra Stephanum expoſtulavit,rogaſſe Imperatorem uti negotij hujus diſceptationem ſuo judicio relinqueret, nec ad epiſcoporum Concilium rem adeò turpem & obſcœnam remitteret. Sed quoniam reponebat Stephanus & objectabat clericos non debere ſupplicio affici, diſceptationem rei fieri in palatio Imperator & magiſtratus juſſerunt.

L. 2. hiſt. cap. 9. & 10.

Igitur accerſitâ meretrice de ea ac pluribus aliis teſtibus quæſtio habita eſt ac potiſſimè quodam juniore qui veritatem vi verberum minimè coactus explicuit,teſtificatuſque

tuſque eſt omnem iſtam tempeſtatem Onagro impulſore excitatam qui totius conjurationis dux extiterat: qui verò Stephani ſceleris conſcij inſtigatione ac conſilio rem ſuſcepiſſe declaravit. Igitur Stephanus planè convictus fuit: de eo judicium ferre noluit Imperator neque Magiſtratus, ſed ſupremam cognitionem litis ad Epiſcopos remiſerunt ut prædictum Stephanum ſede Epiſcopali pellerent atque Eccleſiæ ſeptis judiciali ſententia arcerent. *Ad hũc modum ergo intellectâ Stephani improbitate, primum Epiſcopis qui tum aderant mandatum dans ut hominem abdicent Epiſcopatu, deinde illi ipſi eum Eccleſia penitus expellant.* Et idem ſcriptor infrà cap. 24. ſic ait: *Antiochia verò poſt Stephanum qui in Placidi locum ſuffectus conventibus Eccleſiaſticis ejectus fuit, Leontius Primatum capeſſit.*

Hæc omnia planiſſimè ſignificant poſt Concilium Sardicenſe ſicut ante, Epiſcopos in Conciliis provincialibus judicari non deſtitiſſe in Orientis partibus. Et quamvis objectare quidam poſſint Stephanum utpotè Euſebianũ non appellaſſe ab Euſebianorum ſententiâ ad Papam Julium: nec voluiſſe obtemperare legibus Concilij Sardicenſis ex quo diſceſſerant Epiſcopi Orientis & Philippolim fugerant, æſtimantes iſtam Synodem ſceleratiorum hominum coïtionem, ut ex Epiſtolâ Orientalium Philippopolim coactorum ad Donaſtitas miſsâ intelligimus. Ex his ſaltem certiſſimum argumentum aſſumere poſſumus ad concludendum nemini homini Orientis in mentem veniſſe, Concilium Sardicenſe ſpecialem legem tantummodo condidiſſe de jure quod penes Romanum Pontificem vi ac vigore traditionis & conſuetudinis jam dudum erat, aut Pag. 448. potuiſſe Papam cauſas Epiſcoporum judicare ac de iis prima vice cognoſcere ac quæſtionem habere uti palam multis ſuæ lucubrationis foliis ventilat Davidius.

CAPUT XIX.

Sententia Liberij Papæ de Cauſis Epiſcoporum judicandis. Julio Papa mortuo ſui Pontificatus anno 15. *ſucceſſit Liberius poſt quindecim dies anno Chriſti* 352.

ACCEPTAM referre debemus Theodoreto narrationem collationis quam habuit Conſtantius Imperator cum hoc Pontifice ut eum ad partium ſuarum rationes adjungeret, & à communione quam cum Athanaſio habebat diſtraheret. Ex qua facilem conjecturam capere poſſumus hunc Pontificem ſuæ dignitatis jura vehementer ſuſtentaſſe, ſi quid eis adverſum aut contrarium Imperator propoſuiſſet. Quippè cùm paratus eſſet exilij tædium pati & infinitos dolores ſuſtinere potius quàm ab Athanaſio deſciſcere: credibile non videtur ei vires pro ſuæ autoritatis defenſione animumque defeciſſe.

At verò ſi Jura vindicata Romano Epiſcopo à Davidio, vera ſunt, & ſi Pontifex primâ vice aut ſecundâ cauſas Epiſcoporum in Conciliis judicatas diſceptare atque examinare poteſt, nunquam citius hujuſce privilegij tabulas ac ſigna propalam collocare debuit quàm in hac collatione cum Imperatore Conſtantio. Verùm ſuper hoc negotio tranſactis annis quæ geſta ſunt in memoriam revocare opus eſt, de quibus jam iis quæ antecedunt capitibus diſſeruimus, ut de hac veritate nullus dubitandi locus relinquatur.

Poſtquam Athanaſius ab Euſebianis ſede fuit ejectus in Concilio Tyri, ab omni culpa liber in Concilio Romano ſub Julio fuit renunciatus, immo ab ipſomet Julio Pontifice,

Pontifice, ſi Davidio fidem adhibeamus, & ad communionem admiſſus eſt.

Utcumque res ſint inficias ire nemo poteſt quin fuerit ab omni crimine liber declaratus, & in ſedem reſtitutus in Concilio Sardicenſi cui Pontificis Romani Legati aderant. Quæ cùm ita ſint cum Imperator Conſtantius tot rogationibus Liberium ſollicitabat ne amplius cum Athanaſio communicaret, reſpondere protinus debebat Pontifex, aut omnis conjectura fallit, Athanaſium ab omni culpa abſolutum fuiſſe à Julio Papa deceſſore ſuo cauſamque ejus eſſe omninò finitam. Et ſi putaſſet obtemperandum eſſe Concilio Sardicenſi, ſi legem ſpeciatim ab eo ſancitam æſtimaſſet de jure Pontificio quod penes Epiſcopos Romanos erat vi traditionis ac conſuetudinis, ut auguratur Davidius, reſpondendum erat Conſtantio ejuſmodi negotium finitum atque omni terminatione concluſum lege ac conſuetudine Eccleſiaſticâ non poſſe recenſeri.

Interim tamen prorſus contrarium reſpondet Liberius: tantumque abeſt ut hoc negotium ſupremo Julij Papæ judicio concluſum æſtimet, cum immò rogat enixè Imperatorem uti novis judicibus iterandam litis cognitionem delegare velit. *Iudicia quidem Eccleſiaſtica*, inquit Liberius, *ô Imperator ſummâ cum æquitate fieri debent, quapropter ſi tua clementia ita viſum ſit judicium haberi jubeto. Et ſi Athanaſius videatur damnationem commeruiſſe tum ſententia prout eccleſiaſtici ordinis formula poſtulat, contra eum pronuntiabitur. Nam fieri non poteſt ut quemquam condemnemus de quo non factum ſit judicium.* Et infrà, *at ego æquum cenſeo ut prius proponatur generalis Epiſcoporum ſubſcriptio quæ fides in Concilio Nicæno expoſita confirmatur? Deinde ut fratribus noſtris ab exilio revocatis & ad ſuas ipſorum ſedes reſtitutis ſi iſti qui nunc tumultus cient fidei Apoſtolicæ aſſentiri comperiantur; tunc omnes contendamus Alexandriam ubi reus, ubi accuſatores & cauſæ eorum patro-*

ni ſunt: atque litigantium cauſa cognita diligenter, ſententiam de ea pariter feramus.

In hac Pontificis ad Imperatorem expoſtulatione quatuor ſunt attenta conſideratione penſanda.

I. Si in hujuſce litis diſquiſitione reus inveniatur Athanaſius *tum ſententia prout Eccleſiaſtici ordinis formula poſtulat contra eum pronunciabitur.* Ex continenti ſermone intelligimus, in quo ejuſmodi Eccleſiaſtici ordinis formula conſiſteret. Jam ſolùm animadvertere expedit, quod ſi Papa ſe hujuſce litis ſupremum judicem æſtimaſſet, novum Judicium Imperatorem non rogaſſet *judicium haberi jubeto.* Formula ſolitaria fuiſſet, ſcilicet ut re à cognitoribus diſcuſſa an iterum recenſeri deberet, eam Epiſcopi provinciæ vicini judicaſſent:Et ſi Athanaſius ad Papam provocaſſet, ſucceſſor ei dari non potuiſſet, priuſquam Papa judicium ſuum emiſiſſet. Saltem hoc videtur Liberius reſpondere debuiſſe, ſi Concilij Sardicenſis legi obtemperandum eſſe cenſuiſſet.

II. Non quoſlibet homines ad hoc judicium ferendum aptos idoneoſque exiſtimat.

Vult eorum fidem non eſſe ſuſpectam, quamobrem poſtulat ab Imperatore ut omnes Epiſcopi fidei Nicænæ ſubſcribant. *At ego æquum cenſeo ut prius proponatur generalis Epiſcoporum ſubſcriptio qua fides in Concilio Niceno expoſita confirmatur.*Ex his intelligimus clariſſimè Liberium non æſtimaſſe ad Judicia Eccleſiaſtica cum Epiſcopis Catholicis Arianos promiſcuè admittendos.

III. *Deinde* poſtulat *ut fratribus noſtris Epiſcopis ſcilicet, ab exilio revocatis & ad ſuas ipſorum ſedes reſtitutis, ſi iſti qui nunc tumultus cient fidei Apoſtolicæ aſſentiri comperiantur.*

IV. Poſtea: *Tunc omnes contendamus Alexandriam, ubi reus, ubi accuſatores, & cauſa eorum patroni ſunt atque litigantium cauſa cognita diligenter ſententiam de eâ pariter*

ter feramus. Hæc eſt formula ſeu regula antiqui Juris Eccleſiaſtici uſui temporis ſancti Cypriani planè congrua, de quo ſuprà locuti ſumus primo capite hujus operis ad locum Epiſtolæ 55. Sancti Cypriani Cornelio Papæ. *Nam cum ſtatutum ſit omnibus nobis & æquum ſit pariter & juſtum ut uniuſcujuſque cauſa illic audiatur ubi & crimen admiſſum & ſingulis paſtoribus portio gregis ſit adſcripta quam regat unuſquiſque & gubernet rationem ſui actus Domino redditurus oportet & utique eos quibus præſumus non circumcurſare nec Epiſcoporum concordiam cohærentem ſuâ ſubdola & fallaci temeritate collidere; ſed & agere illic cauſam ſuam ubi & accuſatores habere & teſtes ſui criminis poſſint.* Ex his autem luce meridianâ clariùs perſpicimus poſt Concilium Sardicenſe Eccleſiæ diſciplinam viciſſitudini non tam citò fuiſſe obnoxiam. Enimverò licet in pluribus Conciliis Epiſcopus fuerit judicatus, incredibile eſt Papam ejus ſe judicem æſtimaſſe, quippe qui novos judices ab Imperatore expetebat, ubi accuſatores & cauſæ patroni eſſent & haſce judicij conditiones formulam judicij Eccleſiaſtici nuncupabat *prout Eccleſiaſtici ordinis formula poſtulat.*

Præterea ſi Papa deceſſorem ſuum iſtiuſmodi negotij judicem ſupremum cenſuiſſet, cùm certum ſit Eccleſiam Romanam declaraſſe ſanctum Athanaſium ab omni culpa liberum ex teſtificatione Oſij, *quem vos & Romana Eccleſia & univerſa Synodus innocentem pronunciavit.*

Incogitabile prorsùs videtur eundem Pontificem propoſuiſſe Imperatori novi Concilij coactionem Alexandriæ ut iterum negotium recenſeretur, *prout eccleſiaſtici ordinis formula poſtulabat.*

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT XX.

Euſtatius Epiſcopus Sebaſtenſis ſede Epiſcopali pulſus & in eandem reſtitutus in Concilio Tyranenſi circa annum Chriſti 365.

SANCTUS Bazilius Magnus Cæſareæ in Capadociâ epiſcopus hiſtoriam abdicationis & reſtitutionis Euſtatij narrat: & hujuſce hominis imaginem pingit, Epiſtolâ 74. quam ad Occidentis Epiſcopos ſcripſit, ex qua bene intelligimus amplitudinem epiſcopalem non eſſe ſemper cum pietate ac fide individua ſocietate conjunctam.

Erat itaque, inquit ſanctus Baſilius, *unus* ex illis Euſtatius es Sebaſtia minoris Armeniæ qui plurimum excitabant turbarum. Hic olim inſtitutus ab Ario, cum is Alexandriæ florens, impias adversùs unigenitum Dei blaſphemias ſtrueret, ſectator illius & inter ſelectiſſimos diſcipulos connumeratus fuit. Poſteaquam verò ad ſuos reverſus à beatiſſimo Hermogene Cæſareæ Epiſcopo propter impiam opinionem condemnaretur, confeſſionem illi obtulit ſanæ fidei, atque ita manus impoſitionem ab ipſo obtinuit. Hac enim conditione primis temporibus ab Eccleſiâ admittebantur hæretici qui ſuos ejurabant errores; ubi verò dormitionem accepit Hermogenes, mox ad Euſebium ſe contulit ſcilicet Nicomedienſem callidum ac famoſum impietatis Arianæ defenſorem qui omnibus Eccleſiæ canonibus peſſumdatis à Nicomedienſi Cathedra ad Conſtantinopolitanam traductus fuerat. Inde poſt quibuſdam de cauſis pulſus, ad patriam ſeſe recepit, illique denuò erroris purgationem obtulit: ſed ita

ita ut relata eſt & obtecta mentis impietate quandam "
exhiberet verborum rectitudinem hujuſce profeſſionis "
fidei artificio, mox ubi fortuitò Epiſcopatum adeptus "
eſſet Anathematiſmam contra homoouſion in Synodo "
Ancyræ habitâ ſcripſiſſe deprehenditur. Ex illa ad Se- "
leuciam profectus cum illis quos ejuſdem habet opinio- "
nis ea geſſit quæ omnes norunt. At verò quoniam ſæpè "
hæretici ita ut dæmones *diviſi ſunt & non compuncti ſunt.*
Infelix Euſtatius Euſebianorum conjurationi addictus, Arianis uſus eſt adverſis. Igitur illum in jus vocaverunt, & de eo habita quæſtione in Concilio Milytinæ Epiſcopatu abire coëgerunt. Cum eo benevolentiùs non actum eſt à Catholicis, propter errores quos Conſtantinopoli publicavit. Eodem itaque tempore impoſita illi neceſſitas eſt, abdicandi ſe Epiſcopali magiſtratu ab Arianis & Epiſcopis orthodoxis. Sic homo quadam animi vi, ſed ingenio malo ac pravo, qui Eccleſiæ ludificatione totam pene Rempublicam Chriſtianam miſcuerat, fidei ac religionis anceps, ab omnibus tùm hæreticis hominibus cùm Catholicis viris, ſordidam repulſam paſſus eſt. Sed quoniam Arianorum hæreſis diriſſimis Eccleſiæ temporibus tanquam vitellus ovi in infinitarum ſectarum pullos coïverat. Apud Macedonianos Lampſaci coactos in Helleſponto, miſerabilis epiſcopus gratiam obtinuit: qui eum, teſte Socrate, deputaverunt cum Sylvano epiſcopo Tarſi in Ciliciâ, & Theophilo epiſcopo Caſtabalorum uti ferret Liberio Papæ & aliis occidentis epiſcopis profeſſionem fidei quam compoſuerant, quæ cum Antiochena nullam diſſimilitudinem habebat, & quæ impietate celatâ, conceptis verbis ſpeciem quandam fidei Catholicæ præ ſe ferre videbatur, ſenſumque prorſus alienum ſignificabat ab eo quem mente conceperant. Mirabili hujuſce profeſſionis fidei artificio Religionem Pontificis Romani, atque illorum Orientis Epiſcoporum ludificaverunt, & in frau-

Lib. 4. hiſt. cap. 12.

dem deduxerunt, qui omni cunctatione remotâ hos tres deputatos in communionem admiſerunt, litteraſque commendatitias dederunt ad orthodoxos Orientis Epiſcopos. His litteris mirificè uſus eſt Euſtatius ad obtinendam in Sedem reſtitutionem: invenit enim reverſus epiſcopos orthodoxos congregatos in Concilio Tyanenſi quibus occaſione datâ has litteras obtulit. Igitur his temporibus, altiſſimo & inſcrutabili Dei judicio, præter quod hominibus nihil eſt horribile ac pertimeſcendum, eccleſiæ hoſtis infenſiſſimus Arianorum conjuratione & Catholicorum autoritate divulſus, in Sedem Eccleſiaſticâ poteſtate reſtitutus fuit, annuente hæreticorum induſtriâ ac ſollicitationibus.

Enimverò Euſtatius Macedonianus ſive Semiarianus, quem Ariani Epiſcopatu abire coëgerant Melytinæ, & Catholici Conſtantinopoli, in Concilio Tyanenſi reſtitutus fuit à Catholicis, ope litterarum communicationis fultus, quas nomine Liberij & Occidentalium epiſcoporum obtulit: quaſque inſolenti fraude acceperat, occupato Pontificis & epiſcoporum animo, à profeſſione fidei conciliabuli Lampſaceni, quam ad ipſos detulerat. *Quæ verò ſunt illi à beatiſſimo epiſcopo Liberio propoſita, inquit S. Baſilius, ad quæ conſenſerit nobis clam eſt: niſi quod Epiſtolam attulit, per quam reſtitueretur, eam ubi Synodo Tyanenſi exhibuit in ſuum locum reſtitutus eſt.*

S. Baſil. Ep. 74.

David. pag. 284.

„ Hoc loco vindicare putat Davidius jus Romani Pon-
„ tificis ad epiſcopos in ſuas Sedes reſtituendos, quoniam
„ Concilium Tyanenſe cæco impetu obtemperat legi ſedis
„ Apoſtolicæ quæ epiſcopum reſtituerat Epiſcopatu abdi-
„ catum propter ſuſpicionem hæreſis in Concilio Nicæno
„ condemnatæ; ipſumque Concilium nunquam auſum
„ erat inveſtigare conditiones hujuſce reſtitutionis.

Sed hanc objectionem diluere non eſt difficile.

I. Ex Epiſtola Liberij quam Euſtatius attulit non intelligitur

ligitur ab eodem Papa judicium reſtitutionis pronunciatum, ſed ſolum ad communionem admiſſum fuiſſe Euſtatium. Qua de re certiores nos facit S.Baſilius eadem Epiſtola 74.qua rogat Epiſcopos Occidentis ut litteras ſcribant Orientalibus per quas eiſdem ſignificent conditiones quibus ad communionem admiſſus eſt. *Scribaturque Eccleſiis quibus conditionibus ad communionem admiſſus eſt.*

II. Dato non conceſſo, hanc Epiſtolam communionis eſſe ſententiam judicialem, propter hæc verba, *Epiſtolam attulit per quam reſtitueretur.* Hæc certè ſententia ultimæ ac ſupremæ cognitionis æſtimanda non eſſet : cum ea obtenta non recta via Euſtatius in Eccleſiam ſuam redierit, ſed ad Concilium Tyanenſe confugerit ſuam reſtitutionem rogaturus. Enimverò nihil magis ab obtemperatione cæcâ alienum videtur, quàm quod in hoc Concilio confectum eſt. Quippe cum accepta hac Epiſtolâ credibile ſit eam legiſſe patres Concilij, & continenti tempore admiſſum inter Catholicos Euſtatium ad eccleſiam ſuam juxta leges juris Eccleſiaſtici remiſiſſe. Jam verò neutiquam perſpicio argumentum ex quo Davidius hanc obtemperationem cæcam intelligat niſi fortè aſſumat ex his S. Baſilij verbis : *Quæ verò ſint illi à beatiſſimo Epiſcopo Liberio propoſita & ad quæ conſenſerit nobis clam eſt.* Quamvis hæc incognita ſive clàm eſſent. Certum eſt formam juris non fuiſſe prætermiſſam, & allatâ hac Epiſtolâ neceſſe fuiſſe Concilium ſententiam judicialem pronunciare. Præterea potuit hoc eſſe incognitum ſoli ſancto Baſilio de quo nulla mentio eſt in epiſtolâ Liberij, neutiquam verò multis aliis Orientis Epiſcopis ad quos ſcripta eſt qui Concilio Tyanenſi frequenti ſenatu aderant.

III. Sed tanta rerum molitione non opus eſt, ſatis enim intelligemus ex ſolitariâ Liberij Epiſtolâ, utrum Euſtatium in Sedem reſtituerit. Enimverò ſi nullam mentionem facit hujuſce reſtitutionis, ſed ſolum ſignificat Euſta-

tium conſenſiſſe fidei Nicænæ prætereaque nihil; certum eſt ex hac Epiſtola non poſſe intelligi judicium reſtitutionis à Pontifice Romano latam, in gratiam hujuſce Euſtatij. At in Epiſtolâ præter hæc verba nihil ad Euſtatium ſpectat. *Nam & hoc ipſum confitentur honoratiſſimi fratres noſtri Euſtatius, Silvanus & Theophilus: nimirum & ſeipſos & veſtram Caritatem ſemper hanc fidem ſervaſſe & ad extremum vitæ diem ſervaturos eſſe videlicet quæ fuerit à trecentis decem & octo Epiſcopis orthodoxis in urbe Nicæna probata, quæque & perfectam amplectatur veritatem, & hæreticorum multitudini ora obturet, eorumque doctrinam penitus avertat.* Cæterùm hæc Epiſtola tota in gratulatione verſatur, quam Epiſcopi Occidentis Orientalibus habuerunt de fide Nicæna, nec ſolum Liberij nomine ſcripta eſt, verùm etiam aliorum Occidentis Epiſcoporum. Igitur ex ea nihil aliud concludere ſeu colligere poſſumus, niſi Occidentales ad communionem admiſiſſe Euſtatium, qua re ab Orientalibus cognitâ ex Epiſtola Concilio Tyanenſi oblata, illum in ſedem reſtituerunt.

Epiſt. 11. inter epiſt. Liberij Tom. 1. Concil. Binij pag. 471.

Igitur ex ea nihil colligi poteſt in gratiam Romani Epiſcopi quod non æquabili ratione omnibus Occidentis Epiſcopis competat. Immò verò ex ea intelligimus tantâ modeſtiâ ac ſincerâ animi demiſſione præditum fuiſſe Liberium, ut ſe omnium Epiſcoporum infimum æſtimaverit: ſuamque ſententiam Orientalium confirmationi obnoxiam eſſe cenſuerit. *Id adeò quod veſtras ſententias & opiniones tum cum mea qui infimus omnium ſum, tunc cum aliorum Epiſcoporum Italiæ cæterarumque omnium regionum verſus Occidentem ſententiis conſentire concordareque oſtenderunt; Atque adeò confirmarunt.* Equidem ſcio quoſdam ſentire, non hac communicationis Epiſtolâ Euſtatij reſtitutionem fuiſſe decretam, ſed alterâ hac de cauſa ſpeciatim conſcriptâ. Hæc autem inveniri nuſquam poteſt, & de illa conjecturâ videtur incredibilis.

IV. Davi

IV. Davidius argumentum obfirmato pectore perſequitur, & quoniam, ut contendit, Pontifici Romano " ſcripſerunt Orientales, ejus eſſe cohibere mala in quibus " univerſa verſabatur Eccleſia & quibus occaſionem de- " derat nimia indulgentia quâ Euſtatium depravaverat: " Ex his concludit Epiſcopos Orientis de ſuprema eccleſiæ Romanæ authoritate non dubitaſſe in Epiſcoporum cauſis. Pag. 284.

Veriſſima concluſio, ſi vera eſſent omnia ex quibus aſſumitur. Sed primò falſum eſt Orientales ſcripſiſſe Romano Pontifici, nam ſolus Baſilius ſcripſit. Nec Pontifici Romano ſpeciatim Epiſtola inſcripta eſt, ſed omnibus Occidentis Epiſcopis. Secundò, neutiquam dicit indulgentiam ejus occaſionem dediſſe malis in quibus verſabatur Eccleſia. Sed ait Occidentis Epiſcopis, hinc neceſſe eſſe venire malorum iſtorum correctionem quippè cum iſthinc acceperit vires lædendi Eccleſiam ac publicandæ impietatis ſuæ fiduciam. *Quoniam igitur, inquit S. Baſilius, iſthinc vires accepit lædendi Eccleſias ac publicandi, impietatis ſuæ fiduciâ quam vos dediſtis ad ſubverſionem multorum uſus eſt, neceſſe eſt ut iſthinc quoque veniat malorum iſtorum correctio.* Falſiſſimum etiam eſt dicere, ejus eſſe cohibere mala in quibus univerſa verſabatur Eccleſia. De hoc enim nulla mentio eſt in Epiſtola ſancti Baſilij; ſed verus eorum omnium ſenſus eſt. Quod cum Occidentis Epiſcopi Euſtatij ludificationem ſuſtinuiſſent, faciliùs Orientalibus impoſuit, prudentiâque eorum eluſâ ſuam in ſedem reſtitutionem adeptus eſt. Sed cùm ſimulatæ virtutis ſpecies brevi tempore evaneſcat, in priſtinam hæreſim iterum lapſus eſt. Epiſt. 74.

Quamobrem ſcripſit S. Baſilius Epiſcopis Occidentis, quod eum tanto malo, primulùm occaſionem dederint, ei remedium admovere potiſſimè tenebantur; optimum fore ratus ſi Epiſtolam ad Eccleſias Orientis ſcriberent ex

qua conditiones intelligerent quibus ad communionem Euſtatium admiſerant; illumque ſcirent jam mutatâ ſententiâ evaſiſſe indignum benevolentiâ qua illi gratificati erant: *Scribaturque Eccleſiis quibus quidem conditionibus in communionem ſuſceptus ſit, ſimul verò adjiciatur quomodò tam mutatâ ſententiâ gratiam à patribus, qui tum erant, acceptam irritam reddat.*

CAPUT XXI.

Auxentius Epiſcopus Mediolanenſis, Urſatius, & Valens condemnati ſub Damaſo circa annum Chriſti 635.

SANCTUS Athanaſius in fine epiſtolæ quam ſcripſit Africanis, nos docet Damaſum Papam pluresque epiſcopos unà Romæ coactos Eccleſiæ communione inter dixiſſe Urſacio & Valenti vehementibus Arianæ hæreſis fautoribus. *Gratiam habemus & illius pietati & cæteris qui Romæ convenerunt quod Urſacio & Valente cum ſociis ſuis ejuſdem ſententiæ ejectis concordiam Catholicæ Eccleſiæ conſervaverint.* Ex eadem epiſtolâ perſpicimus Auxentium Mediolanenſem nondum Eccleſia & ſede epiſcopali pulſum fuiſſe, quippè cùm ſcribat ſanctus Athanaſius ſignificatis pontifici Romano Auxentij criminibus, ſe mirari cur nondum depoſitus geſtuſque ſit ex eccleſiâ. *Scripſimus dilecto Damaſo Epiſcopo Magnæ Romæ, contra Auxentium invaſorem Mediolanenſis Eccleſiæ, eumque non ſolum in communione eſſe Arrianicæ ſectæ, ſed præter hoc multorum ſcelerum reum eſſe quæ deſignavit cum Georgio ſocio ſuæ impietatis, miramurque cur nondum depoſitus ejectuſque ſit ex Eccleſia.* Ab eo tempore Auxentius nomina-

tim

tim condemnatus fuit in Concilio Romano cui adfuerunt nonaginta epiſcopi Galli & Itali, ut refert Theodoretus lib. 2. hiſtoriæ cap. 22. *Nonaginta habuit epiſcopos ex Italiâ & Galliâ Romæ in unum coactos, &c.* Habemus apud eundem hiſtoricum Epiſtolam Synodicam, quam hoc Concilium ſcripſit ad Epiſcopos Illyrici, ferè omnes errorum lue hujuſce Auxentij pollutos, ac contagione fœtidos. Hæc autem ſola ſupereſt Epiſtola ex actis Concilij ex qua poſſimus aſſequi Epiſcoporum ſententiam, qui ei aderant, de ſupremis Epiſcoporum judiciis. Hæc enim omnia aſſumit Cardinalis Baronius ad concludendum penès ſummum Pontificem exiſtere jus atque autoritatem abdicandi Epiſcopos. *Vides ex his lector damnationem ac depoſitionem epiſcoporum eſſe Romani Pontificis opus: cujus rei* Annal. *gratia Athanaſius ex Ægypto Damaſum Papam literis in-* anno 369. *terpellat ut damnet atque deponat Auxentium.* At quid num. 36. verum ſit examinare nunc juvat.

I. Hi Epiſcopi à pluribus Galliæ & Venetiæ admoniti, de multis hominibus hæreſis Arianæ contagione pollutis, non dicant è re Pontificis Romani eſſe huic malo remedium adhibere: ſed officij ratione, penes omnes Epiſcopos eſſe excubare & totis viribus obſiſtere erroribus & eos coacto Concilio profligare. *Quod quidem malum ne exiſtat non modo præcavere debent Epiſcopi, verum etiam quicumque errores vel quorumdam inſcitiâ, vel ſimplicitate eorum qui perverſas interpretationes ſecuti ſunt in Eccleſiam invecti videntur hiſce opponere in Concilioque providere ne deinceps in varias diſcrepantéſque doctrinas prolabantur imperiti.* At verò ſi hæc omnia præſtare æquabili ratione ex officio ſit Summi Pontificis & aliorum Epiſcoporum; & ſi coactio Concilij modus ſit obſiſtendi erroribus, nullum jus ſingulare Romano Pontifici competit quo in cauſis epiſcoporum cæteris antecellat. Nec enim ex eo quod ſanctus Athanaſius aliique Africæ Epiſcopi eum de

de Auxentij criminibus admonuerint, aliud colligi poteſt, niſi partium ſuarum eſſe; ut principis & primarij Epiſcoporum, urgentibus malis Coëpiſcopos fratres convocare ad Concilium, remedium allaturos.

II. Quoniam epiſcopi ad tuendam Eccleſiæ doctrinam potiſſimùm inſtituti ſunt; ſe nominatim condemnaſſe Auxentium in hac epiſtolâ dicunt hi Epiſcopi. *Hac de cauſa à nobis deciſum eſt ut Auxentius nominatim condemnetur.* Non dicunt deciſum eſſe ut deponatur aut Eccleſiâ ejiciatur: quippe ſolum condemnatus fuerat in Conciliis Galliæ & Hiſpaniæ, in quibus præter ſententiam condemnationis nihil confectum intelligimus adversùs eum, & alios conjurationis ſocios Urſacium & Valentem, ex ſancto Athanaſio in Epiſtolâ ad Epictetum. *Diverſis Conciliis per Galliam & Hiſpanias & Romæ celebratis, omnes qui in eo conventu fuere iſtos lucifugas qui ſe ſe etiamnum occultant & quæ Arÿ ſunt ſapiunt, Auxentium Mediolanenſem, Vrſacium, Valentem & Caium Pannorum comminui calculo unius ſpiritus incitatu Anathemate percuſſerunt, eo quod iſti ſibi nomina vindicaverint Synodorum, cum nulla ſit in Catholicâ Eccleſiâ Synodus exiſtimanda præter unicam Nicænam.* At verò ſi ex eo quod in Concilio Romano cui Damaſus Papa aderat condemnatus fuit Auxentius, conficitur eum fuiſſe depoſitum, quid vetat eandem aſſumere concluſionem ex aliis Conciliis in quibus æquabili ratione condemnatus apparet & anathemate percuſſus. Si verò ex eo quod in Concilio Romano fuit depoſitus cui Romanus Pontifex aderat, concluditur penès Papam exiſtere jus & poteſtatem abdicandi epiſcopos, nihil obſtabit quominus idem colligatur, in gratiam cæterorum epiſcoporum pariter præſentium.

Non enim credibile eſt hoc jus illi vindicari, quia huic Concilio præerat, quippe cùm Conciliis Galliæ & Hiſpaniæ in quibus pariter condemnatus fuit Auxentius quen-

dam

dam Antiſtitem præfuiſſe ac primum locum occupaſſe neceſſe ſit: cui tamen hoc jus vindicare nemini homini in mentem venit.

III. Dici etiam non poteſt hoc caſu obtemperatum eſſe legi Concilij Sardicenſis, quippè cum Romano Pontifici vindicet ſolùm jus ſecundæ cognitionis poſtquam ſcilicet cauſam epiſcopalem vicini provinciæ Epiſcopi iterata diſquiſitione recenſuerunt. Non enim ea ratione tractatum eſt negotium Auxentij de quo primæ cognitionis judicium Concilium Romanum tulit. Præterea prorsùs incredibile eſt in cogitationem patrum hujuſce Concilij Romani incurriſſe obtemperationem decretis Concilij Sardicenſis; quippè cùm crimine poſtulabantur Auxentius, Urſacius, Valens & Cajus Pannoniæ, *eo quod ſibi vindicarent nomina Synodorum, cum nulla ſit in Eccleſiâ Catholicâ Synodus æſtimanda præter unicam Nicænam*, teſte ſancto Athanaſio. Ex his concludimus his temporibus nondum in Occidente cognitum fuiſſe Concilium Sardicenſe.

IV. Dicent fortaſſe quidam eorum omnium nullam habendam eſſe rationem, quippè cum eruantur ex epiſtolâ ſancti Athanaſij ad Epictetum quam interpolatam fuiſſe ab hæreticis nobis ſignificat S. Cyrillus ſuis litteris 34. 35. & 38. & de qua nos admonet ad fidem veterum exemplarium corrigendâ.

Reſponſio facilis eſt, hanc quam laudamus eſſe his exemplaribus congruentem, eadem enim occurrit ipſiſſimis concepta verbis apud ſanctum Epiphanium & ſanctum Athanaſium, excerpta varia citant, ex illâ Theodoretus & Concilium Chalcedonenſe actione prima & decima-ſexta.

V. At inquiet alter quid neceſſe erat ſanctum Athanaſium cæteroſque Africæ Epiſcopos ſcribere Damaſo Papæ adverſus Auxentium ſi penes Pontificem frenandæ

Lege vitã S. Athanaſij D. Herman tom. 1. pag. 481.

O feu

ſeu reprimendæ temeritatis ejus ſingularis non extitiſſet autoritas?

Reſpondeo rem ita contigiſſe propter antiquam conſuetudinem ſcribendi, ad primarios orbis Epiſcopos ac præſertim Romanum de cauſis majoris momenti, cujuſmodi erat hæreſis Auxentij, ut hujuſce operis capite primo, oſtendimus de Martiano Arelatenſi Epiſcopo & 12. ac 13. quibus ſententias Julij Papæ, Socratis & Sozomeni explicuimus.

Ipſe verò jam ſponte peto cur epiſcopis Galliæ & Hiſpaniæ ſcriptum ſit? qui ita ut Concilij Romani patres Auxentium condemnaverant, ut nos docet ſanctus Athanaſius epiſtolâ ad Epictetum. Nec pigebit dicere eadem prorsùs ratione ſcriptum fuiſſe Romano epiſcopo & aliis, & ex his nullum ſingulare jus aut privilegium arrogari poſſe.

CAPUT XXII.

Sententia primi Concilij Conſtantinopolitani ſub Damaſo anno Chriſti 381.

CUm ex Concilio Nicæno certum ſit Synodis provincialibus competere jus ultimæ cognitionis judicio, cauſas Epiſcoporum finiendi, dum Concilium Oëcumenicum non exiſtit, ut capitibus quæ antecedunt 6. & 7. oſtendimus. Dubitare nemo poteſt quin Concilium Conſtantinopolitanum eidem maximè congruens ſit, cum in eo conſtituta, canone quinto apertè renovaverit. *Manifeſtum namque eſt quod per ſingulas quaſque Provincias Synodus provincialis adminiſtrare & gubernare omnia debeat ſecundùm ea quæ ſunt in Nicæa definita.* Enimverò cum in Eccleſiaſticis rebus gerendis nihil epiſcoporum cauſis

cauſis majus eſſe videatur *& Synodus Provincialis adminiſtrare & gubernare omnia debeat*, non eſt credibile has cauſas iſtiuſmodi juriſdictioni obnoxias non fuiſſe.

At illud Concilium mentem ſuam melius explicat Canone 6. quo totam rationem ſive actionem litis Epiſcopi in jus vocandi exponit.

I. Decrevit ut ſi quis non hæretici, nec ullo crimine poſtulati, aut quibus communione non ſit interdictum epiſcopum accuſare voluerint, ad Epiſcopos provinciæ deferre teneantur. *Eos jubet ſancta Synodus primum quidem apud provinciæ epiſcopos accuſationem perſequi, & apud eos probare crimina epiſcopi qui aliquarum rerum accuſatur.*

II. Si epiſcopi provinciæ accuſatum emendare aut punire non valeant, poſtquam accuſator mulctam accuſato reo & convicto imponendam ſolvere promiſerit accuſatio ad majorem Synodum ſcilicet Diœceſis deferetur. *Quod ſi evenerit ut provinciales epiſcopi crimina quæ Epiſcopo intentata ſunt corrigere non poſſint, tunc ipſos accedere ad majorem Synodum Diœceſis illius Epiſcoporum pro hac causâ convocatorum, & accuſationem non prius intendere quàm æquale periculum ſibi ſtatuant, ſiquidem in rebus examinandis accuſatum Epiſcopum calumniari convicti fuerint.* At verò diligenter obſervandum eſt per Diœceſim non ſignificari talem provinciæ ſortem qualem hodie Epiſcopi adminiſtrant ſeu gubernant, ſed multarum provinciarum conjunctionem unius epiſcopi juriſdictioni obnoxiarum. Quippè manifeſtum eſt tres in Orientis Imperio fuiſſe ejuſmodi Diœceſes, ſcilicet Aſiæ, Ponti & Thraciæ præter Patriarchatum Antiochenum & Alexandrinum.

III. *Si quis autem iis quæ ut prius declaratum eſt decreta fuerunt contemptis auſus fuerit vel Imperatoris aures moleſtiâ afficere, vel ſecularium principum judicia, vel*

univerſalem Synodum perturbare neglectis Diœceſis epiſcopis eum nullo modo ad accuſationem admittendum ut qui Canonibus injuriam fecerit & eccleſiaſticum ordinem everterit.

Hanc ſeriem actionis præſcribit Concilium Conſtantinopolitanum in diſceptandis epiſcoporum cauſis : Ex qua planiſſimè conſtat, Concilium Oecumenicum eſſe ultimum , vèrum & ſupremum tribunal Eccleſiæ. In hoc Canone nulla Romani Pontificis eſt mentio , nihil ad Concilij Sardicenſis leges ſpectat. Quamobrem ex hoc capite & iis quæ antecedunt colligere poſſumus ſpatio 24. annorum ſcilicet ab anno 347. uſque 381. novum jus in Concilio Sardicenſi ſtabilitum ſive ad ſedem Romanam appellandi privilegium prorsùs ignotum atque imperitum fuiſſe.

Objectiones quaſdam non prætermittendas proponunt ij quibus hæc ſententia non placet. Nam quaſdam proferunt quæ generatim omnes Canones & acta hujuſce Concilij ſpectant, alias verò ſpeciatim quæ ad ſextum canonem reſpiciunt.

Pag. 134. „ I. Inquit Davidius, ſi ſancto Leoni Papæ fidem habe-
„ re velimus , hujuſce Concilij Canones nondum ſuo
„ tempore ad Eccleſiæ Romanæ notitiam pervenerant.
„ Quippè cùm ſcribat Anatolio Epiſcopo Conſtantino-
„ politano qui in Concilio Chalcedonenſi ex his ad ſuam
„ dignitatem amplificandam acceſſiones fieri poſſe æſti-
„ maverat, *perſuaſioni enim tuæ in nullo penitus ſuffraga-*
„ *tur quorundam Epiſcoporum ante ſexaginta , ut jactas,*
„ *annos facta ſubſcriptio , nunquamque à prædeceſſoribus tuis*
„ *ad Apoſtolicæ ſedis tranſmiſſa notitiam , cui ab initio ſui*
„ *caducæ dudùmque collapſæ ſera nunc & inutilia ſubjicere*
„ *fulcimenta voluiſti.*

Revera fatendum eſt illis de Concilio Conſtantinopolitano Leonem mentionem facere, quippè cum in Concilio Chalcedo

Chalcedonenſi Anatolius epiſcopus Conſtantinopolitanus ex Canone 3. Concilij Conſtantinopolitani ſibi poſt Romanum epiſcopum ſecundam ſedem vindicare ſive arrogare tentaverit. Sed obſervandũ eſt primò S. Leonem non negare hoſce canones veros. Secundò, revera dicit à prædeceſſoribus Anatolij non fuiſſe ad notitiam Apoſtolicæ ſedis transmiſſam horum canonum ſubſcriptionem, ſed non dicit hos Canones ignotos fuiſſe. Enimverò quomodò ſedi Apoſtolicæ obſcuriores fuiſſent canones in Concilio Chalcedonenſi coram legatis ejus palàm & publicè altâ voce perlecti. Tertiò, quamvis S. Leo eos admittere recuſaret ne prærogativæ ſedis Conſtantinopolitanæ adverſus Antiochenam & Alexandrinam annuere videretur, attamen omninò rejicere non poterat in his quæ ſpectant epiſcoporum cauſas: quippè cùm ſtatuta in Concilio Nicæno renovent tantùm, quæ adeo ſancta atque inviolata cenſebat, ut à pluribus quàm trecentis decem & octo Epiſcopis è contra judicantibus abrogari poſſe non putarat. *Cùm tanto divinitus privilegio Nicæna Synodus ſit conſecrata ut ſive per pauciores ſive per plures Eccleſiaſtica jura celebrentur omni penitùs auctoritate ſit vacuum quicquid ab illorum fuerit conſtitutione diverſum.* S. Leo Epiſt. 53.

Igitur etiamſi ea quæ Conſtantinopoli geſta fuerant, ad aures Eccleſiæ Romanæ nunquam pervenerint, ſed ipſa Canones Nicænos ſemper admiſerit ex quibus Synodis Provincialibus jus vindicatur. Judicandi ac dirimendi epiſcoporum cauſas omni ad Papam appellatione remotâ, conſequitur manifeſtè Romæ & Conſtantinopoli id eſt in Oriente & Occidente omnes in eadem fuiſſe ſententiâ: Et nemini in mentem incurriſſe obtemperationem legibus Concilij Sardicenſis.

II. Objicitur locus ſancti Gregorij ex Epiſtolâ 31. lib. 6. ad Eulogium Epiſcopum Alexandrinum, & Anaſtaſium Antiochenum quo mentionem faciens Cyriaci Epiſcopi

 qui

qui in ſuis Synodis hæreſim Eudoxij condemnaverat, ait, *& Canones quidem Conſtantinopolitani Concilij Eudoxianos damnant, ſed quis fuerit eorum autor Eudoxius minimè dicunt; Romana autem Eccleſia eoſdem Canones vel geſta Synodi illius hactenùs non habet, in hoc autem eandem Synodum accepit quod eſt per eam contra Macedonium definitum.*

Ex his concluditur Canones Concilij Conſtantinopolitani nullius eſſe momenti. Sed de momento aut pondere Canonum Conſtantinopolitanorum non eſt quæſtio. Sufficit eos eſſe veros non ſuppoſititios ad probandum hujuſce Concilij Patres de Concilio Sardicenſi non cogitaſſe; ſed in poſſeſſione manſiſſe juris dandi epiſcopis in Concilio Provinciæ, vel Diœceſis, & ad Concilium generale provocandi ut ad ultimum ac ſupremum rerum Eccleſiaſticarum tribunal.

Præterea certum eſt ſanctum Gregorium hos Canones partim rejeciſſe propter Eudoxij hæreſim ſibi prorsùs incognitam, partim verò admiſiſſe in his quæ Macedonium ſpectant, & propterea iſtud Concilium non ſecus ac Evangelium ſumma veneratione coluiſſe. Enimverò incredibile eſt ſanctum Gregorium virum ſapientem & religioſum æquiparare voluiſſe illam Synodum cum Evangelio & aliis Conciliis Oecumenicis, cujus Canones ad notitiam nunquam pervenerant, quoſque Eccleſia Romana omninò rejecerat. Hoc tamen præſtat lib.1.Epiſtolarum epi . 24. ipſimet Eulogio Alexandrino & pluribus aliis ſcripta.

Præterea quia corde creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem, ſicut ſancti Evangelij quatuor libros ſic quatuor Concilia ſuſcipere ac venerari me fateor. Nicænum ſcilicet in quo perverſum Arij dogma deſtruitur. Conſtantinopolitanum quoque in quo Eunomij & Macedonij error convincitur, Epheſinum quoque primum in quo Neſtorij impietas judicatur. Chalcedonenſe verò in quo Euty hetis.

Dioſcori

Dioſcorique pravitas reprobatur totâ devotione complector: Integerrimâque approbatione custodio quia in his velut in quadrato lapide ſancta fidei ſtructura conſurgit.

III. Opponitur ſpeciatim contra hunc canonem 6. epiſt.8. Nicolai Papæ I. ſcripta ad Imperatorem Michaëlem, *quod provide Conſtantinopolinana Synodus Canonum ſuorum prohibere capitulo; quod tamen non apud nos inventum ſed apud vos haberi perhibetur.* Inde concluditur hunc ſextum Canonem Eccleſiam Romanam non cognoviſſe. Sed reſponſio facilis eſt. Immò hunc maximè recognoviſſe ac de fide illius non dubitaſſe quamvis in Archivis ſuis non inveniretur. Tom. 3. Concil. Binij pag. 431.

Quippè cum Nicolaus I. eum citet, ac ſignificet ſe ſcire hunc Canonem qui Romæ non occurrit, apud Græcos inveniri & ſervari: ejuſque autoritate jure in injuſto tritum ac male condemnatum Ignatium Patriarcham Conſtantinopolitanum comprobat. Nec deberi judices ſuſpectos aut inimicos epiſcopo dari demonſtrat. Utcumque res ſint, conſtat eo loci Papam conqueri ob violatam hujuſce Canonis diſciplinam, illamque Imperatori objectare.

Ex ſcriptoribus Eccleſiaſticis qui Romanæ curiæ gratificari voluerunt, nullus præter Davidium fortaſſe occurrit, qui ad probandum canonem eſſe ſuppoſititium, & nullius momenti, adduxerit epiſtolam Romani Pontificis, in qua prædictus canon citatur, plenam ſtomachi & querelarum ejus ad Imperatorem ob neglectam prædicto canone ſancitam diſciplinam. Præterea intelligimus ex hac epiſtola hunc Canonem ab Epiſcopis Catholicis fuiſſe confectum & ex quinta ejuſdem Papæ epiſtolâ ad Imperatorem eundem, Concilium Conſtantinopolitanum eſſe Sedis Apoſtolicæ autoritate fultum. *Et idcirco benè & optimæ ſanctæ ſecundæ Synodo Apoſtolicæ Sedis autoritate fultæ ita de Nectario placuiſſe teſtamur.* Tom. 3. Concil. Binij part. 1. ſect. 2. pag. 422. litt. E, exterius.

IV. In

IV. In medium adduci ſolet cauſa ſancti Chryſoſtomi qui ad Innocentium primum, appellavit nec ulla ratione huic Canoni 6. Conſtantinopolitano obtemperavit. Sed quam inſulſa ſit hæc objectio oſtendemus continenti ſermone hujus operis, dum ſerie temporum obſervatâ res ſancti Chryſoſtomi tractabimus capitibus 33. & 34. Nunc igitur ſatis eſt ſcire hunc Canonem & alios ejuſdem Concilij in antiquiſſimâ collectione canonum reperiri quæ lecta fuit actione 16. Concilij Chalcedonenſis quam publici Juris fecit Juſtellus anno Chriſti CIↃLↃCX. De his Canonibus mentionem facit Juſtinianus Imperator novella 131. dum ait: *Sancimus vim legum obtinere Eccleſiaſticos Canones qui à ſanctis quatuor, Conciliis conſtituti ſunt & confirmati: hoc eſt Nicano, Conſtantinopolitano, Epheſino, & Chalcedonenſi.*

Præterea Davidius, qui memoriâ labili aliquando vacillat, hunc eſſe verum Canonem ſextum agnoſcit, ipſumque citat pag. 675. linea 13. & 14.

Si adhuc objicitur hunc ſextum Canonem non reperiri in antiqua verſione Latina collectionis quam primus publicavit Juſtellus; Reſpondere poſſumus hanc verſionem Latinam eſſe truncam & mutilam, ut ipſemet teſtificatur Juſtellus, autoremque verſionis ad libitum traduxiſſe textum Græcum, atque ea ratione ac libertate omiſiſſe fortaſſe Canones Conſtantinopolitanos qui ſunt in collectione græca qua prætermiſit Epheſinos & adjunxit Sardicenſes in Græco autographo prætermiſſos. Præterea Davidius prorſus relinquit argumentum quod ex hac antiqua verſione poſſet aſſumere quam veneranda antiquitate putat indignam, quantumvis reluctante antiquo codice manuſcripto ad cujus fidem Juſtellus recenſuit & publicavit. Non miratur etiam hunc ſextum Canonem & alios eſſe Balzamonis Commentariis illuſtratos; Nec obſtupeſcit ſibi primulùm & nulli alteri dubium de illius

Canonis

Canonis ſexti veritate ſubolere, licet ad notitiam Romanæ Eccleſiæ ſtatim non pervenerit, quæ præſcriptam eo diſciplinam ſequi non deſtiterat.

Sed antequam huic capiti finem imponam, brevi digreſſione à propoſito declinare opportunum eſt ad mentis cæcitatem qua videtur laborare Davidius. Quippe cui ad extollendam Romani Pontificis autoritatem, eique vindicandam prærogativam quam nullus homo Catholicus in controverſiam vocat, ſcilicet capitis Eccleſiæ nomen, ſibi fingit apud ſcriptores Eccleſiaſticos reperiri ea quæ nunquam in eorum mentem incurrerunt. Enimverò hujus errationis mirificum nobis ſuppeditat argumentum paginâ 127. dum ait de Concilio Conſtantinopolitano.

Secundò, quoniam melior pars Epiſcoporum ſcribens " anno ſequenti Damaſo Papæ ut rationem ei redderet " eorum, quæ in Concilio geſta fuerant, his verbis men- " tem aperit ex quibus manifeſtè perſpiciamus à memoriâ " eorum non excidiſſe obedientiam & obtemperationem " quam ei debebant. Nominatim enim declarant Dama- " ſum eſſe caput Eccleſiæ cujus erant membra. *Nos velut* " *membra propria accerſiviſtis*, inquiunt, Epiſtola Synodica, " ac penes ipſum exiſtere curam & autoritatem convo- " candi Epiſcopos ad Concilium generale. "

In ore Davidij veritas ne micam quidem ſalis habet. Hæc enim Epiſtola legitur tomo primo Conciliorum Binij paginâ 539. exſcripta ex Theodoreti lib.5. hiſtoriæ cap. 9.

I. Non ſolitario Papæ Damaſo eſt inſcripta ſed Concilio Romano cui aderat. *Dominis honoratiſſimis & cum primis Reverendiſſimis fratribus ac collegis Damaſo, Ambroſio, Brittoni, Valeriano, Acholio, Amernio, Baſilio & cæteris ſanctis Epiſcopis in celebri urbe Româ convocatis.*

II. Ne verbum quidem de capite Eccleſiæ legitur, ſed ſolùm eos ab Epiſcopis Romæ coactis accerſitos fuiſſe.

P *Nos*

Nos velut propria membra accerſiviſtis.

III. Davidius expunxit ea quæ inter hæc verba *membra propria* & *accerſiviſtis* poſita ſunt, ut facilius convocandi Concilij generalis poteſtas penes Romanum Pontificem eſſe videretur. Nam ita ſe res habet. *Iam verò quoniam vos quo fraternam veſtram erga nos charitatem declararetis Concilio, voluntate ac nutu Dei Romæ coacto nos velut propria membra per Deo amantiſſimi Imperatoris litteras accerſiviſtis.* Ex quibus apparet hoc jus ad Imperatorem pertinere. De hoc jure quæſtionem habere non juvat, & fortaſſe ad rem quam tractamus, hæc digreſſio non multum deducere videbitur. Sed omittere nolui, fore ratus ut ex hoc fidei ſeu perfidiæ Davidij ſpecimine lectores intelligerent, ſumma cautione hominis verba eſſe auſcultanda ſinceritatis paulo ſuſpectioris: quippè qui in re minimè controverſa, dat verba & mendacia profert, antiquorum contextus conſcindit ac dilacerat, ſeu ad libitum expungit; licèt *indignum eſſe debeat conſcientiæ Chriſtianæ mendaciter defendere veritatem.*

Fœcundus Epiſc. Hermian. lib. 6. defenſ. trium capitul. pag. 124.

CAPUT XXIII.

Maximus Epiſcopatu Conſtantinopolitano abdicatus in Concilio primo Conſtantinopolitano.

NEgotium abdicati Maximi in Concilio Conſtantinopolitano mirabiliter comprobat neminem hominem Orientis aut Occidentis in cogitationem veniſſe obtemperandi legi Concilij Sardicenſis. Diſcimus ex Theodoreto lib. 5. hiſtoriæ cap. 8. poſt electionem S. Gregorij Nazianzeni ad Epiſcopatum Conſtantinopolitanum, habitam

bitam fuiſſe conjurationem cujus dux ac primipilus fuit Timotheus Epiſcopus Alexandrinus, qui ut ſchiſma conflaret in Eccleſia Alexandrinâ, & fecilicitati obſiſteret quam ex Gregorij creatione fideles percipere poterant, quemdam Philoſophum Cynicum cui nomen erat Maximo, elegit, qui factione ac præpotenti autoritate S. Gregorium ſponte abire Magiſtratu epiſcopali coëgit. Uti revera abiit in Concilio Conſtantinopolitano, ut ex oratione ejus 32. intelligimus. Ex eodem Theodoreto perſpicimus hujuſce coïtionis res iſti Maximo infeliciter proceſſiſſe, eoque Sede Epiſcopali in Concilio Conſtantinopolitano, ejecto, quam omni jure violato occupaverat, Nectarium in ejus locum fuiſſe ſuffectum, qui ſancti Chryſoſtomi deceſſor fuit, poſteaque omnes epiſcopos in ſuam quoſque patriam eſſe reverſos. *Sed ſequenti æſtate,* inquit idem Theodoretus, *cum ad eandem urbem Eccleſiaſticis iterum negotiis evocati plurimi rediiſſent Synodicam ab Occidentalibus Epiſcopis Epiſtolam acceperunt, qua incitabantur ut Romam ad Synodum quæ ibi maxima cogebatur ſe conferrent: Verùm hi longinquam quidem profectionem velut inutilem futuram deprecati ſunt. Epiſtolam autem miſerunt in qua procellam contra eccleſias excitatam ſignificantes illorum hac in re negligentiam denotabant.* Inter cætera autem ſignificaverunt Nectarium electum fuiſſe epiſcopum Conſtantinopolitanum, in Concilio generali de conſenſu omnium, coram Imperatore Theodoſio, & ſuffragio totius cleri & plebis. *Reverendiſſimum glorioſiſſimumque Nectarium in generali Concilio communi omnium conſenſu, & præſente religioſiſſimo Imperatore Theodoſio, cleroque univerſo, & cunctâ ſuffrante civitate Epiſcopum conſtituimus.*

Theodor. Editionis Sirmondi.

Theodor. l.5.cap.8.

Epiſtolâ Synodicâ apud Theodoretū lib. 5. hiſtor. cap. 9.

In hac Theodoreti narratione nihil appellationem Maximi ad Sedem Romanam ſignificat, aut diſciplinam in Sardicenſi Concilio ſancitam ſubolet. Ex ea ſolùm in-

telligimus Epiſcopum abdicatum Concilij autoritate, & in locum ejus alterum ſuffectum. Et ſi Theodoreto fidem integram adhibere velimus, hoc negotium, non fuit aliâ terminatione concluſum. Interim tamen opponitur epiſtola Concilij Italiæ Theodoſio Imperatori ſcripta, qua patet Damaſum Papam & epiſcopos Occidentis ad communionem admiſiſſe Maximum: ex qua Davidius aſſumit argumentum autoritatis ſupremæ quam Apoſtolicæ Sedi conatur vindicare in cauſis Epiſcoporum, & contendit Dominum de Marca perperam ex eadem Epiſtola prorsùs contrarium confirmare voluiſſe. Ideóque Davidius ait varias hujus epiſtolæ propoſitiones eſſe attentâ ac ſeriâ cogitatione penſandas.

„ I. Dicunt, inquit Davidius, penes ſedem Apoſtolicam „ fuiſſe jus ac poſſeſſionem inconſulto Concilio generali „ cognoſcendi ac judicio dirimendi cauſam Maximi. „ Suamque propoſitionem confirmare conantur, exem-„ plis ſancti Athanaſij & ſancti Petri epiſcoporum Ale-„ xandrinorum & plurium epiſcoporum Orientis qui ur-„ gente neceſſitate Eccleſiæ Romanæ Occidentalis Eccle-„ ſiæ capitis, fidem & auxilium imploraverant.

David. pag. 192.

Ad hanc primam propoſitionem reſponſio facilis eſt, ſcilicet hanc eſſe à Davidio gratis fictam & excogitatam nec unquam incurriſſe in mentem epiſcoporum Italiæ. Enimverò hi Epiſcopi non dicunt ad Sedem Apoſtolicam jure pertinere de hoc negotio quæſtionem habere inconſulto Concilio generali. Quippè cum de ſolitariâ Sede Romanâ non loquantur, ſed de Italiâ & toto Occidente à quibus antiquitùs penes omnes jus fuit implorandi auxilium, ac cauſarum judicium, quæ ad rempublicam Eccleſiæ univerſæ reſpexerunt, ejuſmodi fuerunt cauſæ ſancti Athanaſij, ſancti Petri Alexandrini ac plurium Orientis epiſcoporum. Hic eſt enim verus horum verborum ſenſus. *Nam cùm cognoviſſent ad hoc partium veniſſe*

Maximum

Maximum ut cauſam in Synodo ageret ſuam, quod etiam ſi judicium non fuiſſet, jure & more majorum ſicut & ſanctæ memoriæ Athanaſius & dudum Petrus Alexandriæ Eccleſiæ Epiſcopi & Orientalium plerique fecerunt ut ad Eccleſiæ Romanæ Italiæ & totius Occidentis confugiſſe judicium viderentur.

Qui dicit penes quemlibet epiſcopum eſſe jus implorandi auxilij Summi Pontificis & epiſcoporum Italiæ; non dicit Summum Pontificem vel quemlibet Italiæ Epiſcopum jure poſſe, privato ſuo judicio, cauſam ſeu litem dirimere: hæc enim toto cælo diſtant. Solet eſſe perfugium ad Romanum Pontificem & alios epiſcopos ut unà congregati frequenti Senatu judicent. Quemadmodum ſupremi Senatus Patres privatim ſollicitationibus litigantium inſtigantur ut coacto Senatu juri tuendo æqui ac propitij ſint. Sic unicuique petere quod ſuum eſt; judicibus reddere, competit· quamobrem cùm hi epiſcopi Imperatori Theodoſio ſignificant Maximum jure antiquo & conſuetudine fultum Romanæ eccleſiæ opem ſeu judicium imploraſſe Italiæ & totius Occidentis, nihil ſpeciatim vindicant Romæ, Italiæ aut Occidenti. Sed judices eſſe intelligunt, omnes epiſcopos Occidentis, ex quibus cum Orientis præſulibus, univerſæ Eccleſiæ tribunal ſive Concilium Oecumenicum exſurgit. Enimverò ex hac Epiſtolâ perſpicimus hos epiſcopos nullam ſibi prærogativam arrogaſſe præ Orientalibus ad hoc negotium dirimendum: ſed eò jura vindicata & cogitationes terminaſſe ut illud unà cum iis judicarent; nihilque ſperaſſe præter Concilium generale in quod omnes epiſcopi Orientis & Occidentis concurrerent. *Non prærogativam vindicamus examinis, ſed conſortium tamen eſſe debuit communis arbitrij.* Et infra. *Nec videmus eum poſſe aliter convenire, niſi aut is reddatur Conſtantinopoli qui prior eſt ordinatus, ſcilicet Maximus, aut certè ſuper duorum ordi-*

natione ſit in urbe Româ noſtrum orientaliumque Concilium

Ex his patet luce meridianâ clarius, nihil magis ab horum epiſcoporum mente alienum fuiſſe, quam vindicare Summo Pontifici autoritatem Concilio generali non ſubjectam, (quamvis hanc mentem eis adſcribat Davidius,) nihilque ab Imperatore Theodoſio, hac Epiſtolâ poſtulaſſe niſi ut unà cum Orientis epiſcopis hoc negotium dirimerent, habitâ ratione communionis quæ Orientis Epiſcopis cum Occidentis præſulibus intercefferat. *Nos autem à Beatiſſimo principe fratreque pietatis admoniti ut tuæ Clementiæ ſcriberemus Imperio poſtulamus, ut ubi una communio eſt commune velit eſſe judicium, concordantemque conſenſum.*

Pag. 193. & 194. II. Contendit Davidius quia ex hac epiſtolâ intelligit hos Epiſcopos Maximum ad communionem admiſiſſe, rectè conſequi eum quoque reſtituiſſe in Sedem Conſtantinopolitanam quam flagrantiſſimè deſiderabat.

„ Quoniam, inquit, admiſſio epiſcopi ad communio-
„ nem Romanæ Eccleſiæ, eſt ejuſdem in ſedem Epiſcopa-
„ lem reſtitutio.

Reverà ex hac Epiſtolâ hi Epiſcopi Maximum ad communionem admiſiſſe videntur, & ejus cauſam ſuſtinuiſſe, rati ſe debere eum eccleſiæ Conſtantinopolitanæ epiſcopum habere & recognoſcere. *Itaque cum Maximum epiſcopum receperant in communionem noſtra conſortia: Quoniam eum à Catholicis conſtitit epiſcopis ordinatum, nec ab Epiſcopatus Conſtantinopolitani putavimus petitione removendum.* Sed ex his non conſequitur, eum judiciaria poteſtate in ſedem reſtitutum fuiſſe. Certiſſimumque hujuſce rei habemus argumentum ex ipſamet epiſtolâ, qua conſtat pleniſſimè, hos Epiſcopos rogaſſe Imperatorem coactionem Concilij generalis, unicum conciliandæ pacis Eccleſiæ remedium, ad hujuſcemodi negotium dirimendum, & juridiciali ſententiâ Epiſcopatum urbis Regiæ Maximo

vel

vel Nectario vindicandum. *Nec videmus eam poſſe aliter convenire niſi aut is reddatur Conſtantinopoli qui prior eſt ordinatus, aut certè ſuper duorum ordinatione ſit in urbe Româ noſtrum Orientaliumque Concilium.*

Præterea nullum apparet in hoc caſu veſtigium obtemperationis Orientalium horum epiſcoporum. Semper enim fortiter obſtiterunt conſiliis & artibus hujuſce Maximi quem hæreſis Apollinaris crimine poſtulatum epiſcopatu ſpoliaverunt, *Maximum verò tanquam Apollinaris dementiæ participem epiſcopali dignitate ſpoliatum abdicarunt*; tuendæ verò electioni Nectarij diligenter præfuerunt, qui Sedis Conſtantinopolitanæ manſit poſſeſſor pacificus, nullóque coacto novo Concilio in omnium orbis epiſcoporum communione vixit & mortuus eſt. Theodor. lib. 5. cap. 8.

III. Putat Davidius hoc deſiderium Occidentalium poſtulantium ab Imperatore coactionem Concilij generalis eſſe quamdam remiſſionem ſpontaneam jurium Eccleſiæ " Romanæ pro bono pacis, quæ nulla ratione poteſt officere immutabilitati privilegij innixæ ac fultæ ipſa immutabilitate immobilis verbi Jeſu Chriſti. His ampullis projectis, nemo non expectat citationem textus evangelici ex qua diſertis ac conceptis verbis perſpectum habeamus jus ſupremo judicio dirimendi epiſcoporum cauſas penes Romanum Pontificem prætermiſſis Conciliis generalibus exiſtere. Interim nihilominus hoc præſtat, ſed contra citat tantùm hæc verba epiſtolæ epiſcoporum occidentis. *Non prærogativam vindicamus examinis.* Ex quibus apertè conficitur, neque epiſcopos Occidentis, neque Damaſum Papam, ſibi prærogativam aſſumpſiſſe ſupra Orientales in judiciis epiſcoporum. Pag. 195.

IV. Eadem paginâ comprobat epiſcopos Occidentis non eo jura ſua vindicata terminaſſe ut illud negotium unà cum Orientalibus in Concilio generali judicarent. Quoniam illud Imperatori propoſuerant tanquam pacis Ibid.

conciliandæ

conciliandæ inſtrumentum, neutiquam verò legem certam & firmam diſciplinæ eccleſiaſticæ.

Sed è contrà, reſpondeo Concilium ab his Epiſcopis fuiſſe propoſitum veluti certiſſimum inſtrumentum pacis conciliandæ. Quippè cùm generale Concilium ſit ſupremum Eccleſiæ tribunal cujus in ſumma poteſtate poſitum eſt leges condere, ac judicia omni appellatione poſtpoſita ferre de majoribus Eccleſiæ cauſis.

Ibidem. „ V. Tandem, inquit Davidius, quoniam ſuis adhærens „ figmentis Dominus de Marca, ſibi perſuaſit iſtud Con- „ cilium cujus mentionem faciunt in hac Epiſtola hi „ Epiſcopi, *ſit in urbe veſtra noſtrum Orientaliumque Con-* „ *cilium* eſſe debere Concilium generale ex Epiſcopis „ utriuſque Imperij coactum: hujuſce Epiſtolæ autores „ ipſimet inſulſam hanc interpretationem confutant, di- „ cunt enim legitimarum partium conſpectum ſeu præ- „ ſentiam eſſe neceſſariam. *Cujus allegationem præſentibus* „ *partibus æſtimavimus ſeſe pendendam.*

Reverà hi Epiſcopi, partes in judicio adeſſe non ſolùm opus eſſe, verùm etiam neceſſe æſtimabant, ad hoc negotium jure dirimendum. Quamobrem cùm Occidentales abeſſe Nectarium non dubitarent, ipſum judicare non debebant. Ideóque Concilij generalis convocationem Imperatorem rogabant. Ego verò qua ratione hæc contraria videātur Davidio non perſpicio. Scilicet, poſtulare ut partes præſentes ſint, & rogare Imperatorem convocationem Concilij generalis epiſcoporum Orientis & Occidentis, ad hujuſce litis diſceptationem judiciariam. Multas gratias referre teneremur Davidio ſi rerum ejuſmodi repugnantiam nobis explicare vellet. Enimverò ingenuè fateor me non ſatis ingenio valere ut eam perſpicere poſſim.

Quæ cum ita ſint, & facilè intelligat Davidius quantum hæc epiſtola ſuis Conciliis incommodet, eam in dubium eſſe vocandam ſibi perſuaſit, & animum intendit ad

ad inveniendas artes quibus eam ſuſpectiorem redderet. Profert duas litteras Damaſi Papæ ad Acholium relatas in fragmento Synodi Romanæ, habitæ ſub Bonifacio ſecundo, quam publici juris fecit Eminentiſſimus Cardinalis Franciſcus Barberinus poſt obitum Lucæ Holſtenij bibliothecæ Vaticanæ præfecti, quamque videre licet in libro ſub titulo Collectionis Romanæ, impreſſo Romæ anno Chriſti 1662. Porrò hæ litteræ manifeſtam præ ſe ferunt repugnantiam cum Epiſtolâ epiſcoporum Italiæ ad Imperatorem Theodoſium de Maximo. In his enim non ſolùm epiſcopali amplitudine, verùm etiam nomine Chriſtiano prorsùs indignus habetur. *Diverſis litteris dilectionis veſtræ, fratres chariſſimi, ſatis ſum contriſtatus eo tempore quo Deo præſtante heretici intereant abjecti, neſcio quos ex Ægypto venientes in poſtulatione contra regulam Eccleſiaſticæ diſciplinæ alienum à noſtra profeſſione in Conſtantinopolitana civitate Cynicum ad Sacerdotium vocare voluiſſe. Qui igitur is fuerit ardor animi, quàm fœda præſumptio ſcire non poſſumus.* Et infra pag.40. *Qui ergo conſenſus templo Dei & Idolis? quæ participatio Chriſto & Belial? Sed fortaſſe dicturi ſunt aliqui Chriſtianus erat. Huic homini qui in habitu Idoli incedit, nunquam adſcribendum nomen Chriſtiani: quia fieri non poteſt ut qui hinc placere gentibus deſiderat nobiſcum conſortium integræ fidei poſſit habere.* Perſpectâ tam manifeſtâ repugnantiâ nemini homini dubium ſubolere poteſt quin epiſtola epiſcoporum Italiæ ſuppoſititia ſit & falſa, Damaſi literæ veræ ſunt & genuinæ. Nullique in mentem venire poteſt his Damaſi litteris hanc epiſtolam crimine falſi eſſe arguendam, qui de illorum veritate ac certitudine dubitet. At Davidij labat conſilium & fixum non eſt, in tantâ rerum repugnantiâ, multas fatetur ſe ſuſtinere anguſtias, atque aliquandiu ſuſpectiores ſibi fuiſſe, ſive Epiſtolam epiſcoporum Italiæ, ſive litteras Damaſi.

Epiſtola Damaſi Papæ in collect. Romana Holſtenij pag. 37.

Pag.200.

„ Denique dicit ſe nullam artem invenire potuiſſe con-
„ ciliandarum rerum ejuſmodi. Et poſtquam rationes ex-
„ poſuit dubitandi, de litteris Damaſi, quarum alteram
„ ſtylo recenti ſcriptam, atque ab ætate hujuſce Pontificis
„ alieniori æſtimat: Hanc quæſtionem criticam relinquen-
„ dam putat, in qua ſæpiſſimè verum & veriſimile miſcen-
„ tur, & ſibi ipſi nunquam ratio ſatisfacit. Ideóque pergit ad concluſiones quæ ex his litteris aſſumerentur, ſi veræ eſſent & non ſuppoſititiæ, ratus earum ope fore ut multæ utriuſque Concilij Conſtantinopolitani ſub Theodoſio conditiones obſcuræ & ſalebroſæ explicarentur. Ego verò qui ab opinione Davidij ſponte deceſſi, ac quæſtiones criticas non ſolum perutiles, verumetiam neceſſarias ſemper æſtimavi, ad removendam omnem veri ac veriſimilis mixtionem, dicam libenter has Damaſi Papæ epiſtolas quibus adeo angitur eſſe certiſſimè falſas.

I. Quia antiquis omnino ignotæ fuerunt.

II. Propter repugnantias cum epiſtolâ Epiſcoporum Italiæ, quam publici juris factam fuiſſe fatetur doctiſſimus Sirmondus diu ante editionem appendicis ſuæ codicis Theodoſiani.

III. Quia de epiſtolâ epiſcoporum Italiæ nullus dubitavit.

IV. Quia referuntur hæ litteræ Collectionis Holſtenij in fragmento Synodi Romanæ quam prorsùs apocrypham continenti ſermone hujus lucubrationis demonſtravimus cap. 36. 5. hoc vocabulum *poſtulatio* quod in his litteris occurrit, novum eſt & ætati Damaſi Papæ non convenit, ipſomet fatente Davidio. Itaque neceſſe eſſe non arbitror inhærere in conſecutione, commorariquę ſententiâ, quam ex his epiſtolis conficit. Hæc enim ad quæſtionem noſtram nullâ ratione ſpectant: Et ſupremam Pontificis Romani poteſtatem omni appellatione remotâ ad Concilium generale minimè comprobant. Non majoris momenti

menti mihi videtur concluſio, quam aſſumit ex epiſtola epiſcoporum Italiæ, ſcilicet Nectarium fuiſſe electum in ſecundo Concilio Conſtantinopolitano, neutiquam verò in primo, contra ſententiam Theodoreti & Epiſtolam Synodicam quam refert hiſtoriæ lib.5. cap.9. quæ conceptis verbis habet Nectarium fuiſſe electum in generali Concilio Conſtantinopolitano coacto, anno ante hanc Epiſtolam ſcriptam elapſo. Enimverò hæc nulla ratione deducere videntur ad comprobandam legi Concilij Sardicenſis obtemperationem de epiſcoporum cauſis.

Immò verò quoniam hæc manifeſtè probant Orientales elegiſſe Nectarium, ex quo tempore reſciverant Damaſum Papam communicaſſe cum Maximo: Ex his conſequitur eoſdem Orientales parum fuiſſe de obedientiâ ac ſubmiſſione Sedi Apoſtolicæ debitâ ſollicitos; miniméque in mentem eorum incurriſſe ſupremam poteſtatem, ac nullis legibus obnoxiam libertatem, quam Romano Pontifici Davidius vindicat.

CAPUT XXIV.

Palladius & Secundianus Epiſcopatu ſpoliati Judicio Concilij Aquileienſis circa annum Chriſti 381. 15. *Pontificatus Damaſi.*

SI vera ſunt hujuſce Concilij quæ ſuperſunt acta, dieſque illis falsò adſcripta non eſt, ex his intelligimus (cum palàm in ſuſpicionem venerint Arrianæ hæreſis, hi Epiſcopi) Imperatorem Gratianum convocaſſe Antiſtites in urbe Aquileâ, ibique adfuiſſe ſanctum Ambroſium cum pluribus aliis, ſcilicet duobus ſupra triginta epiſcopis.

Primus inter eos fuit Valerianus epiſcopus Aquileæ, quem illis præfuiſſe credibile eſt. Prima fronte hi epiſcopi accuſati, reſpondere dubitarunt, præſertim Palladius, percontanti ſancto Ambroſio de divinitate, ſapientiâ ac poteſtate Jeſu Chriſti quem hi hæretici verum quidem Dei filium æſtimabant, verum Deum non credebant; conteſtati ſunt non reſpondere, niſi Concilio generali ex Orientis & Occidentis epiſcopis coacto.

At poſt multas contentiones cum ſubterfugiſſent quæſtiones ſibi factas, artificio infinitarum æquivocationum, tandem crimine convicti ſunt non credendi divinitatem filij Dei, & eam ob rem epiſcopatu pulſi & anathemate percuſſi. Hæc intelligimus ex Epiſtolâ quam ſcripſit hoc Concilium Imperatoribus Gratiano, Valentiniano & Theodoſio. *Horremus, Clementiſſimi Principes, tam dira ſacrilegia pravoſque doctores & ne ulteriùs populos deciperent quos tenebant, Sacerdotio putavimus abdicandos. Neque enim dignum eſt ut Sacerdotium ejus filij vindicent, quem negaverunt.*

Quæ cùm ita ſint, multâ ſunt conſideratione penſanda.

I. Quamvis ex actis hujuſce Concilij quæ apud Binium habentur Palladius & Secundianus epiſcopi fuiſſe non videantur: eos tamen fuiſſe dubitandi locus non relinquitur, ex Epiſtolâ Concilij ad Imperatores. *Nec ulli de hæreticis Epiſcopi ſunt reperti niſi Palladius ac Secundianus homines vetuſta perfidia.*

II. Iſtud Concilium adeò ſibi perſuadebat ſupremo judicio hanc litem finiviſſe, ut pronunciatâ ſententiâ eam exequi properaverit, & alios Epiſcopos in eorum locum inſtituere. Quamobrem Imperatorum auxilium imploravit ut hac Epiſtolâ patet. *Veſtram fidem, veſtram gloriam deprecamur, ut reverentiam Imperij veſtri deferatis autori cenſeatiſque impietatis aſſertores & adulteros veritatis datis apicibus Clementia veſtra ad judicia competentia*

petentia ab Eccleſiâ arcendos eſſe liminibus, ut in damnatorum locum per noſtræ parvitatis legatos ſancti ſubrogentur Sacerdotes.

III. Nunquam in mentem condemnatorum epiſcoporum venit perfugium ad Damaſum Papam, nec ad tuendam aut ſuſtentandam cauſam; Concilij Sardicenſis Canones adduxerunt, quibus prohibitum eſt alios Epiſcopos in Sede abdicatorum collocare ante judicium Summi Pontificis. Immò verò totis viribus contenderunt ut novum Concilium, Syrmienſe, ſcilicet, cogeretur, in quo ſuum negotium iteratâ diſceptatione recenſeretur. Sed adeo Concilij Aquileenſis Patres induxerunt in animum ſupremam judicandi poteſtatem, ut Imperatores rogare non deſtiterint, uti omnibus Conciliis ac coïtionibus ſicut Photini ſectatoribus illis interdicerent. *Photinianos quoque quos & ſuperiori lege, cenſuiſtis nullos facere debere conventus, & eam quæ de Concilio Sacerdotum eſt congreganda removiſtis petimus ut quoniam in Syrmienſi oppido adhuc conventus tentare cognoverimus clementia veſtra, interdicta etiam nunc coïtione reverentiam primum Eccleſiæ Catholicæ, deinde etiam legibus veſtris deferre jubeatis.*

IV. Cum igitur ex actis hujuſce Concilij planiſſimè conſtet Orientales eidem non adfuiſſe, ideòque generale neutiquam fuiſſe, ut ipſemet faſſus eſt ſanctus Ambroſius; Cùm etiam ex iiſdem actis perſpectum habeamus triginta duos Epiſcopos tantum interfuiſſe eidem Concilio, jam dubitandi locus nullus relinquitur quin omninò in Occidente prætermiſſa ſit diſciplina Concilij Sardicenſis; ac penes Concilium privatum jus fuerit judicandi ſupremæ cognitionis ſententiâ epiſcopos, omni appellatione remotâ ad Concilium generale aut ad Summum Pontificem.

Geſta Cõcilij pag. 545. apud Binium Tom. 1. Concil.

CAPUT XXV.

Actiones litis ſtatutæ ab Imperatoribus Gratiano & Valentiniano adverſus Epiſcopos Schiſmaticos Urſicini conjurationi addictos, circa annum Chriſti 381.

CERTISSIMUM atque optimum prætermiſſæ & ignotæ Concilij Sardicenſis diſciplinæ argumentum nobis ſuppeditat reſcriptum Imperatorum Gratiani & Valentiniani ad Aquilinum Romæ Vicarium. Hoc primo publicavit Cardinalis Baronius tomo 4. Annalium anno Chriſti 381. ex MS. codice Bibliothecæ Vaticanæ, deinde doctiſſimus Jeſuita Jacobus Sirmondus in appendice Codicis Theodoſiani anno 1631.

Appendix Codicis Theodoſij pag. 90.

Multa in gratiam Summi Pontificis ex hoc reſcripto intelligimus de cauſis Epiſcoporum Urſicini Schiſmati addictorum. Enimverò hoc Schiſma Pontificatus Damaſi anno primo, ortum adhuc durabat, fervorque illius ad annum 15. vehementer proceſſerat.

Si quæ ſcribit Ammianus Marcellinus, hiſtoricus Damaſo Papæ æqualis de hujuſce ſchiſmatis origine vera ſunt, magnam facit admirabilitatem his temporibus jam flagrans obtinendæ Pontificiæ amplitudinis furioſa cupido.

Ammianus Marcell. lib. 29.

Damaſus & Urſicinus ſupra modum ad rapiendam Sedem Epiſcopalem ardentes, ſciſſis ſtudiis aſperrimè conflictabantur, ad uſque mortis vulnerumque diſcrimina, adjumentis utriuſque progreſſis. Quæ nec corrigere ſufficiens Vincentius nec mollire vi magnâ coactus ſeceſſit in ſuburbanum. At in concertatione ſuperaverat Damaſus parte quæ ei favebat inſtante. Conſtatque in Baſilica Sicinni, ubi ritus Chriſtiani

eſt

eſt conventiculum uno die centum triginta ſeptem reperta cadavera peremptorum, efferatamque diu plebem ægrè poſtea delinitam, neque abnuo oſtentationem rerum conſiderans urbanarum, hujus rei cupidos ob impetrandum quod appetunt omni contentione laterum jurgari debere cum id adepti futuri ſint ita ſecuri, ut ditentur oblationibus matronarum, procedantque vehiculis inſidentes circonſpectè veſtiti, epulas curantes profuſas, adeo ut eorum convivia Regales ſuperent menſas: qui eſſe poterant beati revera ſi magnitudine urbis deſpectâ quam vitiis opponunt ad incitationem Antiſtitum quorumdam provincialium viverent quos tenuitas edendi potandique parciſſimè, vilitas etiam indumentorum & ſupercilia humum ſpectantia perpetuo numini veriſque cultoribus ut puros commendant & verecundos.

Utcumque res ſint, ex hoc reſcripto Imperatorum tria intelliguntur à diſciplinâ Concilij Sardicenſis alieniſſima.

I. Sic ſtatuunt. *Volumus autem ut quicumque judicio Damaſi quod ille cum Concilio quinque vel ſeptem habuerit Epiſcoporum, vel eorum qui Catholici ſunt, judicio vel conſilio condemnatus fuerit, ſi injuſte voluerit Eccleſiam retentare, ut qui evocatus ad Sacerdotale judicium per contumaciam non iviſſet aut ab illuſtribus viris præfatis prætorio Galliæ atque Italiæ ſive à proconſulibus vel vicariis autoritate adhibitâ ad Epiſcopale judicium remittatur ut ad Vrbem Romam ſub proſecutione proveniat.*

II. *Aut ſi in longinquioribus partibus alicujus ferocitas talis emerſerit omnis ejus cauſæ dictio ad Metropolitæ in eadem provinciâ Epiſcopi deducatur examen. Vel ſi ipſe Metropolitanus eſt, Romam neceſſariò, vel ad eos quos Romanus epiſcopus judices dederit ſine dilatione contendat. Ita tamen ut quicumque delecti ſint ab ejus tantum urbis finibus ſegregentur in quibus fuerint Sacerdotes.*

III. *Quod ſi vel Metropolitani Epiſcopi vel cujuſcumque*

que Sacerdotis iniquitas eſt ſuſpecta aut gratia, ad Romanum epiſcopum vel ad Concilium quindecim finitimorum Epiſcoporum accerſitum liceat provocare: modo-ne poſt examen habitum quod definitum fuerit integretur.

Hæc omnia quantumvis Romano Pontifici opportuna & honorifica videantur, magnam habent cum iis quæ in Concilio Sardicenſi ſancita ſunt diſſimilitudinem, ut patet ex capitibus quæ antecedunt 14.& 15.Sed hujuſce veritatis certiſſimum mihi videtur argumentum, quod ſi hoc tempore obtemperatio legi Concilij Sardicenſis non fuiſſet prorsùs incogitabilis, incredibile videretur Imperatores de hoc Concilio nullam mentionem feciſſe, cum tota quæſtio haberetur ad inveniendam formam judicij epiſcopalis, ſive inſtituendam actionem litis, eorum qui Urſicini conjurationi ſive ſchiſmati nomen dederant. Verùm adhuc magis eſſet incredibile Imperatores optionem dediſſe his epiſcopis judicij Epiſcopi Romani aut Concilij quindecim Epiſcoporum Provinciæ vicinorum, ad Romanum epiſcopum vel ad Concilium quindecim finitimorum epiſcoporum.

Davidius duplicem movet machinam ut ſe ab his ſalebris liberet. Primò, de reſcripti Imperatorum veritate dubitat vehementer, pluribuſque conjecturis ſuſpectum reddit. Sed hac arte noſtram ſententiam non frangit. Nullum enim ex hoc reſcripto aſſumit argumentum, quo quidem in dubium adduci poſſit: Sed ex ſolitariâ epiſtolâ Concilij Romani ad Imperatores Gratianum & Valentinianum, quam ipſemet multis rationibus ſuſpectam habet. At verò reſcripti Imperatorum tutoribus hac arte vehementer gratificatur. Quippè cum major hujuſce rei difficultas in conciliatione Epiſtolæ Damaſi, cum hoc reſcripto poſita ſit. Enimverò ſi Epiſtola falſa eſt & ſuppoſititia ut Davidius probat, reſcriptum poteſt verum haberi. Nihil enim attinet ad veritatem reſcripti ut cohæreat

David. pag. 525. 526. 527. &c.

hæreat & conſonet cum epiſtolâ falſa & ſuppoſititiâ. Igitur ne amplificatâ oratione lectori ſatietatem parere videar, libenter annuo rationibus Davidij, & hanc Concilij Romani Epiſtolam falſam eſſe non dubito, ex quo manifeſtè patet nulla ratione deducere poſſe ad revocandum in dubium Imperatorum reſcriptum. Ex his facile eſt intelligere quam tenui judicio ſit Davidius. Enimverò cum iſtud reſcriptum falſum probare ſuſceperit ex repugnantiâ quâ cum Epiſtolâ Concilij Romani laborat, incogitabile videtur hanc Epiſtolam falſam & ſuppoſititiam æſtimaſſe. Enimverò, & iterum atque iterum repetam quid attinet ad veritatem aut falſitatem reſcripti ſi cohæreat aut non conſonet cum Epiſtolâ falſa & ſuppoſititiâ.

Alteram viam tentat Davidius enervandi hujus reſcripti, quia ſcilicet non componit modum judicij epiſcopalis generatim, ſed privatim tantùm adverſus ſectatores Urſicini. Equidem hoc eſſe verum fateor, & hinc argumentum aſſumo certiſſimum omiſſi ac neglecti his temporibus Concilij Sardicenſis. Quippè cùm de epiſcopis ſchiſmaticis in jus vocandis quæſtio haberetur: Imperatores lege privatâ communi legi Sardicæ ſancitæ ſpeciatim derogarent. David. pag. 531.

Non ſufficit Davidio perſpicere diſſimilitudinem, quæ huic reſcripto cum Sardicenſi Concilio intercedit. Sed probat quam neceſſe fuerit Imperatoribus inſtituere diſciplinam à lege Concilij Sardicenſis alienam. Quippè cùm non idem ſpectaverint: & ad judicij ſui nomen & celeritatem præclarè obſervat mirum non eſſe ſi reſcriptum & Concilium quæ diverſum ſcopum ſpectant in inſtitutis & diſciplinâ non conſonent.

Quæ cum ita ſint neminem hominem eſſe neceſſe eſt quin ſibi perſuadeat Davidio viſum incredibile in mentem veniſſe Imperatorum obtemperationem legibus Con-

cilij Sardicenſis. Quippè cùm tot rationibus ac certiſſimis argumentis inſtitutorum Imperialium & conciliarium repugnantiamconfirmet. Verumtamen hæc ejus verba ſequuntur pag.535. „ Si hoc reſcriptum conceptis verbis non „ comprehendit leges hac Synodo ſancitas iis ſe tam inſi- „ gniter conformat ut ex eo concluſio nulla poſſit aſſumi „ niſi Canonibus Sardicenſis Concilij congrua, minimè „ verò ab his aliena.

Jam prudens lector reſcriptum cum Concilio Sardicenſi conferat: ne tempus hìc inutiliter terat, ſed ingenium Davidij perſpectum habeat.

CAPUT XXVI.

Inſtantius Epiſcopatu abdicatus in Concilio Burdigalenſi, anno Chriſti 385. ſub Siricio anno 2. Imperij Maximi.

QUæ geſta ſunt in cauſa Inſtantij à Patribus Concilij Burdigalenſis intelligimus ex actis quæ ſuperſunt hujus Synodi apud Severum Sulpicium lib. 2. hiſtoriæ. Porrò hiſtoricus nos docet Priſcillianum & Inſtantium jam condemnatos contumaciæ in Concilio Cæſarauguſtano in jus iterum vocatos fuiſſe ad hoc Concilium Burdigalenſe, ipſumque Inſtantium conteſtatâ lite, hæreſis crimine convictum, epiſcopatu ſpoliatum fuiſſe.

At verò Priſcillianus ad judicium epiſcoporum âdeſſe noluit, ſed ad Imperatorem Maximum appellavit, cujus Imperio continenti tempore capite plexus eſt. Ex eodem hiſtorico perſpicimus hujus Concilij Patres non auſos eſſe judicium ferre à tempore appellationis, quod certum fuit debilitationis atque abjectionis animi illorum argumentum.

tum. *Permiſſumque id noſtrorum inconſtantiâ, qui aut ſententiam in refragantem ferre debuerant, aut ſi ipſi ſuſpecti habeantur, aliis Epiſcopis audientiam reſervare non cauſam Imperatori de tam manifeſtis criminibus permittere. Hæc autem debent multa conſideratione reputari.* Severus Sulpit.

I. En Epiſcopum judicatum, ac ſupremæ cognitionis ſententiâ epiſcopatu abdicatum autoritate privatæ Synodi; ſcilicet ſine appellatione ad Romanum Pontificem. Non enim credibile eſt, hanc Inſtantij appellationem omiſiſſe Severum Sulpitium potiuſquam provocationem Priſcilliani ad Imperatorem: cujus conceptis verbis, facit mentionem.Cùm præſertim neutiquam prætermiſerit perfugium illorum hæreticorum poſt judicium Concilij Cæſarauguſtani ad Damaſum Papam, cui jus reſtituendi epiſcopos in ſedes adeo incogitabile viſum eſt, ut ne in conſpectum quidem ſuum eos admiſerit, neque S. Ambroſius cujus, æquabili ratione adducti,auxilium impetrarant. *Hi ubi Romam pervenere, Damaſo ſe purgare cupientes ne in conſpectum quidem ejus admiſſi ſunt. Regreſſi Mediolanum æque adverſantem ſibi repererunt.*

II. Etiamſi ſuſpecti ſint judices, non intelligimus eundum eſſe Romam; nec etiam ſi abdicatus epiſcopus juſtam ſuam cauſam æſtimet, neceſſe eſſe epiſcopos qui primo judicaverunt, ſcribere ad Romanum Pontificem: ut examinet an hoc negotium ſit ab Epiſcopis provinciæ iteratâ diſceptatione recenſendum, juxta tertium Canonem Concilij Sardicenſis. Sed è contra manifeſtè patet diſciplinam uſu receptam tempore Julij Papæ nondum obſolevifſe: & confugiendum eſſe ad alios epiſcopos; ſi cauſa iteratâ diſquiſitione recenſenda videatur. *Aut ſi ipſi ſuſpecti videantur, aliis Epiſcopis audientiam reſervare.* Severus Sulpit. lib.2.
Hanc diſciplinam Concilio Nicæno inſtitutam, nos docet Julius Papa, in reſponſione ad Euſebianos relatâ ab Athanaſio Apologiâ ſecundâ, ut oſtendimus cap.12.hujus operis.

Digitized by Google

III. Omittendum non eſt tempore hujuſce Concilij Burdigalenſis anno ſcilicet 385. circa finem quarti ſæculi, Eccleſiam non æſtimaſſe penes Imperatores eſſe jus diſquirendarum rerum Eccleſiaſticarum. Quippè cùm Severus Sulpicius inconſtantiæ & debilitatis accuſet epiſcopos,non auſos judicare Priſcillianum qui ad Imperatorem provocaverat. *Permiſſumque id noſtrorum inconſtantiâ quia aut ſententiam in refragantem ferre debuerunt non cauſam Imperatori de tam manifeſtis criminibus permittere.*

CAPUT XXVII.

Sententia Concilij Capuenſis de Epiſcopis in jus vocandis. Circa annum 389. vel 390. 391. 392.

QUamvis calamitate temporum nulla ſuperſunt acta Concilij Capuenſis, litteræ tamen S. Ambroſij ex quibus hujus Concilij hiſtoriam intelligimus, nobis illuſtre ſuppeditant teſtimonium actionum judicialium, quibus epiſcopi in jus vocari ſolebant, ea ætate quâ Siricius Papa Sedem Petri occupavit. Enimverò præcipuæ quæſtiones in hoc Concilio agitatæ cui Siricium Papam non ſolum interfuiſſe, verùm etiam præfuiſſe aſſerit Davidius omnes in rem epiſcopalis amplitudinis eſſe videntur.

David. pag. 567.

Cùm Eccleſiam Chriſti vehementer miſcuiſſet procax libertas occaſione ſchiſmatis, quod Flaviano ſucceſſori Meletij cum Evagrio ſucceſſori Paulini interceſſerat, de Epiſcopatu Antiocheno: epiſcopi Occidentis ad rationes partium Evagrij adjuncti contra Paulinum, ab Imperatore Theodoſio convocationem Concilij Capuenſis impetrarunt. In quem annum incidat nominatim hæc coactio, ſcire

ſcire difficile eſt. Enimverò licet animadvertat Davidius Cardinalem Baronium erraſſe, cùm ei annum 389. adſcribit, hæc verba Baronij certiſſimè audiuntur de hac Synodo: *cujus etſi certus annus quo celebrata eſt ignoratur, hac tamen circa tempora actam eſſe in dubium revocari non poteſt.* Eadem profert Binius ſuis ad hoc Concilium notis. David. 559. circa finem. Baron. anno 389. num. 74. pag. 735.

Flavianus coram ſe ſiſtere recuſavit, ſed Imperatorem rogavit Concilij convocationem in Oriente, in quo ſuam cauſam agere poſſet, & ab eo petiit ut quod efficiens eſſet conſenſionis Occidentalium in hanc rem ſua autoritate præſtaret. Non hic quæſtionem habeo de jure quo Flavianus judices ejurabat hos epiſcopos, qui adverſarij ſui cauſam tuendam aperto marte ſuſceperant. Utcumque enim res ſint, certum eſt Concilij Capuenſis Patres quamvis ſibi præeſſet Summus Pontifex, ut putat Davidius, non crediđiſſe hoc negotium autoritate Pontificis aut Pontificij Concilij, concludi ac dirimi debere. Bin. tom. 1. Concil. pag. 564.

Immò cùm Eccleſiæ Antiochenæ diſſidia diuturna pace componere averet Pontifex, juſſit omnes communicare cum utriuſque partis Epiſcopis, ſcilicet, Evagrij & Flaviani rationi addictis. At verò, quoniam Theophilus Alexandriæ, & Epiſcopi Ægypti integro ac libero animo in neutram partem propenderant, eis hujuſce litis judicium ſupremæ cognitionis ferendum delegavit Concilium. Pag. 567.

Hæc intelligimus ex S. Ambroſio Epiſtolâ 78. ad Theophilum, *Inter hos etiam duos ſcilicet Flavianum & Evagrium nihil quod ad Chriſti pacem pertineat eligentes gravis toto orbe ſtabat diſcordia. Cui bona pacis naufragio ſancta Synodus Capuenſis tandem obtulerat portum tranquillitatis, ut omnibus per totum Orientem daretur communio Catholicam fidem confitentibus, & duobus iſtis, tuæ ſanctitatis examen impartiretur fratribus & conſacerdotibus noſtris Ægyptiis pariter confidentibus, quia hoc verum judicium*

Digitized by Google

arbitrati ſumus quod neutri parti ſociatâ communione protenderet, & infra, cum ſancta Synodus cognitionis jus unanimitati tuæ cæteriſque ex Ægypto conſacerdotibus noſtris commiſerit.

Ex his conſtat apertiſſimè nemini in mentem veniſſe diſciplinam Concilij Sardicenſis. Ad epiſcopos non remittitur hoc negotium tantúmque abeſt, ut Siricij Papæ judicio obnoxium videatur, cum ipſamet Synodus Capuenſis omninò jure ſe abdicet litis ejuſmodi dirimendæ; intelligat quæ ad juſtum judicium neceſſe eſſe judices anteceptis opinionibus non occupari, ideoque rem eſſe deferendam ad epiſcopos quibus nulla cum factionum partibus conſpiratis communicatio intercederet, quales eſſe videbantur Theophilus & epiſcopi Ægypti. Et quoniam Syricius Papa cum Evagrio, neutiquam verò cum Paulino communicaverat incredibile viſum eſt hujuſce Concilij Patribus, ipſum ſedere judicem inter illos ac ſententiam dicere.

David. pag. 570. & 571. „ At inquit Davidius, quoniam ſcribit S. Ambroſius „ Theophilo, ſe debere poſt confectum de hac lite judi„ cium, de eo certiorem facere Syricium Papam, ſuam„ que ſententiam animo Pontificis accommodare. Nulli „ conjecturæ poſtea locus relinqui videbatur, ad intelli„ gendum utrum ex mente hujuſce Patris Syricius Papa „ dicere poſſet ſuam ſententiam in cauſâ ſchiſmatis An„ tiocheni vel non. Quippe cùm ſpeciatim nos doceat „ non ſolum hoc jus eſſe penes hunc Pontificem verùm „ etiam judicium Concilij Ægypti, cui Concilium Ca„ puenſe hujus cauſæ diſceptationem delegaverat aliunde non habiturum vim, quàm ex confirmatione Eccleſiæ Romanæ.

Ex his tria falſa intelliguntur multâ cogitatione reputanda.

I. S. Ambroſius non ſcripſit Theophilo ſe debere poſt confectum

confectum judicium de hac lite, de eo certiorem facere Syricium Papam.

Immò verò S. Ambroſius, cum ſibi perſuaderet Theophilum non dicturum ſententiam ab animo Pontificis alienam: hac ipsâmet epiſtolâ ſcribit ſe Ambroſium debere, hanc quam habet de Theophilo mentem Pontifici ſignificare. Idque manifeſtè ex continuis S. Ambroſij verbis apparet quæ Davidius mutilavit multis. *Sanè referendum arbitramur ad ſanctum fratrem noſtrum Romanæ Sacerdotem Eccleſiæ, quoniam præſumimus ea te judicaturum quæ etiam illis diſplicere nequeant.* Quamobrem hortatur Theophilum ut iterum conveniat Flavianum (ſi fortè ſe ſiſtere coram Ægypti Concilio renuat) & enitatur omnia diſſidia componere, ſalvis non ſolum Concilij Nicæni, verumetiam Capuenſis Canonibus. Hoc ab illo ſperans ſcripſit Romano Pontifici ſe præſumere Theophilum non judicaturum ea quæ etiam illi diſplicere queant. Et continentibus ſcriptis ait Theophilo fore ut concilict pacem & utilem ſententiam dicat, ſi nulla ratione communionem epiſcoporum Orientis perturbet: pollicetürque ſeipſum ſanctum Ambroſium & reliquos Occidentis epiſcopos percepturos uberes fructus judicij cum intellexerint Occidentalium ſtatuta Capuæ, ſuper hoc negotio eſſe recepta, & Eccleſiam Romanam à Theophilo geſta comprobaſſe. Igitur tantùm abeſt ut hanc epiſtolam ſancti Ambroſij ad Theophilum habeamus pro admonitione qua illum excitet, ut Pontificem Summum certiorem faciat judicij à ſe ſuper hoc negotio prolati. Cùm potiùs eſſe ſollicitatio videatur qua illum ad univerſæ Eccleſiæ pacem componendam accendit, cujus arbitrium ac judicium, Concilium Capuenſe ei delegaſſe videbatur. Verum enimverò cùm Ambroſius & Syricius ex iis Occidentalibus eſſent, qui cum Evagrio Flaviniani adverſario communicaverant, mirum non eſt, cum præſertim Flavianus coram

Theophi

Theophilo ſe ſiſtere ad judicium noluerit, hinc arripuiſſe occaſionem ſollicitandi prædictum Theophilum ne communioni Eccleſiæ obſiſteret. *Si id veſtro ſtatuatur conſilio quod communioni noſtræ diſſenſionem adferat.* Verùm legere tantum opus eſt omni mutilatione remotâ Epiſtolam ſancti Ambroſij ut nullus de hac veritate dubitandi locus
S. Ambr. Epiſt. 78. pag. 652. lit. D, & A.
relinquatur, & quam ſit falſum atque inſulſum Davidij judicium intelligatur. *Qua de re quoniam propriis texuiſti litteris poſſe typum reperiri aliquem quo poſſit auferri fratrum diſcordia, cum ſancta Synodus cognitionis jus unanimitati tuæ, cæteriſque ex Ægypto conſarcerdotibus noſtris commiſerit. Iterùm oportet fratrem noſtrum Flavianum convenias, ut ſi in eo perſeveraverit quo veniendum non putet ſalvis Concilij Nicæni, ſed etiam Capuenſis ſtatutis illibatâ pace univerſorum ita conſulas, ut non videamur deſtruere quod ædificatum eſt. Si enim quæ ædificavi deſtruo, prævaricatorem me ipſe conſtituo: ac ſi quæ deſtruxi iterum ædificem. Servetur ergo impartita pacis gratia inter univerſos, & nihilominus declinatio partis alterius fruſtrandi effectum habere non poſſit, ſanè referendum arbitramur ad ſanctum fratrem noſtrum Romanæ Sacerdotem Eccleſiæ, quoniam præſumimus ea te judicaturum quæ etiam illi diſplicere nequeant. Ita enim utile erit conſultum ſententiæ, ita pacis & quietis ſecuritas, ſi id veſtro ſtatuatur conſilio quod communioni noſtræ diſſenſionem non adferat, ut nos quoque acceptâ noſtrorum ſerie ſtatutorum cum id geſtum eſſe cognoverimus quod Eccleſia Romana haud dubiè comprobaverit, læti fructum hujuſmodi examinis adipiſcamur.*

II. Sanctus Ambroſius non nos docet ſpeciatim jus eſſe penes Syricium Papam dirimendæ litis inter Flavianum & Evagrium; cum è contra intelligamus ex ejus epiſtolâ Concilium Capuenſe hujus negotij diſceptationem Theophilo & epiſcopis Ægypti delegaſſe quoniam exemplum Occidentalium non ſecuti, & cum partibus

conſpiratis

conſpiratis nulla communione conjuncti, ſalvâ integritate conſcientiæ ſententiam dicere facilius poterant. *Quia hoc verum judicium futur[illegible] arbitrati quod neutri parti ſociatâ communione aliquo favore protenderet.*

III. Præterea neutiquam nos docet ſanctus Ambroſius Concilium Ægypti, cui hujuſce litis diſceptationem Concilium Capuenſe delegaverat, totam vim ac vigorem ex confirmatione Eccleſiæ Romanæ percipere: licèt enim ſanctus Ambroſius ſententiam Occidentalium ſecutus, qui cum Evagrio communicaverat, præſumeret Theophilum ea judicaturum quæ Romano Pontifici non diſplicerent, de iis quæ illi nominatim adſcribit Davidius, nunquam cogitavit. S.Ambr. epiſt.78.

CAPUT XXVIII.

Sententia Syricij Papæ de judiciis Epiſcoporum Cauſa Bonoſi.

NON ſolitario negotio ſchiſmatis Antiocheni inter Flavianum & Evagrium, occupatum fuit Concilium Capuenſe. Multa enim mentio fuit de hæretico Bonoſo Eccleſiæ cujuſdam in Macedonia ignotæ Epiſcopo. Hic autem poſtulatus fuit crimine hæreſis infandæ, ſcilicet aſſerebat beatam Virginem Dei Matrem, præter Chriſtum Dominum alios ſuſcepiſſe liberos. *Sane non poſſumus negare*, inquit Syricius Papa, *de Mariæ filiis jure reprehenſum, meritòque veſtram ſanctitatem abhorruiſſe quod ex eodem utero virginali ex quo ſecundùm carnem Chriſtus natus eſt alius partus effuſus ſit.* Ex his conſtat Bonoſum in mente habuiſſe renovationem hæreſis Helvidij, quam quibuſdam abhinc annis S.Hieronymus ſub Damaſo Papa ſuis

Epiſtola Syricij Anyſio in collectione Romanâ Holſtenij pag. 192.

S

ſuis ſcriptis confutaverat. Hæc debuit inter majores cauſas potiſſimè recenſeri. Quæſtio enim erat de crimine hæreſis, & de perſona Epiſcopi.

Hæc controverſia ad Concilium Capuenſe delata fuit, poſteáque ad Synodum provinciæ juſſu Concilij Capuenſis devoluta, ſcilicet ad Aniſium Theſſalonicæ Epiſcopum & alios Macedoniæ Præſules, ejus juriſdictioni obnoxios. Interim Aniſius & alij epiſcopi Syricio Papæ ſcripſerunt, rogaveruntque uti ſuper hoc negotio ſententiam ſuam diceret, *ſententiam noſtram ſciſcitari voluiſtis.* Quibus multa ſubjecit ad intelligentiam rei quam tractamus, valde opportuna, ac ſeria cogitatione reputanda.

Epiſtol. Syricij Papæ in Collectione Romanâ Holſtenij.

David. pag. 570. & 571.

David. pag. 508. lin. 17.

I. Accepiſſe ab iis litteris ait de Bonoſo, quibus ſententiam ſuam ſive pro veritate, ſive pro modeſtiâ ſciſcitari voluerant. *Accepi litteras veſtras quibus vel pro veritate vel pro modeſtiâ noſtram ſententiam ſciſcitari voluiſtis.* Si ſe Pontifex veritatis oraculum eſſe cogitaſſet, aut Concilia provincialia vim ac vigorem ſuum ex Pontificis confirmatione ſumere, ſi inquam, ſibi perſuaſiſſet, ut putat Davidius ipſoſmet Conciliorum generalium patres, eſſe Pontificiæ ſententiæ exequendæ præfectos Simplices, credibile non videtur eum ita fuiſſe locutum, & modeſtia ſingulari præditos æſtimaſſe, qui ſuam ſententiam ſciſcitari voluiſſent.

II. Reſpondet penes ſe jus non eſſe hujuſce negotij dirimendi, cum ad Macedoniæ Epiſcopos, accuſatum & accuſatores Concilium Capuenſe remiſerit. *Sed cum hujuſmodi fuerit Concilij Capuenſis judicium ut finitimi Bonoſo atque ejus accuſattoribus judices tribuerentur & præcipuè Macedones qui cum Epiſcopo Theſſalonicenſi de ejus factis vel cognoſcerent advertimus quod nobis judicandi forma competere non poſſet.* Si Concilij Sardicenſis diſciplina in mentem incurriſſet, ſaltem dixiſſet ſe poſſe ſententiam dicere, causâ ad ſuum Tribunal per appellationem devolutâ. Sed

cum

cum aliis judicibus hoc negotium Concilium Capuenſe delegaverit ſibi judicandi formam competere non poſſe ingenuè fatetur Pontifex.

III. Quamobrem præterea reſpondet fore ut nihil ſuo judicio remoram imponeret, ſi adhuc Concilium Capuenſe in integro eſſet. *Nam ſi integra eſſet hodie Synodus, recte de iis quæ comprehendit veſtrorum ſcriptorum ſeries decerneremus.* Porrò ex his duo intelligimus. Primò Romanum Pontificem non eſſe rei ſolitarium judicem, prætermiſsâ auctoritate Concilij. Secundò, penes ipſum nullum jus exiſtere dirimendæ litis quam tractat Synodus aut de qua quæſtionem habere cœpit.

IV. Ideò tria hæc reſponſa aſſumit ad concludendum penes Epiſcopos Macedoniæ eſſe debere jus finiendæ ejuſmodi litis: veſtrum eſt igitur qui hoc recepiſtis judicium, ſententiam ferre de omnibus, nec refugiendi, vel elabendi, vel accuſatoribus, vel accuſato copiam dare, vicem enim Synodi recepiſtis quos ad examinandum Synodus elegit.

V. Sic ait, Denique cum Bonoſus Epiſcopus poſt judicium veſtrum miſiſſet ad fratrem noſtrum Ambroſium qui ejus ſententiam conſuleret interdictum ſibi Eccleſiam irrumpere atque ingredi, reſponſum eſt ei quod nihil temerandum foret, ſed omnia modeſtè patienter ordine gerenda neque contra ſententiam veſtram tentandum aliquid ut quod videretur vobis juſtitiæ convenire ſtatueritis quibus hanc Synodus dederat autoritatem.

VI. Quamobrem continuo ſermone perſequitur. *Ideò primum eſt id ut ij judicent quibus judicandi facultas eſt data, vos enim totius ut ſcripſimus Synodi vice decernitis; nos quaſi ex Synodi autoritate judicare non convenit.* Clauditque his verbis Epiſtolam, *unde veſtra normam expectamus ſententiæ.* An potuit moderatione majori ſuam dignitatem temperare Pontifex? qui penes ſe nullam autorita-

tem aut decentiam agnoſcit ad judicandam cauſam aliis epiſcopis à Concilio delegatam. Fateamur igitur neceſſe eſt, diſciplinæ Sardicenſis aliquod veſtigium in hoc negotio difficiliter inveniri. Cum hæc omnia Davidius apud ſe multa cogitatione reputaret, opportunum ſibi fore cenſuit hanc Epiſtolam Syricij uti falſam & apocrypham omnino rejicere. Hoc autem jam examinare juvat diluendo objectiones quibus hanc Epiſtolæ fictionem defendere ſibi perſuaſit.

CAPUT XXIX.

Diluuntur objectiones adverſus Epiſtolam Syricij Papæ de cauſa Bonoſi hæretici.

I. PRofert Davidius argumentum negativum adverſus hanc Epiſtolam, quo certiſſimè convincere putat, non eſſe fœtum genuinum Syricij Papæ, quoniam ſcilicet de hæreſi Joviniani quam paucis abhinc annis Romæ condemnaverat, mentionem nullam facit: quæ nullam, ut ſibi fingit, habebat diſſimilitudinem cum hæreſi Bonoſi. Eamobrem multis argumentis probat Jovinianum fuiſſe condemnatum duobus annis antequam Syricius hanc Epiſtolam ad Anyſium & alios Macedoniæ epiſcopos ſcripſerit. Ipſi Baronio errata Chronologica tribuit quæ neutiquam commiſit. Quippè vult ipſum dicere Concilium Capuenſe incidiſſe in annum 389. quamvis conceptis verbis docuerit incertum eſſe hujuſce Concilij tempus: ſed omiſſis Chronologicis vitilitigationibus quæ ad rem quam tractamus nihil attinent, fatemur libenter eam Davidio hæreſim Joviniani fuiſſe condemnatam duobus circiter annis ante ſcriptam Syricij epiſtolam contra Bonoſum;

David. pag. 563.

Baronij Annales ad ann. Chriſti 389. num. 74. pag. 735.

ſum; ſed prorſus abſurdum atque inſulſum fuiſſe defendo de condemnatione Joviniani mentionem facere. Enimverò cum hæreſi Bonoſi manifeſtam diſſimilitudinem habebat. Superius animadverti, initio capitis quod antecedit, hæreſim hujus Bonoſi fuiſſe, Beatam Virginem Mariam præter Chriſtum Dominum enixam eſſe liberos. Sed hæreſis Joviniani in his quatuor capitibus erat poſita, ut refert S. Hieronymus: Primò, Virgines viduas & maritatas quæ ſemel in Chriſto lotæ ſunt, ſi non diſcrepent cæteris operibus ejuſdem eſſe meriti. Secundò, eos qui plena fide in Baptiſmate renati ſunt, à Diabolo non poſſe ſubverti. Tertiò, inter abſtinentiam ciborum & cum gratiarum actione perceptionem eorum nullam eſſe diſtantiam. Quartò, eſſe omnium qui ſuum Baptiſma ſervaverunt, unam in regno cœlorum remunerationem. « S.Hieron. lib. 1. adverſus Jovinianum pag. 19.

At hæc omnia nulla ratione ſpectant ad hæreſim Bonoſi. Igitur abſurdum fuiſſet & inſulſum mentionem facere Joviniani in epiſtolâ adverſus Bonoſum ſcripta; nihilque magis videtur à veritate alienum, quàm conſilium Davidij, quo defendit nullam habuiſſe diſſimilitudinem hæreſim Bonoſi cum hæreſi Joviniani; & ex eo concludit epiſtolam Syricij eſſe ſuppoſititiam, quoniam de hac hæreſi Joviniani mentionem nullam fecit.

Sed ſolitarij Hieronymi teſtificationi fidem adhibendam eſſe non æſtimat Davidius, ad intelligentiam hæreſis Joviniani, quamvis prædictus S.Hieronymus hujus hæretici ſcripta nominatim confutaverit. Contendit hunc hæreticum in libris ſuis multos errores celaſſe, ac potiſſimum hæreſim contra Virginitatem Dei Matris ab hæreſi Bonoſi non diſſimilem, in Romano Concilio proſcriptam. Sed in hoc negotio fidem eſſe adhibendam ſancto Ambroſiò contendit, qui cum Mediolani eſſet ubi Jovinianus ſuas hæreſes publicare cœpit, eas facilius perſpicere potuit quam ſanctus Hieronymus in Crypta Bethleemiticâ, qui

ſolùm ex operibus ejus ſibi Roma miſſis eas intelligere potuit. Ego verò facilè mihi perſuadeo ſæpe hæreticos ſuos errores celare mente conceptos, quos iis opportunè explicant, quibus uti ſolent familiariter. Sed quoties ejuſmodi homines in jus vocandi ſunt, ac de illis habenda quæſtio propoſita eſt, uſu ac conſuetudine omnium temporum ſtatutum eſt, eorum ſcripta examinare, propoſitiones ex his exſcribere, cum Scriptura ſanctâ ac traditione Eccleſiaſticâ conferre, & deinceps ſententiam dicere ac judicare. Quamobrem ſi præter hos quatuor errores de quibus mentionem facit ſanctus Hieronymus, nulli in operibus Joviniani occurrerant quamvis alios mente occultaverit, quos ſuis familiaribus non diſſimulaverit; difficile eſt intelligere qua ratione Romæ condemnationi obnoxij fuerint. Jam verò hos errores inveſtigare juvat quos in operibus ſuis non ſcripſit Jovinianus; atque inquirere, an diſſimilitudinem habeant cum hæreſi Bonoſi, & crediderit Jovinianus Beatam Virginem præter Chriſtum Dominum alios liberos ſuſcepiſſe. Hoc Davidium nulla ratione probare poſſe firmiter contendo. Reverà intelligimus ex epiſt.81. ſancti Ambroſij ſeu potius Concilij Mediolanenſis ad Syricium adverſus Jovinianum & ſectatores, hos hæreticos in ea mente fuiſſe, ſcilicet Chriſtum Dominum conceptum quidem ex Virgine non potuiſſe generari. *Quanta dementiâ funeſtorum latratuum ut iidem dicerent Chriſtum ex Virgine non potuiſſe generari.* Et infrà, *ſed de viâ perverſitatis produntur dicere Virgo concepit, ſed non virgo generavit.* Quod quidem confutandæ Virginitatis Mariæ artificium eſt à mente Bonoſi vehementer alienum, qui virginitatem non in partu, ſed ſolum poſt partum ſubſtitiſſe inficiabatur.

David. pag. 562. lin. 17.

Enimverò cum Helvidio contendebat ſanctiſſimam Virginem præter Chriſtum alios procreaſſe liberos. Itaque Jovinianus non recognoſcebat Jeſum Chriſtum ex Virgine natum

natum, licet ex Virgine conceptum fateretur. Sed Helvidius quem ſequebatur Bonoſus, credebat Chriſtum de Virgine natum & conceptum, & in matre poſt puerperium, virginitatis permanſionem negabat. Quippè liberos alios ex Joſepho Mariam ſuſcepiſſe defendebat, appellatos in Evangelio fratres Domini. Igitur hæreſes Joviniani & Bonoſi magnam habent diſſimilitudinem.

Sanctus Auguſtinus hujuſce diſſimilitudinis argumentum certiſſimum nobis ſuppeditat libro de hæreſibus ad Quodvultdeum, quem quadraginta circiter annis poſt condemnationem Joviniani & Bonoſi ſcripſit. Ait enim ſuâ ætate hanc hæreſim ortam eſſe cum adhuc juvenis eſſet, & mentione factâ præcipuorum capitum quæ S. Hieronymus confutaverat, addit Jovinianum deſtruere Virginitatem Mariæ, dicentem eam pariendo fuiſſe corruptam. Quod cum iis quæ de hac hæreſi retulit S. Ambroſius congruit. *Iſta hæreſis Ioviniani orta eſt ætate noſtrâ, cum adhuc juvenes eſſemus: hic omnia peccata ſicut Stoïci philoſophi paria eſſe dicebat nec poſſe peccare hominem lavacro regenerationis accepto, nec aliquid prodeſſe jejunia vel à cibis aliquibus abſtinentiam. Virginitatem Mariæ deſtruebat, dicens eam pariendo fuiſſe corruptam.* Et infrà, convincit manifeſtè, Bonoſum ad Joviniani hæreſim nunquam defeciſſe quippè cum animadvertat iſtam hæreſim vix ortam, extinctam & oppreſſam fuiſſe, nulliuſque Epiſcopi mentem occupaſſe; *Citò tamen iſta hæreſis oppreſſa eſt & excincta eſt, nec uſque ad deceptionem aliquorum Epiſcoporum potuit pervenire.* Non videtur credibile ita loquutum eſſe S. Auguſtinum, ſi ſententiam Joviniani ſequutus fuiſſet Bonoſus, quippe cum iſte Bonoſus epiſcopus eſſet quem epiſcopi Macedoniæ in jus vocaverant ad Concilium Capuenſe, quem Concilium Capuenſe ad Concilium Macedoniæ remiſerat, qui proinde ſuarum hæreſeon

Epiſtol. ſuprà citata.

S. Aug. de hæreſ. ad Quodvultdeum num. 82.

hæreſeon procaci libertate, rempublicam eccleſiaſticam & ciuilem miſcuerat.

Ex his igitur colligere neceſſe eſt Bonoſum non fuiſſe Joviniani ſectatorem, utriuſque hæreſes fuiſſe omninò diſſimiles: proindeque nihil abſurdius contingere potuiſſe Syricio, quàm de Joviniani condemnatione mentionem facere in hac adverſus Bonoſum epiſtolâ.

David. pag. 563. II. Secunda Davidij objectio non vehementius hanc epiſtolam Syricij in ſuſpicionem adducit, eſt alterum argumentũ negativum aſſumptum ex eo quod, cùm accuſatores Bonoſi ad Concilium Capuenſe venerint, S. Ambroſius qui aderat, de condemnatione hæreſis Joviniani nihil dixerit: quod ſine horribili memoriæ lapſu contingere non potuiſſet, & argumentum fuiſſet Sedem Apoſtolicam deſpectui & aſpernationi maximæ fuiſſe Sancto Ambroſio. Quod cùm fieri nulla ratione poſſit, concludit Davidius hanc Syricij epiſtolam eſſe falſam & ſuppoſititiam.

His omnibus reſpondere non eſt difficile. Primò, ſi acta Concilij Capuenſis ſupereſſent, ex his poſſemus perſpicere an S. Ambroſius de condemnatione Joviniani mentionem quamdam fecerit, aut eam prætermiſerit. Secundò, ſi hæreſis Joviniani cum hæreſi Bonoſi diſſimilitudinem habuit, quid opus erat de ea loqui? Præterea cum S. Ambroſius alicujus negotij mentionem omittit in Concilio cui intereſt, quis ex hac agendi ratione colligere poteſt argumentum, ad probandam fictionem epiſtolæ Syricij? Hoc certè ratiocinij genus quo placet uti Davidio, non ſolum abſurdum, verùm etiam inſulſum & ineptum videtur.

David. pag. 564. III. Proponit adhuc argumentum negativum & poſtquam ex Gennadij & Gelazij Papæ teſtificatione, dixit Bonoſum in hæreſem Photini qui Chriſti divinitatem negabat, incidiſſe, contendit incogitabile eſſe Syricium ei non exprobraſſe tam infandæ hæreſis crimen in epiſtolâ

epiſtolâ ad Anyſium, & Epiſcopos Macedoniæ.

Quamobrem cum hæc Epiſtola Photini mentionem nullam faciat, eam falſam ac ſuppoſititiam eſſe defendit. Primò, Non dicit Gennadius Bonoſum incidiſſe in hæreſim Photini. Dicit ſolum ætate ſuâ Photinianos appellatos fuiſſe Bonoſiacos, fortaſſe quia errorem Bonoſij ſequebantur Photiniani, vel quia Bonoſiaci quadam acceſſione ſuæ ſectæ principis errata cumulantes, Photini errorem tuebantur. Sed obſervat Gennadius eo nomine ſuo tempore fuiſſe nuncupatos *contra Photinianos qui nunc vocantur Bonoſiaci*, & non ait Bonoſiacis antea Photinianorum nomen fuiſſe. Secundò, Neutiquam etiam dixit Gelaſius Papa in Concilio Romano Bonoſum incidiſſe in immanem hæreſim, cujus crimine poſtulatur in hac epiſtolâ, " ſcilicet non ſolùm injuriâ affeciſſe Virginitatem Matris, " verum etiam filij divinitatem violaſſe, dato nomine fa- " ctioni ſeu conjurationi Photini. De his enim ne verbum quidem occurrit in Concilio Romano quod citat in margine Davidius, ſed è contra mentionem facit Simonis Magi, Nicolai, Cherinti, Marcionis, Baſilidis, Ebionis, Pauli Samozateni, Photini, Bonoſi, & Joviniani, & eos quaſi ſectarum ac hæreſeon diverſarum duces & autores deſignat, quorum perſonas, opera, errores & ſectatores condemnat. Sed ut nemini dubium ſuboleat de inconſideratione ac temeritate qua Davidius ſibi argumenta & mendacia ad ſuam cauſam ſuſtentandam fingit, hic decretum Concilij Romani exſcribere non erit ſupervacaneum. *Hæc omnia & his ſimilia quæ Simon Magus, Nicolaus, Cherintus, Marcion, Baſilides, Paulus etiam Samozatenus, Photinus, Bonoſus, & qui ſimili errore defecerunt, Montanus quoque cum ſuis obſcæniſſimis ſequacibus Apollinaris, Valentinus ſive Manichæus, Fauſtus, Africanus, Sabellius, Arius, Macedonius, Eunomius, Novatus, Sabbatius, Cæleſtius, Donatus, Euſtatius, Iovinianus, Iulianus Celanenſis, Cæleſtinus,*

Liber de ſcriptoribus Eccleſ. cap. 14. in Audentio.

David. pag 564. lin. 14.

Maximinus, Priſcillianus ab Hiſpaniâ, Neſtorius Conſtantinopolitanus, Cynicus, Lampetius, Dioſcorus, Eutychez, Petrus & alius Petrus è quibus unus Alexandriam, alius Antiochiam maculavit. Acatius Conſtantinopolitanus cum conſacerdotibus ſuis nec non & omnes hæretici eorumque diſcipuli ſive ſchiſmatici docuerunt vel conſcripſerunt, quorum nomina minimè retinentur non ſolùm repudiata, verùm etiam ab omni Romanâ Catholicâ & Apoſtolicâ Eccleſiâ eliminata atque cum ſuis autoribus autorumque ſequacibus ſub anathematis indiſſolubili vinculo in æternum confitemur eſſe damnata.

IV. Contendit hujus epiſtolæ initio occurrere verba quæ Pontificiæ dignitati ac autoritati minimè congruunt. Hæc ſcilicet, *Accepi litteras veſtras à Bonoſo epiſcopo quibus vel pro veritate vel pro modeſtiâ noſtram ſententiam* David. pag. 565. *ſciſcitari voluiſtis.* Et prorsùs inſulsâ ironiâ dicit Innocentium primum, quem Syricij diſcipulum fuiſſe animadvertit Joannes Lannoyius parum proceſſiſſe ſub tanti præceptoris Magiſterio; quippè cum adeo diſcrepantia proferat epiſt. 24. ad Concilium Carthaginenſe. Epiſt. part. 1. *Antiquæ traditionis exempla ſervantes & Eccleſiaſticæ memores diſciplinæ noſtræ vel veſtræ religionis vigorem pronuntiaretis veneratione vel una ratione firmatis, qui ad noſtrum referendum approbaſtis eſſe judicium, ſcientes quod Apoſtolicæ Sedi cum omnes hoc loco poſiti, ipſum ſequi deſideremus Apoſtolum, debeatur à quo ipſe epiſcopatus & tota autoritas nominis ejus emerſit. Quem ſequentes tam mala tam damnare novimus quàm probare laudanda.* Et Epiſtola ſequenti ad Concilium Milevitanum. *Quoties præſertim fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres & coëpiſcopos noſtros non niſi ad Petrum id eſt ſui nominis & honoris autorem referre deberé, velut nunc retulit dilectio veſtra.* Cauſam ſuam adverſus Davidium ſuſtentandam relinquo fortiſſimo Lannoyio, ſolum breviter ac ſtrictim dico ſedem Apoſtolicam

ſemper

ſemper conſultam fuiſſe in omnibus negotiis quæ ad fidem pertinere viſa ſunt, Epiſtolaſque ab Epiſcopis Macedoniæ ad Syricium Papam, & Conciliis Carthaginenſi & Milevitano ad Innocentium ſcriptas, eſſe certiſſimum hujuſce veritatis argumentum, nec poſſe ex duobus locis à Davidio citatis quicquam aſſumi ad concludendum Innocentium credidiſſe majorem ſibi competere quàm Syricio autoritatem.

Sed revera Pontifices ſuper negotiis ad fidem aut ad diſciplinam ſpectantibus conſulti, ſibi ſupremorum judicium poteſtatem non arrogabant. Hoc enim intelligimus ex Epiſtola Innocentij Papæ ad Victricium Rothomagenſem epiſcopum, qui eum de multis diſciplinæ capitibus conſuluerat, Epiſtolâ cujus ſtylum non minore moderatione temperaverat quàm Syricius. Dicit enim: *Et ſi tibi cariſſime pro merito & honore Sacerdotij quo plurimum polles vivendi & docendi ſecundum eccleſiaſticas regulas nota ſint omnia, neque eſt aliquid quod de ſacris lectionibus tibi minus collectum eſſe videatur, tamen quia Romanæ Eccleſiæ normam ad autoritatem magnoperè poſtulaſti, voluntati tuæ morem admodum gerens, digeſtas vitæ & morum probabilium diſciplinas annexas litteris meis miſi.*

Innocent. Epiſt. 2. ad Victriciũ Rothom.

Et paulò inferiùs de regulis Eccleſiæ Romanæ quas mittebat non minus moderatè & humiliter ait, *non quod noſtra præcepta aliqua imperentur.* Non minus ſublimi humilitate fultus Pontifex prædictus reſpondet Exuperio Epiſcopo Toloſano qui ejus conſilium expetierat. *Conſulenti tibi, frater Chariſſime, quid de propoſitâ ſpecie unaquaque ſentirem pro captu intelligentiæ meæ quæ ſunt viſa reſpondi quid ſequendum, vel docilis ratio perſuaderet vel autoritas lectionis oſtenderet, vel cuſtodita ſeries temporum demonſtraret. Et quidem dilectio tua inſtitutum ſequuta prudentem ad Sedem Apoſtolicam referre maluit quid de rebus dubiis cuſtodire deberet potiuſquam uſurpatione præſumpta quæ ſibi*

viderentur de ſingulis obtinere. Cur enim magis pudendum putemus diſcere aliquid quàm omninò neſcire? mihi quoque de collatione docilitas accedit, dum perſcrutatis rationibus ad propoſitum reſpondere compellor, eoque fit ut ſemper aliquid addiſcat qui poſtulatur ut doceat.

Poſſem facilè infinitas litteras Romanorum Pontificum exſcribere ante & poſt Pontificatum Syricij moderatione & humiliore ſtylo temperatas. Sed his impræſentiarum opus non eſt, ut intelligamus non adeò infeliciter proceſſiſſe Innocentio rerum eccleſiaſticarum ſtudium ſub magiſterio Syricij, & Davidij argumentum adverſus hanc Epiſtolam prorſus inſulſum ac ſupervacaneum eſſe.

V. Quinta petitur objectio ex argumentis quibus Syricius contra Bonoſum Mariæ Virginitatem comprobat, quæ adeo imbecilla atque infirma videntur; ut prorsùs incredibile ſit, inquit Davidius, hanc Epiſtolam poſſe „ adſcribi decenter non ſolùm Syricio, ſed ulli Summo „ Pontifici. Hæc autem argumenta, inquit, ad hoc ratio- „ cinium recidunt quod cum ſcilicet Salvator cruci affixus „ Virgini Joannem commendaſſet, *Mulier ecce filius tuus,* „ pariterque ſancto Joanni Virginem, *Fili ecce mater tua,* „ vult hujus epiſtolæ autor ex hoc aſſumi certiſſimum ar- „ gumentum Virginitatis Beatæ Mariæ. Nam, inquit hic „ autor, ſi liberorum ſuſcipiendorum neceſſitate Maria „ conjuncta fuiſſet Joſepho, nunquam ab eo ſeparari filius „ Dei paſſus fuiſſet. Neque enim eam ſuſcepturam ex Jo- „ ſepho filios à viri conſortio ſeparare voluiſſet. Sed hoc „ ratiocinium adeo imbecillum videtur, ut ipſe crederem „ vehementer officere famæ Magni Pontificis, ſi tam cer- „ tam opinionem tam incerto fundamento ſuſtentaſſe pu- „ tarem. Enimverò totum hoc ratiocinium nititur fide „ opinionis aſſerentis Joſephum poſt Chriſti Domini paſ- „ ſionem in vivis permanſiſſe. Si enim ante Crucis ſuppli- „ cium deceſſerat Joſephus nihil concludendum ſupereſſet „ ad

David. pag. 565.

Digitized by Google

„ ad Mariæ Virginitatem, ex eo quod ſuam matrem extre-
„ mum trahens ſpiritum, alteri quàm Joſepho Chriſtus
„ commendaverit.

Fateri neceſſe eſt hanc opinionem quæ ſubjicit ſanctum Jóſephum vixiſſe ſuperſtitem Chriſto Domino, nec probabiliorem nec veriorem eſſe: ſed eam quam ſequitur S.Epiphanius quæ Joſephum circa tempus nuptiarum in Cana Galileæ deceſſiſſe ſupponit eſſe magis certam ac ſecuram. Verùm licet opiniones incertæ ſint ac dubiæ, non ſemper concludendum eſt eas nulli Summorum Pontificum aut magnorum virorum adſcribi poſſe, verbi gratiâ, nemo homo dubitat quin S. Ambroſius de S. Joſepho, in ſententiam iverit Syricij, parique modo de matris Dei Virginitate ratiocinatus ſit capite ſexto libri ſub titulo inſtitutionis ad Virginem. *Dicit ergo ad matrem: Mulier ecce filius tuus. Dicit ad diſcipulum, Ecce mater tua. Ipſe eſt diſcipulus cui mater commendabatur. Quomodo uxorem tolleret, ſi fuerat Maria mixta conjugio aut uſum thori conjugalis cognoverat?* Autor libri de operibus Cardinalibus Chriſti inter opera ſancti Cypriani & in Codice manuſcripto antiquo Oxonienſi Arnoldo Bonavillarenſi Abbati adſcripti, eandem ſequitur ſententiam. Sed plus dico, nam opiniones non ſolum falſæ, verùm etiam hæreticæ aliquando in autorum ſcriptis occurrunt quas Summi Pontifices, inconſideratè dubio procul, comprobarunt. Verbi gratiâ, Zoſimus ſi fidem adhibemus Facundo epiſcopo Hermianenſi fidem Pelagij & Cæleſtij contra deceſſoris Innocentij ſententiam laudavit & epiſcoporum Africæ qui eam condemnaverant, Honorius primus, hæreſis Monothelitarum crimine poſtulatus in 6. Concilio generali condemnatus fuit. Denique ſi hæc Davidij methodus æqua eſt, & ita ratiocinari nihil vetat, ut quoties falſa aut inſulſa quædam opinio in libro occurrit, nulli Romanorum Pontificum decenter adſcribi poſſit, jam infiniti

S.Epiph. hæreſi 78. Antidicomar.

S.Ambr. Virg. inſtitut. cap. 6. in fine.

De operibus Cardinal. ſer. de Paſſ. Domini pag. 441.

Facundus Hermian. l. 7. defenſ. 3. capitul. pag. 277. litt. C.

finiti Pontifices ab infinitis erroribus eximentur, eiſque pontificiæ amplitudinis excuſatione uti licebit. Fides non erit adhibenda ipſimet Scripturæ Sacræ de contentione ſancti Pauli & Petri ſuper circoncisione, quoniam cum ſententia ſancti Petri falſa ſit vel ejus culpa non tam in falſitate ſententiæ quàm temeritate poſita, ut obſervat Tertullianus, nec Petro nec ulli ſucceſſorum Pontificum tribui poterit. Jam ora teneant qui bullam unam ſanctam Bonifacij VIII. adverſus Philippum pulchrum obtrudere ſolent, quippe mendaciis & erroribus plena decenter Pontifici Romano aſcribi nequit. Ipſamet concordata fœderis icti inter Leonem decimum, & Franciſcum primum falſa ac ſuppoſititia æſtimari debeat, nam falſis & inſulſis ratiociniis non indigent. Denique maxima in culpa fuit Gregorius XI. dum hæc extremis tabulis ſanxit.

Item volumus, dicimus & proteſtamur ex noſtrâ certa ſcientiâ quod ſi in conſiſtorio & in Conciliis vel ſermonibus vel collationibus publicis vel privatis ex lapſu linguæ aut aliàs ex aliqua turbatione, vel etiam lætitiâ inordinatâ aut præſentia magnatum ad eorum forſitan complacentiam ſeu ex aliqua diſtemperantia vel inadvertentia aut ſuperfluitate aliqua dixerimus erronea contra Catholicam fidem quam coram Deo & hominibus publicè ut tenemur præ cateris profitemur, colimus & colere cupimus ſeu forſitan adhærendo aliquorum opinionibus contrariis fidei Catholicæ ſcienter quod non credimus vel etiam ignoranter aut dando favorem aliquibus contra Catholicam religionem obloquentibus illa expreſſe & ſpecialiter revocamus, deteſtamur, & habere volumus pro non dictis. Hæc enim dicere non potuit niſi perſuaſus Romanum Pontificem poſſe omnia peccata hic expreſſa committere. Verùm cum hæc omnia Summo Pontifici decenter adſcribi nequeant, jam neceſſe erit ad mentem Davidij hoc Gregorij XI. teſtamentum inter apocrypha & ſuppoſititia rejicere, quamvis

vis nemini homini litterato de ejus veritate dubium ſubolet, & publici juris fecerit Domnus Lucas D'acherius doctiſſimus Monachus ex Codice MS. Abbatiæ Caſæ-Dei, cujus opes multis acceſſionibus hic Papa cumulavit.

Immeritò etiam Davidius Nicolao I. Papæ adſcribit epiſtolam quartam ad Epiſcopos Galliæ ſuper negotio Rothaldi epiſcopi Sueſſionenſis. Quippè cum ipſemet probet pag. 818. & 819. ſui operis, hunc Papam peſſimo & inſulſiſſimo uſum eſſe ratiocinio, dum ſibi vindicare " conatus eſt, ita ut ſingulare Sedis Apoſtolicæ privile- " gium, jus habendæ quæſtionis de cauſis ſimplicium " preſbyterorum, vi legis, ex qua hoc privilegium omni- " bus Patriarchis commune intelligitur. "

Verumenimverò ſi hæc omnia Davidio non ſatisfaciunt, illumque elumbis ac prorsùs enervatæ critices non convincunt, percontarer libentiſſimè qua ratione fieri poſſit ut Holſtenius cui res Summi Pontificis multis de cauſis chariſſimæ eſſe debebant, non animadverterit hanc Syricij epiſtolam tot ſphalmatis contaminari, quæ nullatenus Romano Pontifici convenire poſſunt. Et ſi Holſtenius animo falſus eſt, quippè cum aliquando bonus dormitat Homerus; Cur ſacri Palatij Magiſter Collectionis Romanæ in publicum edendæ, in qua hæc epiſtola occurrit, facultatem dare non renuit? Cum ejus officij eſſe potiſſimè videatur cavere, ne ſoli oſtendatur quod dedecori eſt Sedi Apoſtolicæ. Denique qui fieri potuit ut Eminentiſſimus Cardinalis Franciſcus Barberinus qui cæteris non ſolùm curiæ, verumetiam Eccleſiæ Romanæ prælatis, meritis ac virtutibus antecellit hanc collectionem Romanam publici juris faciendam cenſuerit, eam Syricio Papæ verò autori Epiſtolam primus reſtituerit & vindicaverit, niſi veram & non ſuppoſititiam eſſe ſentiat? Sed ut uno verbo tota res ad exitum adducatur, cur Alexander VII. Papa hæc omnia Romanæ Collectionis acta vera eſſe judicavit? tantique

tantique illa habuit ut ære ſuo in editionis pretium liberaliter effuſo, publicationem eorum urgendam duxerit? *Verum*, inquit Cardinalis Barberinus, *de utilitate ac præſtantiâ horum actorum non aliud requirendum teſtimonium eſt poſt graviſſimum tuæ ſapientiæ præjudicium quo illa tanti habuiſti ut ære tuo in editionis pretium liberaliter effuſo, publicationem eorum urgendam duxeris.*.

Epiſt. dedicator. Collect. Roman. Alex.VII. Papæ.

VI. Ad has objectiones nova quædam accedere poteſt quæ cæteris antecellere videatur, quamvis in mentem Davidio non incurrerit. Scilicet hanc Epiſtolam de qua quæſtionem habuimus, reperiri ſub nomine S.Ambroſij ſcriptam Theophilo & Anyſio, inter litteras hujuſce ſancti Doctoris. Et quoniam dubitare nemo debet quin ſanctus Ambroſius de tempore mortis ſancti Joſephi cum hujus Epiſtolæ autore conveniat, non incredibiliter ei vindicari poſſe videretur. Sed his reponi poteſt. Primò ſanctum Ambroſium in hac Epiſtolâ citari quod nuſquam Epiſtolæ autori congruit. *Denique cum Bonoſus Epiſcopus poſt judicium veſtrum miſiſſet ad fratrem noſtrum Ambroſium.* Secundò, in operibus ſancti Ambroſij hæc Epiſcopo inſcribitur Theophilo cui nunquam negotium Bonoſi fuit delegatum, ſed ſolùm ſchiſmatis Antiocheni inter Flavianum & Evagrium de quo ſuprà diſſeruimus. Igitur planiſſimè conſtat hanc Epiſtolam non eſſe ſancti Ambroſij, multaſque grates eſſe rependendas Alexandro VII. Papæ, & Cardinali Barberino qui eam vero autori Syricio ſcilicet Papæ, reſtituerunt & vindicarunt.

S.Ambr. Epiſt.69.

CAPUT

CAPUT XXX.

Explicatur tertia Epiſtola Syricij Papæ.

SI Davidius hæc omnia ſeria cogitatione perpendiſſet, non adeo mente captus videretur, ut ſibi perſuaderet Syricium Papam juſſiſſe ſuo tempore exequi Canones Concilij Sardicenſis, atque iis ſancitam diſciplinam inſtituere voluiſſe. Hoc tamen defendit ac propugnat ſui operis pag. 634. & probat obtemperationem Canonibus hujus Concilij hujuſce Pontificis epiſt. 3. ad Epiſcopos Catholicos multarum provinciarum, in qua contendit Davidius occurrere citatum Canonem 13. hujuſce Concilij de legitima inauguratione ſeu ordinatione preſbyterorum & Epiſcoporum. *Tales videlicet*, inquit Syricius Papa, ut refert Davidius, *ad Eccleſiaſticum ordinem permitterentur accedere quales Apoſtolica autoritas jubet, non quales dico .... qui poſteaquàm pompâ ſæculari exultaverunt aut negotiis Reipublicæ optaverunt militare, aut mundi curam tractare adhibitâ ſibi quorumdam manu & proximorum favore ſtipati hi frequenter ingeruntur auribus meis ut Epiſcopi eſſe poſſent.*

Difficile eſt perſpicere qua ratione ſpectent hæc verba Concilium Sardicenſe. Verumtamen præconceptam ſententiam, Davidius obfirmato pectore perſequitur. Reve " ra cùm hic Papa ab Epiſcopali dignitate arcebat eos qui " rempublicam geſſerant, non poterat alio niti Canone, " quàm 13. Concilij Sardicenſis, in quo hæc lex ſan- " cita fuerat. *Diligentiſſimè tractetis ſi fortè aut ſcholaſticus de foro aut ex adminiſtratione epiſcopus fuerit poſtulatus.*

Sed hanc Davidij objectionem diluere non eſt difficile.

I. Nunquam aditum ad dignitatem epiſcopalem Con-

cilium Sardicenſe præcluſit iis qui rempublicam geſſerant, falſumque eſt hanc legem fuiſſe 13. Canone hujuſce Concilij ſancitam: quo ſolum vetatur epiſcopis ne cum preſbyteró aut Diacono ab Epiſcopo excommunicato communionem habeant.

II. Revera hæc verba citati ſuprà Canonis occurrunt Canone 10. hujus Concilij, ſed falſum eſt his ab epiſcopatu arceri eos, qui negotia reipublicæ geſſerunt. Cum è contra hic Canon decimus videatur confectus ad ſignificandas cautiones quibus uti neceſſe eſt, erga eos qui cum reipublicæ negotia tractaverint, epiſcopali amplitudine digni judicabuntur. Quamobrem hic Canon eis procurationem epiſcopalem committere vetat antequam munere Lectoris Diaconi & Preſbyteri aliquandiu functi ſint. Hìc opus eſt tantum exſcribere hunc Canonem atque oculis ſubjicere, ut nemini dubitandi locus relinquatur de leviſſimâ Davidij accuratione. *Hoſius Epiſcopus dixit hoc quoque neceſſarium exiſtimo ut cum omni cura ac diligentiâ examinetur, ut ſi quis dives vel ex foro ſcholaſticus Epiſcopus fieri dignus habeatur, non prius conſtituatur quàm lectoris & Diaconi & presbyteri miniſterium peregerit, ut in uno quoque gradu ſi dignus exiſtimatus fuerit ad Epiſcopatus faſtigium per progreſſionem poſſit aſcendere. Habebit autem uniuſcujuſque ordinis gradus non minimi ſcilicet temporis longitudinem per quos & fides, & morum probitas, & conſtantia, & moderatio poſſit cognoſci: Et ipſe divino Sacerdotio dignus exiſtimatus, maximum honorem aſſequetur. Neque enim convenit neque ſcientia & bona converſatio hoc recipit, ut temerè & leviter ad id accedatur, ut Epiſcopus vel Presbyter vel Diaconus promptè ac facilè conſtituatur, ſic enim merito neophytus exiſtimetur quandoquidem beatiſſimus Apoſtolus qui fuit etiam doctor gentium maximè prohibuiſſe videtur, ne celeres fierent inſtitutiones, longiſſimi enim temporis probatio & converſationem & uniuſcujuſque mores*

mores non improbabiliter exprimere poterit omnes dixerunt ipſis placere & omnibus non oportere ea ſubvertere.

Præterea penitùs planéque reſpondere poſſem Davidio hunc Canonem neutiquam reſpicere ad eos qui rempublicam geſſerunt, ſed qui advocati artem, ac dicendi profeſſionem coluerunt: hoc enim ſignificat *ſcholaſticus de foro* cujus Syricius mentionem non facit.

III. Melius nemo nos docebit Concilium de quo loquutus eſt Syricius Papa in hac epiſtolâ quam ipſemet Syricius. At verò citat éo loci nominatim Concilium Nicænum. *Vt hac veſtra ſubſcriptione firmata Eccleſiaſtici Canonis diſpoſitio quæ apud Nicæam tractata eſt confirmata ſuo merito fundatiſſima permaneret ut tales videlicet ad Eccleſiaſticum ordinem permitterentur accedere quales Apoſtolica autoritas jubet, non quales dico vel eos qui cingulo Militiæ optaverunt militare aut mundi curam tractare adhibita ſibi quorumdam manu & proximorum favore ſtipati, hi frequenter ingeruntur auribus meis ut Epiſcopi eſſe poſſint qui per traditionem & Evangelicam diſciplinam eſſe non poſſint.*

IV. Davidius qui ſibi finxit hunc Papam de Concilio Sardicenſi in hac epiſtolâ loqui, reſpondet ſub nomine Concilij Nicæni citari; juxta mentem Juſtelli quam ſibi arrogare conatur. Enimverò obſervat Juſtellus in præfatione ad Codicem univerſæ Eccleſiæ, ut oſtenſuri ſumus cap.35. hujus libri, plurium Conciliorum Canones ſub nomine Nicæni fuiſſe citatos. Sed huic ſolutioni non eſt locus in hac controverſiâ. Ut enim verum ſit ſub nomine Nicæni Concilij citari Canones, oportet eos alibi quàm in Concilio Nicæno reperiri. Sed immò quæ citat Syricius, in Sardicenſi Concilio nuſquam reperiuntur. Sed in Nicæno, Canone ſcilicet Secundo. Ego verò neminem hominem eſſe puto cui non facillimè perſpectum ſit ex hujus epiſtolæ Syricij lectione mentem hujuſce Pontificis

 fuiſſe,

fuiſſe, vetare ne indigni ad epiſcopalem celſitudinem eveherentur. Hoc enim præ ſe ferre videtur titulus *ut indignus nullus efficiatur Epiſcopus.* Ideoque citat locum S. Pauli ex Epiſtola 1. ad Timotheum, & ait *Denique ad Timotheum ſic loquitur manus nemini cito impoſueris, neque communicaveris peccatis alienis, quod præterea memoratur ut examine habito, & probitate morum & Eccleſiaſtico labore ſit commendatior, qui vocatur in medium ut Summum Sacerdotium poſſit accipere, probatus judicio non favore: ſuſceptus veritate non gratiâ, Apoſtolico ordine functus non præcipiti voluntate.* Et certè nemini dubium ſupereſſe poteſt ex ſecundo Canone Concilij Nicæni trecentorum octodecim Patrum inſtitutum non fuiſſe à mente Syricij alienum, licet diu poſt Concilium Nicænum Sedem Petri occupaverit. Porrò hîc Canonem integrum exſcribere juvabit. *Quoniam plura aut per neceſſitatem aut alios cogentibus hominibus ex gentili vitâ nuper accedentes ad fidem & inſtructos brevi tempore mox ad lavacrum ſpiritale perducerent, ſimulque baptizati ſunt, ad Epiſcopatum vel ad preſbyterium promoverent; optimè placuit nihil tale de reliquo fieri, nam & tempore opus eſt ei qui catechizatur & poſt baptiſmum probatione quam plurima. Manifeſta eſt enim Apoſtolica Scriptura quæ dicit: Non Neophytum ne in ſuperbiam elatus in judicium incidat diaboli.*

Ex his planiſſimè conſtat Synodum Nycenam & Syricium Papam non aliud habuiſſe conſilium quàm vetandi epiſcoporum ordinationes temerarias ad mentem ſancti Pauli Epiſtola prima ad Timotheum quam Concilium iſtud & ipſe Papa æquabili ratione citant. Equidem ſcio eandem ſancti Pauli doctrinam decimo Canone Concilij Sardicenſis occurrere, ſed cùm palam & apertè dicat Papa Syricius ſe nominatim ac conceptis verbis de Concilio Nicæno loqui quid ei imponere neceſſe eſt, mentem fuiſſe de Concilio Sardicenſi quod in animum fortaſſe non incurrit,

1. Ad Tim. cap. 3.

rit, quodque non ſimpliciter vetavit ut Concilium Nicænum & Papa Syricius viros ſæculi negotiis implicatos epiſcopalibus infulis exornari: ſed cautiones adhibendas præſcripſit adverſus eos qui cum profeſſionem ſæculi coluerint epiſcopali magiſtratu digni judicabuntur, ſtatuitque ut juriſconſulti continuo tempore locuti ſunt non eſſe ejuſmodi homines per ſaltum promovendos prætermiſſis inferiorum ordinum gradibus Lectorum ſcilicet, Diaconorum, & Preſbyterorum, quod ſtatutum eadem ſancti Pauli doctrina fultum omninò diverſum eſt.

CAPUT XXXI.

Sententia Concilij Conſtantinopolitani anno Chriſti 394. Pontificatus Syricij ann. 10. de Cauſis Epiſcoporum.

CARDINALIS Baronius Tom. 4. Annalium nos docet anno Chriſti 394. num. 25. 26. & 27. hoc Concilium celebratum fuiſſe occaſione Dedicationis Baſilicæ quam Rufinus præfectus prætorio Conſtantinopoli ædificaverat in honorem SS. Petri & Pauli, & ad hujus ſacri ceremoniam celeberrimos Orientis Epiſcopos exciverat.

Ex eodem Cardinali intelligimus (juxta Balzamonem cui accepta refert acta hujus Concilij quæ citat) controverſiam inter Agapium & Gebadium pro Epiſcopatu Boſtrenſi ibi fuiſſe terminatam, decretumque fuiſſe epiſcopum non poſſe à duobus vel tribus epiſcopis judicibus ſua dignitate ſpoliari, ſed à pluribus in Concilio Provinciali congregatis. *Iidem convocati epiſcopi dictâ die ſcilicet 3. Kal. Octobris Arcadio tertium & Honorio ſecundum Conſſ. Conſtantinopoli conſidentes controverſiam inter duos*

illos Epiſcopos ſcilicet Agapium & Gebadium utrumque ſibi vindicare ſatagentem epiſcopatum Boſtrenſem obortam judicio definire, eo modo quo acta declarant ibidem à Theodoro narrata: Nimirum ex ſententia Theophili Epiſcopi Alexandrini definitam non licere deponi Epiſcopum à duobus vel tribus aliis Epiſcopis, ſed majoris tantum Synodi arbitrio nempè ejuſdem provinciæ epiſcoporum ſententiæ.

Ex his actis à Baronio citatis diſcimus multos huic Concilio interfuiſſe epiſcopos & preſbyteros. Nomina XXI. nobis indigitat, inter quos eminent illuſtris Nectarius epiſcopus Conſtantinopolitanus anteceſſor ſancti Chryſoſtomi qui Pœnitentiarium abire magiſtratu coëgit, S. Gregorius Niſſenus, & Amphilochius Epiſcopus Iconienſis duo poſt S. Gregorium Nazianzenum & ſanctum Baſilium eccleſiæ Orientalis lumina.

Non ſunt multa in hoc Concilio cogitatione reputanda, quippè mentem ſuam ſatis aperta teſtificatione explicat. Ex hoc enim clariſſimè intelligitur hujuſce Concilij Patres non æſtimaſſe Papam poſſe primæ cognitionis judicio dirimere epiſcoporum lites, ut contendit Davidius, operis ſui pag.16. quippè cùm hoc jus ſolitario Concilio provinciali adſcribant. Nullam etiam hi patres mentionem faciunt de appellatione ad Sedem Apoſtolicam, aut de aliis à Concilio Sardicenſi adhibitis cautionibus. Quod certiſſimo argumento eſſe poteſt nondum in eorum mentem incurriſſe obtemperationem huic Concilio: licet ab ejus coactione jam 48. anni effluxerint. Verumenimverò in contrariam potius ſententiam iviſſe videntur cum jus abdicandi ſuo munere epiſcopi provinciali Concilio ſingulariter adſcribant; ut ex his verbis patet, *ſed majoris tantum Synodi arbitrio, nempè ejuſdem provinciæ Epiſcoporum ſententia.*

CAPUT XXXII.

Antoninus Epiſcopus Epheſi ab Euſebio Velentinopolitano accuſatus. Plures Epiſcopi in Aſiâ ob Simoniæ crimen Epiſcopatu pulſi, circa annum Ieſu Chriſti 400. *&* 401. *ſub Anaſtaſio Pontifice, Arcadio & Honorio Imperatoribus.*

ACCUSATIONIS Antonini ſeriem nobis explicat Palladius in vitâ ſancti Chryſoſtomi, nec non abdicationis epiſcoporum Simoniacorum. Præterea litis ejuſmodi actiones ſpeciatim exponit, adeo ut non ſit valdè difficile intelligere uſum & conſuetudinem eccleſiæ, atque utrum his temporibus neceſſe fuerit in cauſa abdicationis epiſcopi ad Summi Pontificis aut aliorum judicum forum confugere. Ait igitur 13. indictione ſcilicet elapſo menſe « Septembri anni 400. veniſſe Conſtantinopolim Aſiæ « epiſcopos neceſſitatum eccleſiaſticarum gratiâ, & ibi « remoratos eſſe præſentibus & aliis epiſcopis, ex Scythiâ « quidem Theotimo, ex Thraciâ verò Ammone Ægyptio, « & ex Galatiâ Arabiano, metropolitis omnibus ac ſeni- « bus qui viginti duorum Epiſcoporum implebant nume- « rum. Convenientibus autem omnibus & communican- « tibus obſervato Euſebium quemdam Valentinopolitanum Epiſcopum congregato Concilio una Sabbathi « aſtitiſſe, libelloſque tradidiſſe Synodo, præpoſito, ut decuit Joannis nomine, contra Antoninum epiſcopum « Epheſi, ſeptem capitula continentes. Unum quidem « quod fuſis ſacris vaſis argentum in nomine filij depoſue- « rat.

Palladius dialog. de vita S. Chryſoſt. cap. 13. pag. 24. litt. B.

„ rat. Secundum quod ſumptum de ingreſſu baptiſterij „ marmor in ſuo balneo poſuit. Deinde columnas Eccle- „ ſiæ plures annos intra ſuum erexit triclinium. Quartum „ quod puer ejus homicidium perpetravit, quem habet in „ miniſterio irreprehenſum. Quintum quod prædia reli- „ cta Eccleſiæ à Baſilina, Imperatoris Juliani matre ven- „ didit, ſibique detinuit pretium. Sextum quod cùm uxo- „ ri propriæ abrenuntiaſſet, rurſus illi congreſſus eſt, „ filioſque ex ea procreavit. Septimum quod pro lege ac „ decreto habet, ordinationes epiſcoporum vendere pro „ modo redditiuum. Adjunxitque adeſſe qui dederant & „ ordinati fuerant ipſumque qui acceperat, eorumque „ omnium probationes ſe habere aſſeruit.

Sanctus Chryſoſtomus tot criminibus accuſatum epiſcopum intuitus, nec ſibi perſuadens tot contumeliis jure effici poſſe, enixè rogauit Euſebium ut ab hac criminatione deſiſteret, illique expoſuit ejuſmodi negotiorum genus poſt inquiſitionem ſæpè ad nihilum recidere. Sed nullis Chryſoſtomi precibus moveri potuit, nullas voces tractabiles audivit, licet veris criminibus Antonini nomen contaminaret, irritata ira atque vehementi exacerbatione mentis agitabatur non ſolùm epiſcopo non convenienti, verumetiam ab ejus ſanctitate ac dignitate prorſus alienâ.

Quamobrem ab accuſatione non deſtitit, immò verò ſtomachoſior obfirmato pectore perſecutus eſt. Igitur cùm „ Chryſoſtomus hæc ſibi infeliciter procedere ſentiret, „ hortatur, inquit Palladius Paulum Heracleæ Epiſco- „ pum qui Antonino ſtudere videbatur, ut eos in amici- „ tiam copulare contenderet, ſurgenſque Eccleſiam in- „ greſſus eſt, unà cum epiſcopis excuſatione data tempo- „ ris imminentis ſacrificij. Pacem verò populo ex more „ imprecatus, ſedit cum epiſcopis reliquis. Clam autem „ introgreſſus accuſator Euſebius coram populo omni, „ & epiſcopis libellum alium porrigit, eadem continen-

tem,

tem, adjurans Joannem ſacramentis horrendis, quibus «
ſalutem quoque principum addidit tanto cum tumultu «
ut putarent populi ejus impudentiâ territi eum à Joan- «
ne petere ut vitam ſibi à Rege impetraret. «

Joannes ubi viri inſtantiam advertit, ne in populo «
perturbatio ulla oriretur, libellum ſumpſit, lectiſque di- «
vinis eloquiis, Pauſophium orat Piſidiæ epiſcopum di- «
vina offerat ut munera: Ipſeque cum Epiſcopis reliquis «
exiit, cavebat enim animo turbido juxta Evangelium, «
ſacrificia offerre. Ubi verò dimiſſus eſt populus, ſedens «
in baptiſterio cum Epiſcopis reliquis, accuſatorem co- «
ram omnibus advocat, dicens ei: Rurſus tibi eadem di- «
co: plurimi triſtitia vel ira compulſi, multa & dicunt & «
ſcribunt quæ probare non poſſunt. Si igitur apertè noſti, «
de quibus illum accuſare vis (neque enim volentem «
repellimus neque trahimus non volentem,) antequam «
legatur libellus elige quod expedit tibi. Poſtquam enim «
fuerit lectus, & in aures omnium venerit, confectis com- «
mentariis, non jam licebit tibi cum ſis epiſcopus abſolu- «
tionem flagitare. Ad hæc ille in propoſito durat. Jubent «
itaque libellum recitari, lectáque ſunt memorata capitula. «

Poſtea dicunt Joanni ſeniores epiſcopi, & ſi unum «
quodque capitulum per ſe impium eſt, & undique ſacris «
legis interdictum, ne tamen videamur in his quæ ſugge- «
ſta ſunt nobis omne ſtudium ponere, ab eo quod eſt «
horribilius dictu fiat inquiſitionis initium. Si enim illud «
inventum fuerit: verùm, nulla de capitulis illius radix «
omnem præ ſe iniquitatis ſpeciem ferat juxta illum qui «
ait radix malorum omnium eſt cupiditas. Qui enim «
ſuper innocentem accipit munera & ſancti Spiritus lar- «
gitionem pecunia ſe vendere putat, quo pacto jam par- «
cet ornamentis aut lapidibus aut fundis Eccleſiæ? Tunc «
Joannes examen inchoans, Antonino ait, quid ad hæc «
dicis, Antonine frater? Negavit ille neceſſariò. Quan- «

X do

„ do enim ab his ipſis initiis confuſionem confiteretur
„ ſuam? Interrogati qui dederant, negarunt & ipſi. Cùm
„ hoc examen ad horam uſque octavam diligentius agi-
„ tur, ex argumentis quibuſdam indicium formabatur.
„ Poſtremò venitur ad teſtes quibus adſtantibus & illi de-
„ derant,& ille ſuſceperat. Non ad erāt teſtes qui neceſſariò
„ citandi erant.Difficultatem rei intuens Joannes pro Eccle-
„ ſiæ purgatione ut teſtes faciliùs adhiberentur per ſe ire in
„ Aſiam conſentit, perficiendi examinis gratiâ. Antoninus
„ ubi vidit Joannem impigrè exequi paratum quod inſtitue-
„ rat, neque corrumpi poſſe judicium mali ſibi conſcius
„ adiit quendam è principibus cujus prædia quæ habebat
„ in Aſiâ, ſibi curæ erant, orans ut Joanni impedimento
„ eſſet ne abiret in Aſiam, promittens ſe adhibiturum
„ teſtes. Protinus ex palatio mandatur Joanni in hæc ver-
„ ba. Indignum eſt te cum ſis epiſcopus, & noſtrarum
„ animarum pater in tantâ tumultus expectatione, dimiſ-
„ ſâ civitate peregrinationem in Aſiam ſubire velle cum
„ teſtes adhiberi poſſint. Erat autem tumultus cauſa Gay-
„ nus Barbarus. Quid multis immorer? manere illi per-
„ ſuaſum eſt, ita tamen ut judicij non omitteret curàm
„ teſteſque maturè àdeſſe mandaret. Optata fuit accuſato
„ ipſa dilatio vel modica teſtium, quos aut pecuniâ aut
„ potentiâ fugare poſſe confideret. Prævidit iſta Joannes
„ Concilioque Synodi præſentis habito quoſdam ex præ-
„ ſentibus epiſcopis in Aſiam mittit ad teſtes interrogan-
„ dos. Tres ex omnibus electi ſunt, Syneletius Metropo-
„ litanus, Heſychius Opariènſis & Palladius Helenopoli-
„ tanus epiſcopus. His dederat Synodus in mandatis, ut
„ qui intra duos menſes non occurriſſet Hypæpis Aſiæ Ci-
„ vitati; ad ſua tuenda jura quod vicini eſſent, & qui ar-
„ guebantur, & epiſcopi reliqui à Syneletio, ſociiſque ju-
„ dicandi, excommunicatus eſſet. Deſcenderunt igitur
„ Smyrnam prænominati epiſcopi Syneletius & Palladius:
ob Heſychius

Heſychius enim quod faveret Antonino, finxit ſe valetu- "
dinarium, ſignificaruntque continuò per litteras utriſ- "
que partibus adventum ſuum ut concurrentes in memo- "
ratam civitatem, implerent quæ polliciti fuerant. Illi an- "
te judicum adventum amicitias iniverant partim per- "
ſuaſi auro, partim jurejurando conſtricti. Congregati "
igitur in ipſa civitate, Judices ludere ſe poſſe putabant "
dilatione teſtium quaſi peregrè profecti eſſent ob varias "
cauſas. Ad hæc Judices accuſatorem rogant, intra quos "
dies adducturus eſſet teſtes, ſe expectaturos pollicentes. "
Ratus ille eos aëris inclementiam ferre graviter, ac per "
id velle diſcedere (erat enim fervor æſtivi ſolis) intra qua- "
draginta dies producturum promittit teſtes, aliàs pœnæ "
Canonum ſua ſpontè ſe ſubjicit. Expectavere Judices "
quadraginta dies, cum ille ad inquirendum dimiſſus teſtes "
omiſit hoc interim & Conſtantinopolim venit, illicque "
delituit. Ubi verò nuſquam comparuit, ſcripſere Judices "
omnibus Aſiæ Epiſcopis denuntiantes excommunicatum "
ſive ut deſertorem ſive ut detractorem. Poſt hæc alios "
quadraginta dies perſiſtentes cum ille minimè appareret, "
Conſtantinopolim rediere. Illic invento Euſebio ei quæ "
geſſerat exprobrabant. Rurſus ille infirmitatem corporis "
allegans pollicetur exhibiturum. Per hanc temporis mo- "
ram moritur Antoninus, quicum erat Euſebio contro- "
verſia, quæ ſic in judicio remanſit.

Utcumque res ſint ex ejuſmodi litis actione nihil colligere poſſumus niſi primò Epiſcopum accuſantem & in jus vocantem alterum, ad aliud non confugiſſe tribunal quàm Epiſcoporum unà congregatorum, idemque recognoviſſe pariter Præſulem accuſatum & in jus vocatum ad tuendam & ſuſtentandam ſuam innocentiam.

Secundò, Dubium de autoritate Concilij particularis ad dirimendas epiſcoporum cauſas fuiſſe adeò à mente Patrum hujus Synodi alienum, ut ipſimet hoc judicium

conficiendum tribus delegarent cum poteſtate excommunicandi eos qui in culpa eſſe viderentur.

Sed continua hiſtoriæ narratio ex qua intelligimus ea quæ adverſus Aſiæ epiſcopos crimine ordinationis emptæ convictos confecta ſunt,rem totam magis explicat.Nam Palladius idem nos docet Epheſina Sede vacante per obitum Antonini S. Chryſoſtomum accepiſſe litteras à clero hujus urbis & pluribus epiſcopis quibus eum per ſacra omnia obteſtabantur uti Eccleſiæ Epheſinæ ad extremas anguſtias redactæ, & in diſcrimen imminens adductæ opem ferret, quamobrem poſthabitâ corporis debilitate & hiemis magnitudine ſtatim proficiſci, & navim conſcendere decrevit.Ideo curam Eccleſiæ ſuæ Severiano Gabalitano epiſcopo commiſit, quicum familiaritas, & neceſſitudo interceſſerat, meritorum ejus erga ſe gratiâ quamvis eſſet inſignis Sycophanta.

Cùm igitur Chryſoſtomus navim conſcendiſſet penè naufragium fecit ortâ tempeſtate, ſed tandem Apamæam feliciter appulit, ibique epiſcopi Palladius, Syrinus, & Paulus qui opperiebantur occurrerunt. Hi quatuor epiſcopi ſimul Epheſum pedites iter fecerunt, ſtatimque poſt adventum epiſcopos Lydiæ, Aſiæ, & Cariæ numero 70. pluresque alios coëgerunt qui famâ ac nomine S. Chryſoſtomi accenſi, potiſſimùm ex Phrygia advenerunt. In his Comitiis Euſebius defuncti Antonini accuſator quem epiſcopi Simoniaci pecuniâ non oppugnaverant eos criminari non deſtitit.

Eorum ergo negotium fuit accuratè diſcurſum in hac 70. Epiſcoporum Synodo Epheſinâ, auditi ſunt teſtes, rei convicti, ac crimen confiteri coacti excuſationem dederunt conſuetudinis captandæ pro ordinationibus pecuniæ quam apud ſuos licitam, immo & confirmatam æſtimabant. Ideoque ſupremæ cognitionis judicio ex his ſex epiſcopatu abierunt data illis ſolitariâ facultate excipiendæ

de

de manu Sacerdotis Euchariſtiæ in termino mortis.

Primò. Ecce ſex aut tredecim epiſcopi juxta Sozomenum in Concilio abdicati minimè œcumenico à quo nulla provocatio ad Apoſtolicam Sedem aut ad aliud tribunal unquam apparuit.

Secundò. Theophilus Alexandriæ epiſcopus qui fuit S. Chryſoſtomi hoſtis acerrimus, continenti tempore in eum crimen congerere conatus eſt, ob eorum ſex Epiſcoporum abdicationem; quos ſexdecim eſſe fingebat, ut eidem majus odium pareret. Sed nunquam dixit eos Epiſcopos deber eappellare ad Sedem Apoſtolicam, nunquam de jure iteratæ recenſionis ſeu *reviſionis* coram Judicibus recuperatoriis mentionem fecit, quippè cum ei Concilium Sardicenſe prorsùs ignotum fuerit. Pallad. in vita S. Chryſoſt.

Tertiò. Nemo dubitat inimicos S. Chryſoſtomi non potuiſſe ſuſtinere vehementem amorem juſtitiæ ejus in abdicatione epiſcoporum ſimoniæ labe pollutorum. Sed argumento nullo probari poteſt ejuſmodi epiſcoporum conſilium fuiſſe, hujus Synodi judicium enervare ac vanum reddere Arte appellationum ad Sedem Apoſtolicam, áut morem gerendo decretis Concilij Sardicenſis.

Quartò. Hos epiſcopos non ſolùm ſede pulſos, ſed alios in eorum locum ſuffectos fuiſſe refert Palladius. *In eorum autem locum ſubſtituti ſunt alij virtute clari & vitâ ſimul & gratiâ divini ſermonis ornati.*

Quintò. Revera hi Epiſcopi, quatuor poſt annis, Chryſoſtomo exulante in ſedes reſtituti ſunt, & in eorum locum ſuffecti decedere coacti ſunt. Sed Palladius non nos docet ita ſe rem habuiſſe Pontificiâ aut Eccleſiaſticâ poteſtate, idque ſolùm adſcribit conatibus conjurationis cui nomen dederant, & ait hanc reſtitutionem maximum attuliſſe ovibus Chriſti detrimentum. Porrò ex his colligere poſſumus hanc abdicationem juſtam ac legitimam habitam fuiſſe, ac Judices primæ cognitionis epiſcoporum quan-

tumvis ſuam cauſam juſtam æſtimaverint, totiſque viribus ad ſedes unde pulſi fuerant anhelarent, non ſcripſiſſe ad Sedem Romanam ut eorum negotia iterata cognitione recenſeretur ad normam in Concilio Sardicenſi præſcriptam.

CAPUT XXXIII.

Herenas, Donatus, Acurius, & Emilius Epiſcopi Priſcillianiſtæ abdicati in Concilio Toletano primo circa annum Chriſti 400. ſed Anaſtaſio Pontifice.

INTELLIGIMUS ex actis hujus Concilij novem-decim epiſcopos, ex quibus conſtabat, non ſolùm ſanciviſſe decreta ad diſciplinam eccleſiaſticam ſpectantia, verùm etiam quæſtionem habuiſſe de pluribus epiſcopis, quorum fides in ſuſpicioſa tempora inciderat propter æſtum ſeu exacerbationem hæreſis Priſcilliani juſſu Maximi Imperatoris capite plexi, quem plerique uti Chriſti martyrem in magno pretio habere videbantur. Porrò ex his epiſcopis multi Eccleſiæ Fidei conſentientes ad communionem admiſſi in ſuis Sedibus permanſerant, ſcilicet Simpoſius, Dictinnius, Iſonius, Vegeſinus, & Presbyter cui nomen erat Comaſio.

Ex his quidem Herenas nunquam vinci potuit, ſed adjunctis ſibi Clero & aliis tribus epiſcopis ſcilicet Donato, Acurio, & Emilio cauſam Priſcilliani tuendam ac fidem ejus pertinaciter ſuſcepit, ipſum uti Catholicum & ſanctum Martyrem defendit. Hic autem Herenas ad rationum ſuarum partes multos ſanctos viros traduxerat tam ex iis qui in vivis erant, quàm qui vita jam deceſſerant. *Herenas Clericos ſuos ſequi maluerat qui ſponte nec interrogati*

rogati Priſcillianum Catholicum Sanctumque Martyrem clamaſſent, atque ipſe uſque ad finem Catholicum hunc eſſe dixiſſet perſecutionem ab Epiſcopis paſſum. Quo dicto omnes Sanctos jam plurimos quieſcentes, aliquos in hac luce durantes ſuo judicio deduxerit in reatum.

Exemplar definitivæ ſententiæ Concil. Tolet. 1. apud Binium pag. 601. tom. 1. Concilior.

Hæc fuit cauſa abdicationis eorum in Concilio Toletano, *Hunc cum his omnibus* (verba ſunt concepta ſententiæ) *tam ſuis clericis quam diverſis Epiſcopis hoc eſt Donato, Acurio, Emilio, qui ab eorum profeſſione recedentes, maluiſſent ſequi conſortium perditorum, decernimus ab Sacerdotio ſubmovendum quem conſtaret etiam de reliquis verbis ſuis convictum per tres epiſcopos multos quoque Presbyteros ſive Diaconos eum perjurio eſſe mentitum.*

Apud Binium tom. 1. Concil. p. 601. litt. F.

I. Ex his perſpicimus multos epiſcopos Concilij privati autoritate ſuis ſedibus pulſos & judicatos, à cujus judicio appellationis ad Apoſtolicam Sedem nullum veſtigium apparet. Novem-decim epiſcopis in mentem nunquam venit ſcribere ad Romanum Pontificem, ut novos det judices, ad examinandum utrum hoc negotium altero judicio ſit recenſendum juxta normam in Concilio Sardicenſi præſcriptam.

II. Dicet fortaſſe quidam ſupervacaneum eis fuiſſe ire Romam ad obtinendam reſtitutionem, quoniam hæc quæſtio inconſultâ Sede Apoſtolicâ non agitabatur. Enimvero in eadem ſententiâ mentio fit cujuſdam Paterni epiſcopi ejuſdem ſceleris conſcij, cui communione fuit interdictum donec ab Apoſtolicâ Sede litteras Synodus acceperit. *Recepturi etiam in noſtram communionem cum Sedes Apoſtolica reſcripſerit.*

Sed reſponſio facilis eſt. Scilicet ita Patres Concilij Toletani definiviſſe. Quoniam huic Paterno Pontifex Romanus communione nominatim interdixerat ſive Papa ſe ab ejus communione ſecreverat. Quin autem hoc verum ſit dubitandi locus non relinquitur: quippè cùm ad judicandum

candum utrùm iſte Paternus in epiſcopali ſede maneret, vel ab ea diſcederet non ſtatuitur expectandum eſſe ſummi Pontificis reſponſum: Sed ſpeciatim decernitur Paternum debere in eccleſiaſtica Sede manere, ei tantummodò ad tempus impoſita communionis interdictione donec Sedis Apoſtolicæ Antiſtes reſcripſerit. *Paternum licet pro Catholicâ fidei veritate, & publicata hæreſis errore libenter amplexi, eccleſiam in qua epiſcopus fuerat conſtitutus, tenere permiſimus recepturi etiam in noſtram communionem cum Sedes Apoſtolica reſcripſerit.* Porrò hic cultus non erat erga ſummum Pontificem ſingularis, ſed & hoc officio colere omnes epiſcopos qui ſe ab alicujus epiſcopi rei, communione ſubtraxerant in uſu & conſuetudine poſitum erat. Hujuſce veritatis certiſſimum argumentum ſententia definitiva nobis ſuppeditat. Nam ex ea intelligimus debere alios Provinciæ Galliciæ epiſcopos qui cum Symphoſio communicaverant, in pace manere, ſcilicet eccleſiæ communione potiri, dummodò præſcribendæ à Concilio formulæ non renuant ſubſcribere, donec Papa Romanus, Simplicius epiſcopus Mediolanenſis & alij Epiſcopi catholici reſcripſerint. *Reliqui qui ex Provinciâ Galliciâ ad Concilium convenerant accepta forma à Concilio miſſa, ſi ſubſcripſerint, etiam ipſi in cæleſtis pacis contemplatione conſiſtant; expectantes pari exemplo quid Papa qui nunc eſt, quid S. Simplicianus Mediolanenſis epiſcopus reliquique Eccleſiarum reſcribant Sacerdotes.* [a] Baronius & [b] Binius quibus ejuſmodi Romani Pontificis & epiſcopi Mediolanenſis æquatio non placet, ſibi finxerunt epiſcopum Mediolanenſem eſſe Vicarium Romani Pontificis. Sed conſtat ejuſmodi interpretationem eſſe meram ingenij ludificationem.

a Annal. anno 405. num. 35.
b Tom. 1. Concil. in notis pag. 606. ad Concil. Tol. 1.

Enimverò cur Mediolanenſis Epiſcopus erit potius Vicarius Papæ quàm alij Epiſcopi quorum æquabili ratione reſponſum expectandum eſſe pronuntiat Concilium Toletanum? *Reliquique Eccleſiarum reſcribant Sacerdotes.* Igitur

tur fatendum eſt ex his nihil colligi poſſe quo cæteris epiſcopis Romanus Pontifex ſingulari privilegio antecellat in Epiſcoporum cauſis judicandis.

Nunc eſſe videretur locus dicendi de condemnatione Equitij in Concilio Carthaginenſi anno 401. Sed de hac lite quid ſentiendum ſit oſtendemus infra capite 38. de Eccleſiæ Africanæ Codice anno 419. confecto diſputaturi.

CAPUT XXXIV.

S. Ioannes Chryſoſtomus Epiſcopali Sede pulſus in Pſeudo-Synodo ad Quercum circa annum Chriſti 403. *Innocentio primo Pontifice ſub Imperio Arcadij.*

NEGOTIUM ſancti Chryſoſtomi cæteris antiquitatis litibus antecellit, certiſſimumque rationis habendæ ſeu actionis juris in epiſcopali cauſa nobis ſuppeditat argumentum. At verò cum ipſe ſanctiſſimus vir hujuſce controverſiæ teſtis omni exceptione major eſſe videatur, rem totam ex narratione ejus intelligere neceſſe eſt.

Cum igitur Origeniſtæ ſeu potiùs ſuſpicioſiſſimo tempore de hoc errore ſuſpecti, Ægypto exules Hieroſolymam confugiſſent indéque iterum pulſi Conſtantinopolim: Ibi Theophilum cujus exacerbatione vehementer agitabantur multis criminibus accuſavere. Quamobrem S. Chryſoſtomus qui Sedem Conſtantinopolitanam occupabat circa annum Chriſti 399. è re ſuâ eſſe putavit Theophilum monere, eique ſparſos rumores reſcribere. Continenti tempore accuſatores Theophili occupato Imperatoris animo in jus vocaverunt prædictum Theophilum qui poſt multas cunctationes vadimonium ſe ſiſtere Conſtan-

tinopoli coactus eſt circa annum 403. Huic prima Chryſoſtomo mali labes ac bilis irritatæ Theophili ſcaturigo; ſi Palladio, Socrati & Sozomeno fidem habeamus. Quamvis hoc aſſeverare nolim, quippè cùm Innocentio dicat Chryſoſtomus ſe nullam invenire poſſe cauſam tantæ exacerbationis, tot procellarum ac perſecutionum fomitem. *Et quamvis injuſtarum inimicitiarum cauſam nullam invenire poſſemus, nihilominus tamen officium eis quod illi nobis debebant impendimus, nam iterum atque iterum eum obſervavimus ut ſe nobis conjungeret ac diceret cujus gratia ſtatim ab initio tantum excitaret bellum tantamque urbem ſeditioſam faceret, utrum cum ille cauſam dicere nollet, neque urgerent accuſatores ejus.*

Palladius cap. 6. 7. & 8. Socrates lib. 6. cap. 12. & 14. Sozomenus lib. 8. cap. 14. 15. & 16.

Utcumque res ſint, poſtquam Conſtantinopolim advenerit Theophilus ut ſe de criminibus quibus poſtulabatur expurgaret coram Imperatore Arcadio: certum eſt eum epiſcoporum conjurationem habuiſſe; plurimóſque in ſuburbio Conſtantinopolitano coëgiſſe, coram quibus multis criminibus accuſatus S. Chryſoſtomus Imperatoria autoritate comparere coactus eſt. *Theophilus ille qui Alexandrinæ Eccleſia epiſcopatum regendum ſuſcepit, cum à pientiſſimo Rege, cui adverſus illum quædam nunciata erant juſſus eſt venire, ſolus collectâ multitudine Epiſcoporum non paucorum hùc venit*, Et paulò inferiùs. *Vocavit nos Rex pientiſſimus & juſſit ut iremus ad locum in quo ille agebat, ſcilicet Theophilus, reique ſummam ab eo audiremus. Nam inſidias & cædes & alia plurima cauſabantur.* Obſervat præterea hos omnes epiſcopos advenientes Conſtantinopolim noluiſſe ſecum communicare; ipſumque Theophilum omni poſtpoſita conſuetudine in ædes Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ ingredi renuiſſe cum eo conloqui, & preces Deo fundere. Denique in hoſpitio ſuo diverſari licet Theophilo, ac comitatui præparato. Cum ejuſmodi judices ſibi infenſiſſimos animadverteret Chryſoſtomus,

Epiſtola S. Chryſoſtomi ad Innocent. Tom. 1. Concil. pag. 625.

mus, omnibus charitatis ac juſtitiæ peſſundatis legibus omnique officio prætermiſſo quo eum colere debebant, ſponte recuſavit obtemperare mandato Imperatoris ac ſe ſiſtere vadimonium apud judices quorum animus jam præſumpta damnationis opinione occupabatur : Ideóque tribus de cauſis pſeudo-Synodi juriſdictionem ejuravit.

I. Quoniam oportebat juxta Canones & leges eccleſiaſticas in quibuſque provinciis negotia tractari transmontanoſque ad judicia eis montana non attrahi. *Nos autem ſcientes leges patrum viroque honorem habentes, habentes etiam ſuper hac re ejus litteras : oportere in quibuſque provinciis ſua negotia tractari, transmontanoſque ad noſtra judicia non attrahendos fortiter detrectavimus ne cauſam ſuſciperemus judicandam.* Et infrà ; *neque enim congruum eſt ut hi qui in Ægypto ſunt judicent eos qui in Thraciâ.* Ex quibus perſpicimus hac ætate nondum obſoletam temporis S.Cypriani diſciplinam. (*Cum ſtatutum ſit omnibus nobis & æquum ſit pariter & juſtum ut uniuſcujuſque cauſa illic audiatur ubi & crimen admiſſum eſt,*) de qua diſſeruimus cap. 1. hujus libri ipſamque Concilij Nicæni Canone 5. ſancitam, quam ſuprà cap.6. explicuimus. **Epiſtola eadem.**

II. Purgare ſe coram ejuſmodi Synodo noluit S.Chryſoſtomus quoniam Theophilus qui ipſum in jus exciverat, nondum erat culpâ vacuus aut criminatione liber. *Poſt hac vocavit & nos ad judicium nondum dilutis quæ adverſum ſe erant cauſis, idque contra omnes Canones & leges eſt.*

III. Quoniam nihil magis à jure alienum eſt, quàm ſperare, fore ut inimici quod noſtrum eſt nobis reddant. Quamobrem cum Theophilus & alij hujuſce pſeudo-Synodi Antiſtites aperto marte eſſent hoſtes Chryſoſtomi, non potuit ejuſmodi judices recognoſcere. Sed ad eos miſit tres epiſcopos ſcilicet Demetrium Piſinatium, Eleuſum Apameæ, & Lupinum Apiariæ, cum duobus preſbyteris Germano & Severo, ut eis teſtificarentur, cum omni

manſuetudine ac charitate, Chryſoſtomum non pertimeſcere juſtum ac legitimum judicium, ſed apertum & infenſum hoſtem; Cæterúmque eſſe paratiſſimum ad diluendas accuſationes quibus vexabatur, non ſolum coram centum, verùm etiam mille judicibus non ſuſpectis, nec inimicis. *Porrò nos ſcientes non ad judicium ſed ad hoſtem & inimicum perrecturi eſſemus, id quod ſatis declarant quæ prius ac poſtea ſunt facta, miſimus ad eum epiſcopos Demetrium Epiſcopum Piſinatium, Eleuſium Apameæ, Lupinum Appiariæ, presbyteros autem Germanum & Severum qui congruâ lenitate reſponderent ac dicerent non vitare nos judicium ſed inimicum apertum & hoſtem manifeſtum. Nam qui nondum acceptis libellis ſtatim ab initio talia fecit & ſeipſum abſtraxit ab Eccleſia precibus & communione, & inſuper accuſatores ſubornavit, Clerum ad ſe traxit, Eccleſiam deſolavit: quomodo idoneus cenſeri poſſit hujuſmodi ut in judiciis thronum conſcendat ſibi minimè congruentem? Neque enim congruum eſt ut hi qui in Ægypto ſunt judicent eos qui in Thraciâ & præſertim ille qui ipſe reus eſt inimicus & hoſtis.* Et infrà, *Paratos nos ad diluendum crimina, & ad Innocentiam ſicut & Innocentes ſumus declarandam coram centum vel mille epiſcopis.*

Epiſtol. Chryſoſt. ad Innoc.

His tribus rationibus adductus Chryſoſtomus, coram Concilio ad Quercum ſe ſiſtere recuſavit, cui præerat Theophilus: Et à ſententia citationis qua ſibi dies erat dicta ut ſuam cauſam perorarct, ad legitimam Synodum provocavit. Hac autem provocatione vehementer irritatus eſt Theophilus; Nam cauſa fuit ut vitilitigationum & actionum quibus ſanctiſſimum epiſcopum vexavit, Eccleſiâ ſuâ expulit & ad extremas anguſtias ac miſerias adduxit. *Cum autem conteſtaremur paratos nos ad diluendum crimina & ad Innocentiam ſicut & Innocentes ſumus declarandam coram centum vel mille epiſcopis, non aſſenſit: ſed licèt abſentes eſſemus, & ad Synodum appellaremus & judi-*

cium

cium inquireremus & non auditorium, ſed manifeſtas inimicitias fugeremus; ipſe tamen accuſatores ſuſcepit, meos excommunicavit, & de illis qui nondum ſe de ſuis criminibus urgaverant libellos collegit; quæ omnia legibus & Canonibus prohibita ſunt. Et quid opus eſt multum dicere? Non deſtitit omnia facere & tractare donec nos vi & potentiâ è Civitate & Eccleſiâ ejiceret. Tot calamitatibus oppreſſus & afflictus Chryſoſtomus noctu diſceſſit, navim conſcendit, epiſcopatum reliquit, juſſu Imperatoris exulavit.

Diſcimus ex Palladio hujus pſeudo-Synodi epiſcopos duodecim habuiſſe ſeſſiones adverſus Chryſoſtomum, & decimam tertiam adverſus Heraclidem, quem in epiſcopali Sede Epheſiorum collocaverat prædictus Chryſoſtomus in locum Antonini, de cujus abdicatione capite Pallad. quod proximè antecedit diſſeruimus. Hunc tamen Hera- cap.8. clidem dignitate ſpoliare non auſi ſunt quamvis ſtomachoſiores iras Macarij Epiſcopi Magneſiæ ſuſtineret.

Joannes ſancti Chryſoſtomi Diaconus hoſtium ejus truculentior, quem inimici ſubornaverant in hoc Concilio 29. capita accuſationum propoſuit adverſus eum æquabiliter falſa & inſolentia.

I. Accuſabat Chryſoſtomum crimine ſibi ipſi Joanni Diacono interdictæ communionis eccleſiæ, eo quod juvenem quendam ſuum famulum verberaverat.

II. Eum arceſſebat crimine verberationis cujuſdam ſolitarij Joannis, quem catenis ita ut energumenum conſtringi juſſiſſe dicebatur.

III. Eo quod vendiderat gemmas ex theſauro Eccleſiæ.

IV. Et marmora quæ ad ornamentum Eccleſiæ ſanctæ Anaſtaſiæ præparaverat Nectarius anteceſſor.

V. Quod multis contumeliis atque injuriis plures viros eccleſiaſticos affecerat, turpes vernas ſycophantas ad omnia paratos appellitans nec tribus denariis æſtimandos.

VI. Quod ſanctum Epiphanium delirum & parvum dæmonem dixerit.

VII. Quod Severiano epiſcopo Gabalitano inſidias comparaverit & ducenarios adverſus eum excitaverit.

VIII. Quod librum adverſus Clerum calumniis plenum compoſuerit.

IX. Quod in jus vocaverit coram cleri comitiis tres Diaconos ſcilicet Acacium, Edalphium, & Joannem, atque iis impoſuerit crimen furti pallij patriarchalis, & quæſtionem habuerit utrum aliquo uſu profano non polluerint.

X. Quod Sacris initiaverit quendam Antoninum, quamvis ſepulchra mortuorum crimine furti violaverit.

XI. Quod Joannem comitem in ſeditione militari prodiderit.

XII. Quod Eccleſiam adierit nullis in ingreſſu vel exitu fuſis ad Deum precibus.

XIII. Quod preſbyteros & Diaconos ſine altari ordinaverit.

XIV. Quod unâ ordinatione quatuor epiſcopos conſecraverit.

XV. Quod mulieres hoſpitio exceperit & cum iis unà remanſerit dimiſſis teſtibus.

XVI. Quod ope Theoduli hæreditatem Teclæ vendiderit.

XVII. Quod omnes uſum bonorum eccleſiaſticorum celaverit.

XVIII. Quod in preſbyterum conſecraverit Diaconum Serapionem multis criminibus poſtulatum, nulla ratione culpa liberum.

XIX. Quod viros eccleſiarum omnium communione inſignes in carcere defunctos flocci fecerit & eis juſta reddere renuerit.

XX. Quod Sanctiſſimum Acacium Beræenſem epiſcopum ſummâ injuriâ affecerit, & ipſum alloqui noluerit.

XXI. Quod

XXI. Quod manifeſtâ proditione eunuchum Eutropium patricium & Imperij Summum miniſtrum Præfecto Porphyrio tradiderit ut in exilium iret.

XXII. Quod Venerium preſbyterum truculentiſſimâ proditione pariter prodiderit.

XXIII. Quod Balneum pro ſe ſolo calefieri juſſerit aditumque occluſerit ope Serapionis Diaconi ne quis poſt ipſum Balnearia ingrederetur.

XXIV. Quod plures omiſſis vitæ & morum teſtificationibus ordinaverit.

XXV. Quod ſolus cibum ſumpſerit & privatim helluonum ac Cyclopum more genio indulſerit.

XXVI. Quod accuſator, teſtis & Judex fuerit in negotio Archidiaconi Martyrij & Proërcſi Epiſcopi Licyæ.

XXVII. Quod cùm pugnis contuderit Memnonem in Eccleſia Apoſtolorum adeo ut ore ſanguinem emiſerit, non deſtitit tamen Sacrum facere.

XXVIII. Quod induere & exuere veſtes ſoleret in throno Archiepiſcopali & ibi artolaganum comedere.

XXIX. Quod pecuniâ oppugnaverit epiſcopos quos ordinaverat ut eorum induſtria acriùs clerum vexaret & inſutaretur.

Iſaac quidam monachus hæc 29. capita ſeptemdecim acceſſionibus cumulavit quæ falſa æqualiter & gravia videbantur.

Primò primum erat S. Joannem Chryſoſtomum verberaſſe & catenis conſtrinxiſſe Joannem Monachum in gratiam Origeniſtarum.

Secundò, Arguebatur eo quod S. Epiphanius cum eo communicare noluerit propter Ammonem, Euthymium, Euſebium, Heraclidem, & Palladium omnes Origeniſtas.

Tertiò, Accuſabatur crimine violatæ hoſpitalitatis, eo quod ſolitarius ſumeret cibum.

Quartò,

Quartò, Poſtulabatur eo quod menſam eſſe plenam furiis prædicaverit.

Quintò, Quod ſuos amores in eccleſiâ jactaverit. Dixerit ſibi placere flagrantiſſimam libidinem, ſeque amore furente vehementer accendi.

Sextò, Quod peccatores audaciores & confidentiores reddiderit ſponſa toties quoties peccauerint animæ valetudine ac dato conſilio iterum agendæ pœnitentiæ quoties iterum peccaverint.

Septimò, Quod conciones ſuas ad populum impietatibus ac blaſphemiis contaminaverit, auſus dicere non fuiſſe exauditas JESU CHRISTI orationes, quoniam non rogaverat ſicut oportet.

Octavò, Quod populum ad tumultum accenderit, ut à concilio deſciſceret.

Nonò, Quod plures gentiles Chriſtianorum perſecutores truculentos & feroces in Eccleſiam admiſerit, eiſque opem præbuerit.

Decimò, Quod in provinciis aliorum epiſcoporum inſolenti temeritate epiſcopos ordinaret.

Undecimò, Quod epiſcopos infinitis contumeliis afficeret, & eos vi ac furore oppreſſos domo ſuâ ejiceret.

Duodecimò, Quod clerum inauditis artibus inſectaretur & injuriosè tractaret.

Decimotertiò, Quod res depoſitas eriperet.

Decimoquartò, Quod inconſulto clero, eoque non coacto ordinationes faceret.

Decimoquintò, Quod Origeniſtas admitteret, & è contra carcere liberari non juſſerat ſolitarios univerſæ eccleſiæ communione venerandos, litteras habentes commendatitias; ſed eos mori permiſerat in pedore carceris, non dignatus etiam in fine vitæ eos inviſere, aut ulla conſolatione miſeriis levationem adferre.

Decimoſextò, Quod ſervos adhuc ſub Dominorum poteſtate

poteſtate pluribus criminibus accuſatos ordinaverit.

Decimoſeptimò, Denique ſeipſum Iſaacum contumelioſè tractaverit.

Hæc omnia revocationi S.Chryſoſtomi remoram non impoſuerunt, nec obſtiterunt quominus Imperator unum ex ſuis amanuenſibus ad eum mitteret ut de provincia in quam exulaverat reduceret, ad hanc gratiam adductus conſilio triginta Epiſcoporum Chryſoſtomi amicorum qui perſpectâ temeritate & inſolentiâ actionum litis quibus venabatur ipſimet Chryſoſtomo autores fuerunt ut Conſtantinopolim reverteretur.

Nam poſtquam eos qui Eccleſiam invaſerunt, Pientiſſimus rex ejecit, & multi epiſcopi qui aderant, cognoſcentes iniquitatem, & fugientes inſidias illorum quaſi incendium depaſcens omnia, in ſuas regiones conceſſerunt; noſque iterum in urbem atque Eccleſiam à qua ejecti eramus, vocati ſumus inducentibus nos epiſcopis ſupra triginta & notario à Rege pientiſſimo in hoc miſſo. Epiſt. ad Innocent.

Tam repentinæ mutationis cauſam fuiſſe Imperatori, ipſius Imperatricis varietatem nos docent [a] Theodoretus & ipſemet [b] Chryſoſtomus, quæ adeo fuit attonita terræ motu, qui nocte contigit qua S. Chryſoſtomus urbe deceſſit ut ab inimicitiâ & odio aperto quo ſanctum epiſcopum perſequebatur puncto temporis ad benevolentiam & tutelam ejus animum traduxerit, literaſque ſcripſerit quibus eum reditum ſuum rogaret, & ut ſibi, ſcilicet Eudoxiæ, miſerias in quibus verſabatur non adſcriberet. Igitur poſtpoſitis juris formulis, reverſus eſt Conſtantinopolim Chryſoſtomus, Arſacius in locum ejus ſuffectus decedere coactus eſt, & ſtatuta Concilij ad Quercum vana ac ſupervacanea viſa ſunt, utpotè confecta ab hominibus, defectu quo non major eſt affectis, ſcilicet poteſtatis; qui violatis omnibus Eccleſiæ legibus, nulla ratione habitâ appellationis ad legitimam Synodum rem judicaverant.

[a] Lib. 5. hiſt. cap. 35.

[b] S.Chryſoſt. ſerm. poſt reditum de exilio.

Sed quoniam è re ſancti Chryſoſtomi & univerſæ Eccleſiæ erat maximè ut tanti viri fama ab omni culpa libera & immunis exiſteret, totque accuſationes & contumeliæ quibus afficiebatur palàm ac publicè diluerentur, ſanctus Epiſcopus ad eccleſiam ſuam reverſus, non deſtitit obſecrare Imperatorem uti Concilium cogeret, cujus in conſpectu ſuam innocentiam & integritatem comprobaret. Quæ cum ita eſſent, protinùs fugit Theophilus, quippè cui nihil horribile viſum eſt aut pertimeſcendum præter legitimos Judices quibus judicium Concilij ad Quercum ſubjiceretur. *Ille ſtatim aufugit, eo quod ingreſſi mox obſecrabamus Chriſtianiſſimum Regem ut Concilium cogeret, quo facta hæc juſtificarentur; malè conſcius enim ſibi erat & reprehenſionem pertimeſcens, Et idcirco cum Regis literæ in omnia loca mitterentur, & undequaque omnes congregarentur, occultè, mediaque nocte ipſe & ſui conſcenſa navi elapſi ſunt.* Interim Concilij coactionem Imperatorem rogare non deſtitit Chryſoſtomus, rogationique ejus non abnuit Imperator; Immò verò delegatis ad hoc negotium ſpeciatim nuntiis Theophilum excivit Conſtantinopolim tot violatorum Canonum, tot legum infractarum adverſus S. Chryſoſtomum, rationem redditurum. Sed huic Imperatoris mandato non obtemperavit Theophilus; excuſationem dedit ſeditionis cui ſua ex urbe abſentia occaſionem præberet, & longitudinis itineris quod breviori tempore conficere non poſſet.

Epiſtol. Chryſoſt. ad Innoc.

Porrò ut ipſe conſcientia noſtra fidentes, non propterea deſtitimus, ſed eadem iterum à Chriſtiano Rege rogavimus, qui & pro ſua pietate miſſis ad illum nunciis eum & omnes qui cum eo erant ex Ægypto vocavit ut rationem factorum quæ attentarant ex una parte abſentibus nobis tam injuſtè contra tot & tantos Canones. Atqui Regis ille litteris non obtemperavit, ſed domi manſit prætexens ſeditionem populi & intempeſtivam feſtinationem. Sozomenus lib.8. hiſtoriæ cap.19.

cap. 19. ait ſexaginta circiter epiſcopos Conſtantinopoli congregatos acta Concilij ad Quercum irrita ac prorsùs ſupervacanea declaraſſe. Sed an fides ei ſit adhibenda dubito, quippe cùm nihil de hoc referat Chryſoſtomus in Epiſtolâ ad Innocentium in ejuſmodi negotio teſtis omni exceptione major. Ex eodem S.Chryſoſtomo intelligimus ſe non deſtitiſſe ſuam comprobare innocentiam coram Imperatore & eum rogare coactionem Concilij & judicium Canonicum, quamvis Theophilus ſe ſiſtere coram judice recuſaret & plures epiſcopi qui ſe ad ejus voluntatem & nutum converterant. *Itaque*, inquit, *nos non quievimus orantes Regem ut haberetur judicium in quo agere & reſpondere liceret.*

Dicebamus enim nos paratos ad oſtendendum nos non eſſe reos, ſed illos legum extremos tranſgreſſores. Sed cum ejuſmodi conſilio, Theophili abſentia vehementer obſiſteret, æſtimavit Chryſoſtomus ſe poſſe probare ſuam integritatem coram hoſtibus. Quamobrem quoſdam epiſcopos Syriæ adiit factioni Theophyli addictos qui poſtquam Concilio ad Quercum interfuerant, Conſtantinopoli ſubſtiterant eoſque enixè obſecravit, ut ſecum libellos communicarent, crimina quibus accuſabatur declararent, accuſatoreſque non celarent. Et poſtquam multis precibus ab opinione falsâ quam de ſe acceperant eorum animum diſjungere non potuit & ad cogitationes manſuetiores reducere, eos jure interpellavit ut ſuam cauſam audirent. Sed ab irritatis & exacerbatis judicibus obtinere nihil potuit audire nolentibus hominem quem auditum damnare non potuiſſent. *Erant autem relicti hîc Syri qui cum eo affuerant ad quos etiam acceſſimus ad dandam rationem parati, atque ſuper ea re ſæpe eos interpellavimus obſecrantes ut dignentur nobis libellos & commentarios accuſationum dare vel genus criminum vel ipſos accuſatores ſignificare. Verum nihil horum obtinuimus.* Quippè adeo alieni erant à Chry-

Epiſt. S. Chryſ. ad Innoc.

ſoſtomo, ut ei nulla ratione gratificati omni jure violato horribiles tumultus adverſus eum concitaverint ipſúmque ſuâ Eccleſiâ iterum fugaverint. *Iterum ex Eccleſia ejecti ſumus.* Ejuſmodi epiſcoporum ſceleribus nihil horribilius conſpici poſſe ait eadem epiſtolâ ad Innocentium omnemque excedere tragœdiam. *Ipſo magna Sabbato collecta manus militum ad veſperam diei in eccleſias ingreſſa clerum omnem qui nobiſcum erat, vi ejecit, & armis gradum undique munivit. Mulieres quoque quæ per illud tempus ſe exuerant ut baptizarentur metu graviorum inſidiarum noctu aufugerunt. Neque enim concedebatur ut ſe velarent ſicut mulieres honeſtas decet.* Et infrà, *Nam & ſanctuaria ingreſſi ſunt milites & viderunt omnia quæ intus erant. Quin & ſanctiſſimus Chriſti Sanguis, ſicut in tali tumultu contigit in prædictorum militum veſtes effuſus eſt, fiebantque quaſi in barbaricâ captivitate omnia. Vulgus enim in ſolitudinem fugabatur populus omnis extra civitatem verſabatur, erantque in tanto Feſto vacuæ Eccleſiæ, & plures quam quadraginta Epiſcopi qui nobis communicarant cum populo & clero ſine cauſa fugabantur.* Et infrà, *Talia auſi ſunt præter ſententiam pientiſſimi Regis nocte profunda epiſcopis hæc inſtruentibus, & ubique militantibus, nec erubeſcentibus quod eſſent duces militum, & pro diaconis ſatellites præeuntes haberent.* Et adhuc infrà, *Non enim hîc ceſſavit hoc malum, ſed uſque ad Orientem pervenit. Nam ſicut à capite quod malis humoribus plenum & reliqua membra corrumpuntur, ita nunc quoque tumultus qui in hac magna civitate cœperunt quaſi ex fonte in omnia loca effluunt, & clerici ubique in Epiſcopos inſurgunt ut Epiſcopi ab Epiſcopis, & populi à populis ſciſſi ſunt, & alij propediem ſcindentur, & expectatur ubique malorum partus orbiſque totius ſubverſio.*

Quamobrem videns Eccleſiam in horrendi ſchiſmatis diſcrimen penè adductam, hanc epiſtolam Innocentio I. ſcripſit,

ſcripſit, & rogavit uti ſecum communicaret, ne inimici animum ejus præverterent, eum vehementer ſollicitat ut ſibi gratificari velit, juſque ſuum tueri. *Et ideò charitatem veſtram obſecro ut provocetur ad condolendum faciendumque omnia quo hæc mala ſiſtantur. Quippè* inquit, *ſi mos hic invaluerit, & fas erit cuivis in alienam parochiam irrumpere, idque ex tantis intervallis & ejicere quos voluerit & autoritate propria quæque pro libidine ſuâ facere, ſcitote quod brevi tranſibunt omnia & totius orbis premetur bello & motibus.* Et infrà, *quæ ab ipſis facta contra omnem ſunt honeſtatem, contra omnes leges, contra Eccleſiaſticos. Neque in gentilium judiciis, neque in barbarorum tribunalibus talia attentata ſunt unquam, neque Scythæ, Sauromatæ unquam judicarunt judicium dandum uni parti abſente ea quæ accuſatur & vitante non judicium ſed inimicitias, & invocante multa millia judicum, & proteſtante coram toto orbe declaraturum ſe non eſſe reum depulſurumque crimina, & oſtenſurum ſuam innocentiam.* Quapropter inquit inferius, *Ne confuſio hæc omnem quæ ſub cælo eſt nationem invadat, obſecro ut ſcribatis quod hæc tam iniquè facta & abſentibus nobis & non declinantibus judicium non habeant robur ſicut neque natura ſua habent: Illi autem qui iniquè egerunt pænæ Eccleſiaſticarum legum ſubjaceant: Nobis verò qui nec convicti, nec nec redarguti, habiti ut rei litteris veſtris & charitate veſtra aliorumque omnium quorum ſcilicet & antea Societate fruebamur frui concedite.* Et infra adhuc ait, *Quo non ſolum vobis glorificabimini, ſed & Eccleſiarum univerſitati, mercedemque accepturi eſtis à Deo qui nihil propter Eccleſiarum pacem facere dignatur.*

Hæc eſt ſeries & progreſſus negotij S. Chryſoſtomi, ut ipſemet refert in epiſtola quam exul ſecundâ vice ſcripſit Innocentio Papæ, quæ omnia comprehendit quæ ab hoc Pontifice poſtulavit.

Socrates & Palladius plures cauſas hujus ſecundæ per-

ſecutionis referunt, ſcilicet irritatum animum Imperatricis Eudoxiæ fuiſſe, ipſiuſque Imperatoris, concionibus S. Chryſoſtomi, quibus carpebat ſolennia Conſtantinopoli celebrata, occaſione erectæ ſtatuæ Imperatricis in foro.

Obſervat Palladius epiſcopos S. Chryſoſtomi adverſarios ei objectaſſe canones Concilij Antiocheni quos amici ejus quaſi regulas ab Arianis præſcriptas in odium S. Athanaſij rejiciebant.

Sed quoniam de his mentionem nullam facit S.Chryſoſtomus in Epiſtola ad Innocentium in qua tamen nihil omiſiſſe videtur eorum, quæ ad perſecutionem quam ſuſtinuit ſpectant, cumque ad vitam ejus ſcribendam animum non appulerint de quâ opus,inſigne Bibliothecarum ornamentum feliciter abſolvit doctiſſimus Hermannus Doctor Sorbonicus. Vera ac certa cenſenda ſunt ea quæ ipſemet ſanctiſſimus epiſcopus in hâc Epiſtolâ rerum ſuarum teſtis omni exceptione major retulit, nec pluribus fidem adhibere neceſſe eſt.

Sed ex hac narratione multa exurgunt ad amuſſim ponderatis omnibus circonſtantiis inſpicienda.

Primò, Patet ex hac Epiſtola judicium Concilij ad Quercum non perveniſſe ad notitiam ſummi Pontificis ante reditum S. Chryſoſtomi ex provinciâ, in quam prima vice exulaverat, ſed poſtquam epiſcopi Syriæ iteratam perſecutionem adversùs eum excitaverint, ſecunda vice ecclesiâ ſuâ fugaverint, & infinita ſacrilegia patraverint. Quippè cum eorum omnium mentionem faciat, ac de iis omnibus Pontificem commoneat. Porro ex his conſequitur manifeſtè Pontificem Romanum non abrogaſſe judicium Concilij ad Quercum ante ſecundam perſecutionem ab epiſcopis Syriæ ſuſcitatam. Nam incredibile eſt Chryſoſtomum omiſiſſe hanc abrogationem à Pontifice pronuntiatam, cum è re ejus adeò eſſet judicij Quercetani

vitia

vitia exponere & palam publicare. Præterea intelligimus ex epiſtola hujus Pontificis ad plebem Conſtantinopolitanam motos fluctus totque procellas comprimi ac componi non poſſe niſi ſynodali cognitione. *Synodali cognitione peropus eſt quam dudum etiam cogendam eſſe cenſuimus; ſola enim talium procellarum motus ſopire poteſt.* Ex hoc patet jus epiſcopos judicandi, ac lites eorum ultimâ cognitione dirimendi ei nunquam in mentem incurriſſe: Cum è contra ſibi perſuaderet non niſi Concilio generali tanto malo levationem afferri poſſe quo in infinitum diſcrimen & imminentem ruinam Eccleſia adduci videbatur, ut ipſi renunciaverat S. Chryſoſtomus. *Nos quidem,* inquit in eadem Epiſtolâ, *multum deliberamus & diſpicimus quomodo univerſalis ſynodus congregetur ut de voluntate Dei turbulenti iſti motus compeſcantur.*

Epiſtola Innocent. 29. apud Bini Tom. 1. Concil. pag. 637.

Secundò, Ex Concilio Sardicenſi judices qui epiſcopum condemnaverant, tenebantur ſcribere ſummo Pontifici cujus erat negotium delegare judicibus recuperatoriis, ad examinandum utrum recenſioni eſſet obnoxium: Nec poterat alius epiſcopus in locum abdicati traduci, ante pronunciatum Romani Epiſcopi judicium. At verò hæc omnia poſtpoſita ſunt in præſenti negotio, Pontifici Romano non ſcripſerunt epiſcopi ad recenſionem cauſæ. Papa cognitores non deputavit; antequam res ad aures Papæ pervenerit Arſacius in locum Chryſoſtomi ſuffectus fuit. Quippè antequam prima vice ex exilio reduceretur, quod neceſſe eſt ante ſecundum exilium contigiſſe, cum utrumque ad notitiam Papæ Innocentij non pervenerit cum electione Arſacij, niſi eadem epiſtolâ quam Chryſoſtomus ei exul ſecundâ vice,reſcripſit è loco in quo mortuus eſt. Præterea nec in hac epiſtola nec alibi queritur Chryſoſtomus de violatis ac poſtpoſitis canonibus Sardicenſibus. Verùm enimverò ex epiſtolâ Papæ Innocentij ad Theophilum Alexandrinum accipimus Eccle-

ſiam

ſiam Romanam non admittere alios canones præter Nicœnos; quorum autoritate illum interpellat ut ad ſynodum proximè in Chriſto celebrandam accurrat, ad lites quas cum Chryſoſtomo habebat ultimâ terminatione concludendas juxta normam præſcriptam. *Itaque ſi conſcientia confidis, tu quoque judicio accurrere ad ſynodum proximè in Chriſto celebrandam, & illic juxta Nicæni Concilij Canones & decreta contende. Alios quippè Canones Romana non admittit Eccleſia.*

Igitur in hoc ingenti negotio incogitabilis viſa eſt diſciplina nova Concilij Sardicenſis.

Tertiò, Ex hac Epiſtolâ intelligimus S. Chryſoſtomum multas habuiſſe ad Innocentium querimonias de crudelitate Theophili, ſatiſque demonſtraſſe decreta Concilij ad Quercum inſulſa & ſupervacanea; cum præſertim poſt ſibi dictum diem ut vadimonium ſe ſiſteret coram judicibus ad Synodum legitimam appellaverit.

De provocatione ad Romanam Sedem nihil dicit. Charitatem Innocentij interpellat, ipſumque vehementer obſecrat ut ſecum communicare velit; ſed nunquam autoritatis Pontificiæ vim implorat adverſùs Theophilum, nunquam rogat ut judicium pronunciet quo ſententiam Concilij ad Quercum irritam declaret.

Quartò, Si quædam fuit appellatio ad Romanam Sedem à judicio in Concilio ad Quercum lato à Theophilo, cum hujus appellationis Autor non ſit Chryſoſtomus, nec ab eo confecta ſit, ut ex Epiſtolâ ad Innocentium patet & ex ſolutione objectionum Davidij perſpectum erit infra capite 35. opus erit hanc aſcribere Theophilo (qui eidem Papæ ante Chryſoſtomum ſcripſerat, ut Palladius nos docet) quod abſurdum & inſulſum eſt. Quippè cum certum ſit Innocentium improbaſſe crudelitatem ejus, & ei non dignatum ullum reſponſum dare. *Primus omnium profectus eſt ad vos Alexandrinæ Eccleſiæ lector cum Papæ*

Theophili

Theophili litteris quibus judicabat Ioannem à ſe fuiſſe depoſitum : eas litteras cum legiſſet B. Innocentius Romanæ Sedis antiſtes exhorruit temeritatem faſtumque Theophili ægre ferens & quod ſolus ſcripſerat, & quod rei totius ſeriem reficere omiſerat, cujus ſcilicet rei gratia quibus re adjunctis ſibi ſociis illum deponere auſus fuiſſet. Inter hæc remanſit admirans nihilque reſcribere voluit rei indignitate commotus. Præterea incredibile eſt Theophilum appellaſſe ad Pontificem Romanum, à ſe ipſo, ſive à judicio quod ipſe Theophilus tulerat : à ſententiâ quam in Concilio ad Quercum pronuntiaverat. Igitur percontanti cur S. Chryſoſtomus ſcripſerit Innocentio? reſpondeo; ut auxilium ejus imploraret in gratiam innocentiæ ſuæ, ſicut ſcripſerat Theophilus ut ſuæ factioni patrocinium obtineret, neutrum verò de appellatione ad Sedem Apoſtolicam cogitaſſe. Enimverò non ſolitario Innocentio de hac causâ ſcripſerunt, ſed omnibus Italiæ epiſcopis, à quibus conſilium petierunt. Hæc autem planiſſimè intelliguntur ex epiſtolâ quam ſcripſit Imperator Honorius Arcadio Imperatori qui tunc in Oriente dominabatur. *Miſſi ad Sacerdotes urbis æternæ atque Italiæ utraque ex parte legati, expectabatur ex omnium autoritate ſententia informatura regulam diſciplinæ, integrum nempè eſſe debuerat neque quicquam novari dum definitio deliberata procederet; cum interea mirum quoddam præcipitium feſtinationis exarſit, ut non expectatis literis Sacerdotum qui fuerant mutuâ partium legatione conſulti, non examinatis rebus in exilium truderentur Antiſtites animadverſioni prius addicti quàm ſententiam judicij epiſcopalis experti.*

Ex his conſtat exquiſitum fuiſſe epiſcoporum Italiæ conſilium, eoſque in exilium miſſos fuiſſe *non expectatis litteris Sacerdotum* epiſcopos S. Chryſoſtomo adjunctos. Reverà *expectabatur ex omnium autoritate ſententia informatura regulam diſciplinæ.* Sed hæc ſententia non erat

Aa judicium,

Digitized by Google

judicium, nec juridicialis definitio controverſiæ quæ inter S. Chryſoſtomum & Theophilum interceſſerat. Quippè cùm his litteris acceptis dicat Honorius mentem eorum fuiſſe omnia hæc diſſidia componere ; & cùm nullum judicium de hac cauſa pronuntiatum fuerit, æſtimaſſe hos Italos ſe debere utrumque ad communionem admittere. Ex his patet quàm devium præcepſque fuerit Concilij ad Quercum judicium, & quam è re Epiſcopi Romani fuiſſet illud irritare & antiquare ; ſi penes ſe hoc jus exiſtere cenſuiſſet. Quippè cum hi Epiſcopi ejuſmodi judicium nullum atque irritum eſſe ſibi perſuaderent. *Denique quam immatura illa damnatio fuerit res probabit. Namque ſi quorum expectabatur autoritas pacifica Ioanni communione præmiſſa faciendam concordiam cenſuerunt, nec quemquam putarunt ante judicium conſortio repellendum.*

Epiſt. Honorij ad Arcad. Baronius tom. 1. Concil. pag. 629.

Davidius his difficultatibus implicatus ac impeditus defendit acriter appellationem S. Chryſoſtomi ad Innocentium Papam, quem contendit irritaſſe decretum Concilij ad Quercum, quo epiſcopali Magiſtratu fuerat ei interdictum : Et eam ob rem mirabili uſus eſt artificio. Enimverò cum animadvertiſſet Pontifices Romanos ad inſtar aliorum Metropolitanorum nihil judicare ſolos & inconſultis comitiis epiſcoporum ſuæ provinciæ idem eſſe ait confugere ad Synodum & ad Papam quoniam eſt Synodus Sedis Apoſtolicæ. Hac arte omnia ſigna cultus ac venerationis quibus proſequuta eſt antiquitas Synodos, queis ſummi Pontifices interfuerunt, eadem ſummo Pontifici adſcribit, vultque pariter omnia argumenta quibus Synodorum ac comitiorum eccleſiaſticorum poteſtas fulcitur epiſcopo Romano competere. Hac arte ſi liceret uti infinitæ difficultates non difficiliter ſolverentur. Enimverò ſi inter Papam & Synodum provincialem diſcrepantia nulla eſt, conſequitur manifeſtè poſtquam epiſcopi cauſa in Concilio provinciali judicata fuit, iterum debere

bere in alio Concilio inquiri utrum recenſioni ceu *reviſioni* Epiſcoporum provinciæ vicinorum ſit obnoxia, idque Papam ſolitarium præſtare non poſſe. Jam videat ipſe Davidius qua ratione aut induſtria hæc conciliare poſſit. Nos autem qui inter Papam & Synodum magnam diſſimilitudinem eſſe cognoſcimus incumbere juvat ad ſolutiones objectionum quæ ſolent adferri ad comprobandam appellationem S. Chryſoſtomi ad Romanam Sedem, & ſententiam Concilij ad Quercum autoritate Pontificiâ irritam fuiſſe.

Contendo (inquit Davidius) pag. 334. probare, duas « propoſitiones omninò contrarias, propoſitionibus Do- « mini De Marca; & apertè demonſtrare S. Chryſo- « ſtomum appellaſſe ad Apoſtolicam Sedem, & Papam « irritaſſe ſeu antiquaſſe duo adverſus eum pronuntiata « judicia. Et infrà, comprobare mihi eſt animus certiſ- « ſimis argumentis ſupremam in judicandis cauſis po- « teſtatem penes Eccleſiam Romanam ſemper fuiſſe, id « eſt Papam. «

CAPUT XXXV.

Diluuntur Argumenta quibus Davidius probat S. Chryſoſtomum appellaſſe ad Sedem Apoſtolicam.

Argumentum hujus Appellationis certiſſimum « David. (inquit Davidius) aſſumitur ex epiſtolâ Impera- « pag. 338. toris Honorij ad Arcadium fratrem de perſecutione S. « Chryſoſtomi, ex qua diſcimus præfatum Chryſoſtomum « & Theophilum miſiſſe ad Apoſtolicam Sedem legatos « poſt judicium à Theophilo latum in Concilio ad Quer- «

„ cum, & ante ſententiam ab Epiſcopis Theophili cupi-
„ ditati addictis & libidinis miniſtris editam.

At verò hi libidinis miniſtri de quibus loquitur Davidius, erant epiſcopi qui totam civitatem Conſtantinopolitanam miſcuerant, ſeu in ea horribiles tumultus excitaverant : dum ex exilio prima vice reductus eſt Chryſoſtomus juſſu Imperatoris, ſollicitationibus Imperatricis ac Concilio epiſcoporum quibuſcum amicitiâ & neceſſitudine conjunctus erat. Hi enim Epiſcopi qui objectabant canones Antiochenos, eum altera vice de urbe decedere coëgerunt. At certum eſt ante ſecundum exilium, quod judicio miniſtrorum libidinis Theophili poſterius eſt, ad notitiam Innocentij Papæ negotium Chryſoſtomi non perveniſſe, ipſumque & Theophilum nondum miſiſſe legatos ad Sedem Apoſtolicam. Multis argumentis hæc veritas poteſt demonſtrari.

Primò, Quia S. Chryſoſtomus hæc Innocentio Papæ ſcripſit poſt ſecundum exilium; igitur & poſt iſtud ſecundum judicium. Ex quibus concludo inter hæc duo judicia ſummum Pontificem nullos excepiſſe à Chryſoſtomo legatos. Hoc videtur eſſe omninò extra omnem dubitationis aleam, cum præſertim S. Chryſoſtomus mittens legatos & epiſtolam ad Innocentium Pontificem de primo ac ſecundo ſuo exilio loquatur, de judicio Theophili, de venationibus quibus eum inſectati ſunt epiſcopi libidinis præfati Theophili miniſtri, qui, ut ſibi perſuadet Davidius, ſecundum judicium tulerant. Jam igitur examinare nobis incumbit utrum prius nomine Theophili quam Chryſoſtomi hæc controverſia ad ſummum Pontificem delata ſit. Triduo ante Chryſoſtomum Theophilum ſcripſiſſe refert Palladius, ſcilicet Epiſcopos à Chryſoſtomo miſſos Romam appuliſſe triduò poſt adventum lectoris Alexandrinæ Eccleſiæ à Theophilo delegati : *Poſt triduum advenerunt Epiſcopi quatuor à Ioanne miſſi tres Innocentio*

Pallad. vita S. Chryſoſt.

centio epiſtolas deferentes, unam quidem Ioannis epiſcopi ſecundam epiſcoporum quadraginta de communione Ioannis tertiam ſcripſerat Ioannis clerus. Omnes indiſciplinatum tumultum & ſeditionem pariter ſignificantes. Igitur nec S. Chryſoſtomi nomine nec Theophili, legati Romam miſſi ſunt inter primum judici- .. à Theophilo editum in Concilio ad Quercum, & ſecundum merè fictitium, ab Epiſcopis libidinis ejus miniſtris latum. Quippè cum ſit luce meridiana clariùs hos legatos tùm nomine Chryſoſtomi cùm Theophili, non niſi poſt ſecundum Chryſoſtomi exilium Romam adventaſſe.

Sed hujus rei graviſſimum pondus non eo devolvitur, ut certò ſciamus tempus quo Romam advenerunt aut non advenerunt hi legati ſive nomine Theophili ſive Chryſoſtomi. Sed an reverà Romam appellationis libellum detulerint, & Romanus Pontifex admiſsâ appellatione judicaverit?

Primò, Primum hujus appellationis argumentum aſſumit Davidius, ex Epiſtolâ Imperatoris Honorij ad Arcadium fratrem, de qua mox locuti ſumus quam hic exſcribere convenit. *Miſſi ad Sacerdotes urbis æternæ atque Italiæ utraque ex parte legati, expectabatur ex omnium autoritate ſententia informatura regulam diſciplinæ; integrum nempè eſſe debuerat neque quicquam novari dum definitio deliberata procederet, cum intereà mirum quoddam præcipitium feſtinationis exarſit, ut non expectatis litteris Sacerdotum qui fuerant mutuâ partium legatione conſulti non examinatis rebus in exilium truderentur Antiſtites animadverſioni prius addicti quàm ſententiam judicij epiſcopalis experti.* Nullum in his apparet appellatonis veſtigium, nequidem videntur ad ſolitarium Papam miſſi legati ſed ad epiſcopos Italiæ. Si fidem habeamus Apographo epiſtolæ S. Chryſoſtomi ad Innocentium relatæ à Palladio conſtat eadem ſcripſiſſe Venerio Mediolanenſi & Chromatio

Binius Tom. I. Concil. pag. 629.

 Aquileienſi

Aquileienſi epiſcopis. *Scripſimus iſta & ad Venerium Mediolanenſem & ad Chromatium Aquileenſem epiſcopum* Porrò ex his concludere inſulſum eſſet & ſupervacaneum S.Chryſoſtomum appellaſſe ad epiſcopum Mediolanenſem aut Aquileienſem, aut omnes alios Italiæ epiſcopos. Proindeque & ad Romanum.

Præterea hæ litteræ ad epiſcopos urbis æternæ & Italiæ explorationem Concilij tantùm præ ſe ferre videntur, *qui fuerant mutuâ partium legatione conſulti*, quod cum libello appellationis infinitam diſſimilitudinem habet. Ex his igitur S. Chryſoſtomi verbis *expectabatur ex omnium autoritate ſententia informatura regulã diſciplinæ*, perperam „ colligit Davidius expectari judicium ab omnibus unà „ congregatis editum, ex quo norma diſciplinæ intelligeretur. Verus enim verborum ſenſus eſt expectari horum omnium epiſcoporum conſilium ad intelligendam regulam diſciplinæ. Cum enim eccleſiæ Romæ, Mediolani & Aquileæ his temporibus florerent æquis legibus quas procax libertas nondum miſcuerat, uſu & conſuetudine ſtatutum erat, earum antiſtites conſulere, ac præſertim Romanæ eccleſiæ, quæ cæteris antiquitate, ac Sedis Petri amplitudine Apoſtolorum principis, antecellebat.

Secundò, Probat Davidius appellationem S. Chryſoſtomi ad Sedem Romanam non à primo ſed à ſecundo judicio adverſum eum prolato ante Secundum exilium. Hoc argumentum aſſumitur ex epiſtolâ illâ percelebri quam ventilavimus ad Innocentium Papam quam Davidius poſt ſecundam perſecutionem S. Chryſoſtomi ſcriptam recognoſcit pag. 340. & 341. quamque poſteriorem eſſe neceſſe eſt, quippè cum de ea mentionem faciat & accuratam vexationis utriuſque ſcilicet primæ & ſecundæ narrationem comprehendat. Hæc autem verba refert

David. Pag.341. Davidius ex hac epiſtolâ exſcriptâ. *Scribite precor* ET AUTORITATE VESTRA DECERNITE *hujuſmodi iniquè geſta*

geſta, nobis abſentibus & judicium non declinantibus nullius eſſe roboris. Porrò qui talia geſſere eos eccleſiæ cenſuræ ſubjicite, nos autem inſontes neque convictos neque deprehenſos, neque ullius criminis reos comprobatos Eccleſiis noſtris Jubete Restitui.

Nihil clariùs aut accuratius his verbis conſpici poteſt. Et revera ſi ex epiſtolâ ad Innocentium fideliter exſcripta ſunt, fateri neceſſe eſt Chryſoſtomum verè ad Papam appellaſſe (Quamvis appellationis vocabulo non utatur) ac ſupremæ autoritatis Pontificiæ auxilium impetraſſe, ut in Sedem de qua ejectus fuerat, jure reſtitueretur, uno verbo Davidius ſuam cauſam obtineat. Ego verò non bonæ cauſæ, immò verò injuſtæ convincar neceſſe eſt. Sed multa ſunt in hoc negotio non prætermittenda, de quibus Davidius dubitare non poteſt. Enimverò certum eſt duas doctorum manibus verſari hujus epiſtolæ S. Chryſoſtomi verſiones; quarum una refertur apud Palladium in dialogo: qua uſus eſt Cardinalis Baronius, altera apud Binium inter epiſtolas Innocentij Papæ tom.1. Concil. pag.625. quæ apud Binium refertur: quamvis eo curiæ Romanæ addictior non eſſet Baronius, hæc verba non habet. *Autoritate veſtra decernite, &c.* neque hæc, *qui talia geſſere eos eccleſiæ cenſuræ ſubjicite*, neque hæc, *nos autem inſontes neque convictos, neque deprehenſos, neque ullius criminis comprobatos eccleſiis noſtris jubete reſtitui.* Ex quibus tota vis argumenti Davidij exſurgit ad confirmandam appellationem S. Chryſoſtomi ad Sedem Apoſtolicam. Immò verò apud Binium hæc verba ſuprà citata capite quod antecedit occurrunt quæ minimè juri appellationum patrocinari videntur.

Quapropter ne confuſio hæc omnem quæ ſub cælo eſt nationem invadat, obſecro ut ſcribas quod hæc tam iniquè geſta & abſentibus nobis & non declinantibus judicium, non habent robur, ſicut neque ſuâ naturâ habent: illi autem qui

adeò

adeò iniquè egiſſe deprehenſi ſunt, pœna Eccleſiaſticarum legum ſubjaceant: nobis verò qui nec convicti nec redargu ti, nec habiti ut rei ſumus, litteris veſtris & charitate veſtrâ aliorumque omnium quorum ſcilicet & antea ſocietate fruebamur frui concedite. Ut ex his meliorem verſionem diſcernamus, utramque cum autographo græco comparare opus eſt, ſicque animadvertere ex duobus interpretibus, non ſolum qui magis fidus verbum verbo, ſed qui ſenſum accuratius reddiderit. Autographum hujus epiſtolæ habetur tomo 4. operum S. Chryſoſtomi pag. 677. publici juris fecit inſignis meriti vir Fontoducæus Societatis nominis Jeſu anno 1621. Sumptibus cleri Gallicani, ex antiquis codicibus bibliothecæ regiæ cum cura expreſſum.

Lege notas Ducæi in 4. tom. S. Chryſ. pag. 57. in Epiſt. ad Innocent.

Prætereà certum eſt hoc autographum congruere cum editione hujus epiſtolæ facta ab Eraſmo cum aliis Chryſoſtomi opuſculis Baſileæ anno 1529. Elocutio Chryſoſtomi autorem ſuum manifeſtè prodit; nullum dubitandi locum emunctæ naris Theologis, nequidem ipſimet Davidio relinquit. At verò certum eſt hæc verba ex quibus argumenti ſui vires aſſumit Davidius in hoc Autographo græco non occurrere. ἵνα οὖν μὴ τοσαύτη σύγχυσις καταλάβῃ τὴν ὑφ᾽ ἥλιον πᾶσαν ἐπιστεῖλαι παρακλήθητι τὰ μὲν οὕτω παρανόμως γεγενημένα ἀπὸ τῶν ἡμῶν, καὶ ἐκ μιᾶς μοίρας, καὶ οὐ παραιτησαμένων κρίσιν, μηδεμίαν ἔχειν ἰσχὺν ὥσπερ οὖν οὐδὲ ἔχει τὴν οἰκείαν φύσιν τοὺς δὲ τοιαῦτα παρανομήσαντας ἐλεγχομένους τῷ ἐπιτιμίῳ ὑποβάλλεσθαι τῶν ἐκκλησιαστικῶν νόμων ἡμᾶς δὲ τοὺς οὐκ ἀλόντας, οὐκ ἐλεγχομένους οὐκ ἀποδειχθέντας ὑπευθύνους τῶν γραμμάτων τῶν ὑμετέρων δότε. ἀπολαύειν συνεχῶς, καὶ τῆς ἀγάπης καὶ πάντων τῶν ἄλλων ὧν τε καὶ ἔμπροσθεν. Quamobrem vehementer credibile eſt addita fuiſſe ab autore verſionis, qua Baronio & Davidio uti placuit. Hanc falſi expoſtulationem confirmant adverſus hunc interpretem multæ conjecturæ apud eruditos. Vixit anno

anno Chriſti 1350. ex quo 226. elapſi ſunt. Illi nomen erat Ambroſio Florentino, præfectus erat generalis, ordinis Camaldulenſium ut refert Paulus Langius in Chronico Citizenſi, linguam græcam eum docuerat Emmanuel Chryſoloras Philelphi ſocer, à quo, ſcilicet Philelpho, binas accepit litteras annis 1434. & 1438. Eugenio quarto Papæ addictiſſimus fuit, & ab eo miſſus legatus ad Concilium Baſileenſe.

Continenti tempore Conſtantiæ extremum diem obiit ibi Poggius oratione funebri cùm juſta redderentur parentavit. Hic autem Poggius Romanæ curiæ paulò addictior fuit; quippè ſpatio annorum 40. plurium Pontificum amanuenſis & à ſecretis. At verò cum Ambroſius Camaldulenſis hanc verſionem Dialogi Palladij publicavit, Autographum græcum celavit, uſque hodie omnibus eruditis incognitum. In quo tamen alia multa adſertitia & addita occurrerent. Aliud opuſculum S. Chryſoſtomi de græcis latinè ſcripſit *contra vituperatores vitæ monaſticæ* hujuſce Dialogi infelicem ſortem non expertum. Nam Frontoduceus publici juris fecit, ex codice manuſcripto bibliothecæ Bavarienſis, cum cura expreſſum, quem ſecum communicavit Gretſerus alter Jeſuitici ſodalitij doctus alumnus.

At verò Frontoduceus in ſuis ad hoc opuſculum notis obſervat in fine 4. tomi operum S. Chryſoſtomi non valde fidum fuiſſe hunc interpretem, & duodecim teſtimonia profert ſive exempla tenuis accurationis ejus ad hoc opus ſpectantia. Verumenimverò ſpecimen dat ingenij hujuſce interpretis ex quo verſionem dialogi Palladij valde ſuſpectam habeo. Admonet enim nonnunquam ſolere de ſuo quidpiam adjicere, ſive de græcis paucis latinè ſcribere amplius. Vide notas in paginam 479. Lit. D. Liv.5. τῆς χολῆς *deeſſe quædam videntur hoc loco ſi cum interpretis verbis conferatur niſi fortè de ſuo quidpiam adjecit ut non-*

nunquam ſolet. Idque mihi facile perſuadet Monachum Romanæ curiæ addictum, incumbentem verſioni Dialogi Palladij *de ſuò quidpiam adjeciſſe ut nonnunquam ſolebat.*

De hoc autem nullus dubitandi locus relinquitur; quippè cum ex Autographo græco hujus epiſtolæ Chryſoſtomi quod primùm in manus Eraſmi incurrit, & iterum Frontonis-Ducæi in bibliotheca regia manifeſtè conſtet, hæc verba, quibus adeò ſuprema Pontificis Romani autoritas ſuſtentatur à Davidio, addita fuiſſe & adjecta ab interprete, qui nunquam ea in græco textu legit nec invenit. Idem Frontoducæus Jeſuita doctus & ſincerus, ait in notis ad appendicem latinam primi tomi operum S. Chryſoſtomi *Quod ſi contingat hoc Autographum græcum inveniri, magno id vobis uſui futurum ſit ad ſolvendas non mediocres difficultates quæ in ipſius Dialogi hujus latinâ interpretatione ſe ſe offerunt.*

Docet etiam nos, poſſe recognoſci ex hac inventione genuinum hujus Dialogi autorem, nam de Palladio cum Baronio dubitat, Et infrà. *Sed ſi ut diximus ope codicis manuſcripti græcum nanciſcantur exemplar, multa perperam vel ab interprete vel à librariis expreſſa fortaſſe reſtituentur ex quibus certius quidpiam ſtatuere licebit.* Quæ cum ita ſint, non videtur amplius eſſe deliberandum utri ex verſionibus plus confidere expediat; cum præſertim manifeſtè conſtet alteram ex his autographo græco minimè congruere, ſcriptamque eſſe ab homine nomine negligentiæ doctis omnibus valde ſuſpecto, & curiæ Romanæ arctis ſtudiorum & profeſſionis vinculis aſtricto.

Quamobrem non poſſum non demirari uſque ad articulorum fragorem, Davidium ex hac verſione Ambroſij Camaldulenſis argumenta ſumpſiſſe, & ſibi perſuaſiſſe poſſe ſe hac arte cauſæ Pontificiæ autoritatis adverſus epiſcopos patrocinari, curiæ Romanæ vehementer gratificari, cum potiſſimè utramque verſionem epiſtolæ præ manibus

David. pag. 342.

manibus & autographum græcum habuerit ſciveritque Binium Camaldulenſis verſionem inter Epiſtolas Chryſoſtomi in ſuâ Conciliorum collectione collocare noluiſſe. Verumtamen cum ex his ſolutionibus intelligere non ſit difficile, omnes difficultates Davidij ad nihilum recidere, novam artem molitur qua ſe ab his ſalebris mirificè liberet. Contendit epiſtolam S. Chryſoſtomi ab Ambroſio Camaldulenſi latinè converſam, quamque Palladius refert magnam habere diſſimilitudinem cum ea ejuſdem Chryſoſtomi, quæ inter opera ejus recenſetur. Et quamvis juxta omnes codices MSS. græcos ea quæ eſt inter opera Chryſoſtomi inſcribatur Innocentio Papæ, Davidius intendit animo expungi debere nomen Innocentij & in locum ejus ſubſtitui nomen Venerij Mediolanenſis epiſcopi & Chromatij Aquileienſis, ad quos pariter ſcripſiſſe Chryſoſtomũ inquit Palladius. Tota inter has litteras diſcrepantia exſurgit ex acceſſionibus, ſive additionibus quibus verſionem latinam interpres cumulavit ut Romano Pontifici gratificaretur. Davidius bellam & doctam conjecturam nullius codicis MSS. veteris aut novi autoritate confirmat, ſatiſque ſibi eſſe putat dicere, ſibi videri epiſtolam " Pag. 343.
apud Palladium relatam, eſſe exemplar illius quam " & 344.
Chryſoſtomus Innocentio Papæ ſcripſit qua ex officio " hic epiſcopus illi ſignificat Papæ admonitionem, quam " habuerat ad epiſcopos Mediolanenſem & Aquileienſem " de perſecutione ac miſeria in qua verſabatur; Ideoque " in fine hujus epiſtolæ hoc monitum reperiri, neutiquam verò in ea quæ inter opera Chryſoſtomi refertur: & ea ratione adduci ad credendum hanc ultimam " inter opera Chryſoſtomi relatam, eſſe exemplar illius " quam præfatus Chryſoſtomus Venerio & Chromatio " ſcripſerat. De his omnibus dubium nemini homini ſuboleret ſicut Davidio, ſi argumenta non deeſſent. Sed quoniam nulla profert ne quidem probabilia, de aſſen-

ſu præconceptis opinionibus ſuis nobiſcum diſpenſabit.

III. Tertium argumentum appellationis aſſumitur ex Dialogo Palladij, ex quo intelligimus Innocentium Papam acceptis litteris S. Chryſoſtomi irritaſſe judicium Theophili adverſus Chryſoſtomum latum. En verba latina interpretis dialogi capite 3. *ad hæc reſcripſit beatiſſimus Papa Innocentius communioque utriuſque partis admiſſa judicium Theophili caſſum atque irritum eſſe decrevit.* Hæc ſunt deformata quæ in hac verſione reſtituerentur, ſi autographum dialogi inveniretur, nam valde veriſimile eſt loco hujus vocabuli *decrevit* hoc ſcribi debere *cenſuit*; quippè cùm conſtet ex epiſtola Honorij ad Arcadium legatos profectos eſſe Romam & in Italiam ut tantummodo conſilium exquirerent. *Non expectatis litteris Sacerdotum qui fuerant legatione conſulti*, cujus ſumma his verbis concepta fuerat. *Hi quorum expectabatur autoritatis pacifica Ioanni communione permiſſa ſanciendam concordiam cenſuerant, nec quemquam putarunt ante judicium conſortio repellendum.* Hanc veritatem hujuſce verſionis verba ſequentia mirabiliter confirmant, nam ex iis perſpicimus mentem Pontificis fuiſſe, non ſuſpectam cogere Synodum ex orientalibus & occidentalibus, à quâ amici & inimici Chryſoſtomi & Theophili arcerentur quia neutri parti debent adhærere integerrimi judices. Porrò ex his patet luce meridiana clarius adhuc ancipitem fuiſſe Pontificis de hac lite ſententiam, & noluiſſe inconſultis aliis epiſcopis hanc controverſiam dirimere. *Dicens oportere conflari aliam irreprehenſibilem Synodum occidentalium & orientalium Sacerdotum cedentis Concilio amicis primùm deinde inimicis neutrarum quippè partium ut plurimum ratus eſſe judicium.* Totus igitur in hoc negotio Pontificis cónatus fuit, ad inveniendas artes, queis firmâ pace diſſidia componeret, quibus hi Epiſcopi Eccleſiam

David. pag. 344. §. 3.

ſiam miſcuerant. Quamobrem acceptis à Theophilo litteris ſibi per Petrum presbyterum & Martyrium diaconum miſſis ex quibus reſciverat triginta ſex epiſcopos quibus ipſe Theophilus præerat Chryſoſtomum abſentem indictâ causâ condemnaſſe; *Inſaniam Theophili magis ac magis exhorruit quod contra abſentem adeò ſævam immitemque ſententiam evomuiſſet. His igitur à ſe dimiſſis cum litteris gravibus illius temeritatem laceſſentibus ſe ſe ad orationis ſtudium contulit, indictoque Eccleſiæ jejunio, cum lacrymis divinam precabatur clementiam ut hujuſmodi ſeditiones & ſcandala ſciſſuræque tollerentur, & pacis ac fraternitatis amor integra membrorum compage redderetur.*

Igitur hi homines à Theophilo miſſi eidem retulerunt ab Innocentio Papa epiſtolam quam in dialogo Palladij habemus, qua utrumque ad communionem admittit; ipſique Theophilo mandat ſi ſuæ conſcientiæ præfatus Theophilus confidat, ut quam primùm Synodo futuræ intereſſe non renuat, cauſam juxta Canones Nicænos peroraturus. Hoc eſt unicum Romæ confectum ab Innocentio Papa decretum, quo utriuſque rogationibus annuit ſicut & plures alij Epiſcopi qui pariter non denegata communione eiſdem gratificari voluerunt. At verò abſurdum eſſet concludere Theophilum & Chryſoſtomum ad hos omnes Epiſcopos appellaſſe. *Frater Theophile nos te & fratrem noſtrum Ioannem communionis noſtræ eſſe decrevimus, ſicuti & in prioribus litteris apertè ſatis expreſſimus.* Et infrà, *Itaque ſi conſcientia confidis, tu quoque judicio accurre ad Synodum proximè in Chriſto celebrandam & illic juxta Nicæni Concilij Canones & decreta contende.*

Quamobrem ſatis difficile eſt intelligere qua ratione Davidius ait pag. 345. S. Chryſoſtomum judiciali ſententiâ Sedis Apoſtolicæ in communionem fuiſſe reſtitutum; cum ea communione illi nunquam fuerit interdictum, &

certum ſit proinde non magis reſtitutum fuiſſe in communionem cum Romanâ Sede quam cum Mediolanenſi, Aquileienſi, & Italiæ Sedibus, ad quarum Antiſtites eadem de causâ ſcripſerat. Minoris temeritatis culpa non vacat Davidius, dum paulò inferiùs eadem pagina 345.
„ ſuis ſemper deluſus figmentis, ait, evidens ac perſpi-
„ cuum eſſe Innocentium Papam judicium Theophili ad-
„ verſus Chryſoſtomum caſſum atque irritum declaraſſe,
idque ex reſtitutione ejus in communionem concludit qua ei Theophilus interdixerat.

Nam certum eſt hoc qualicumque decreto reſtitutionis Chryſoſtomi in communionem Theophilum etiam reſtitutum dici poſſe, quippè cum eodem pari ratione ambo ad communionem admittantur. At abſurdè & inſulsè diceretur Innocentius reſtituiſſe in communionem Theophilum nullâ quippè ſententiâ judiciali ſegregatum. Ergo etiam & Chryſoſtomum.

His addit Davidius multa quæ ſupervacanea videri poſſunt, utpote fulta principiis quæ ſuprà refutavimus. Multum ſermonem amplificat comparatione quam inſtituit inter abdicationem S. Athanaſij confectam in Concilio Tyri reſtitutionem ejus autoritate Julij Papæ; & abdicationem S. Chryſoſtomi in Concilio ad Quercum & reſtitutionem juſſu Innocentij Papæ. Sed ne fruſtra tempus terere videamur, conſulat lector hujus operis cap. 11. 12. & 13. Ut quam ſupervacaneum ſit hanc comparationem inſtituere perſpiciat. Et è contra quam opportunè iſtiuſmodi comparatio deducat ad confirmandam quam defendo doctrinam, & opinamentis Davidij incommodet, facilè intelligat.

IV. Quartum argumentum Appellationis S. Chryſoſtomi ad Sedem Apoſtolicam & judicij ſuper ea à Pontifice Romano lati aſſumitur ex dialogo Palladij. Hujus ve-
„ ritatis probationem nobis ſuppeditant inquit Davidius pag.

pag. 349. §. 4 dialogi Palladij in quibus Theodorus diaconus concepta verba refert commonitorij legatorum " Innocentij, quos in Orientem miſerat, ut adeſſent " Concilio generali poſt ſecundam S. Joannis Chryſoſtomi condemnationem. *Non oportere*, inquit, *Ioannem judicium aggredi, niſi illius prius Eccleſia communioque redderetur, ut omnis dilationis occaſione ſublatâ causâ, ſponte Concilium ingredi poſſet.* "

Crimine mendacij convincere Davidium non eſt difficile. Primò, Innocentius Papa non miſit in Orientem legatos, ut Concilio generali adeſſent. Ex Dialogo Palladij tantùm intelligimus ſcripſiſſe Imperatorem Honorium Innocentio Papæ ut mitteret quinque epiſcopos, tres preſbyteros, & diaconum unum Eccleſiæ Romanæ, qui ferrent litteras ad Arcadium fratrem, quibus eum hortabatur ut Epiſcopi Orientis Theſſalonicæ cogerentur. Et hos epiſcopos, preſbyteros, & hunc diaconum adventaſſe Conſtantinopolim cum litteris Imperatoris ad Innocentium, Epiſcoporum Italiæ Chromatij Aquileienſis, Venerij Mediolanenſis, & multorum aliorum, & documentis ſeu mandatis totius Concilij occidentis.

Acceptis igitur Sancti viri Æmilius & Chyterius & Gaudentius epiſcopi, unà cum Valeminiano Bonifacioque presbyteris Imperatoris Honorij & Papæ Innocentij & Italiæ epiſcoporum Chromatij Aquileienſis & Venerij Mediolanenſis, ac reliquorum epiſtolis una & commonitorio totius Concilij Occidentis, conditionibus publicis Conſtantinopolim conceſſere. Pallad. Dialog. cap. 4.

Porrò ex his planiſſimè patet hos legatos non cenſeri potius miſſos à Romano Pontifice quàm Imperatore, Epiſcopis Italiæ, denique Mediolanenſi Aquileienſi & Concilio Occidentis. Secundo, Falſum eſt hujus commonitorij verbis ſignificari Pontificem irritaſſe ſententiam adverſus Chryſoſtomum; quippè cùm de ea mentionem nullam

nullam faciant, & tantummodo ſignificent neceſſe eſſe Chryſoſtomum in Sedem reſtitui, eique communionem reddi, ut ſecundum normam eccleſiaſticam & canones judicetur. Quilibet epiſcopus etiam Eccleſiæ infimus idem dicere poterat. Nam omnia jura violantur ſi ante quis ſplietur quàm judicetur. Sed immò poſſum ex hoc commonitorio certiſſimum aſſumere argumentum, ad probandum nullum Romæ latum judicium, ſed S. Chryſoſtomum ad communionem tantùm admiſſum fuiſſe cum ex præfato commonitorio intelligimus reſtitui debere antequam judicetur, ut defenſioni locus ei non deſit, & ad Concilium aditus in quo ſuam cauſam perorare poſſit. Si ſolum reſtitutionis ejus mentionem faceret hoc commonitorium, vel ſi quadam impoſita pœna vetaret eum de poſſeſſione Eccleſiæ ſuæ dimovere, aut communione Eccleſiaſticâ, jure merito hoc commonitorium aſſumeretur ad concludendum judicium à Theophilo latum, irritum Romæ pronuntiatum fuiſſe. Sed ſecùs ſe res habet.

Occidentales qui ſe ad tuendam S. Chryſoſtomi dignitatem adjunxerant, æſtimant omnes juris formas poſtpoſitas fuiſſe, inimicos judicaſſe, & inſontem indictâ cauſâ condemnaſſe. His rationibus adducti poſtulant Orientalium & occidentalium Concilium in quo veritas ſincerè inquiratur, & juxta antiquos Canones & diſciplinam nullo abuſu obſoletam aut abragatam, non ſpolietur antequam judicetur. Non hoc poſtulat Papa, ſed integra epiſcoporum Occidentis Synodus. Ipſis legatis commendat hoc commonitorium, jubetque eos obtinere ne ſpolietur ut protinus judicetur. Igitur tantùm abeſt ut hoc commonitorio probari poſſit judicio Romani Pontificis S. Chryſoſtomum cauſam obtinuiſſe, cùm ex eo colligatur manifeſtè nullum Romæ pronuntiatum fuiſſe: ſed & Occidentales epiſcopos voluntatem ſuam aggregaſſe ad ſuſtentandam

ſtentandam diſciplinam, & tuendum lege naturæ ſancitum privilegium, quo ſcilicet vetatur ne quis epiſcopus ſpolietur antequam judicetur.

V. Quintum argumentum aſſumitur ex hiſtoriâ Eccleſiaſticâ Theodoreti lib. 5. capite 34. In quo, hæc leguntur. *Epiſcopi Occidentis non priùs cum epiſcopis Ægypti & Orientis & Boſphori atque Thraciæ communicare voluerunt quàm nomen illius ſanctiſſimi viri ſcilicet Chryſoſtomi in tabulas in quibus nomina epiſcoporum mortuorum continebantur retuliſſent, atque Arſacium ejus ſucceſſorem ne ſalutare quidem dignati ſunt.* Ex his perſpicimus epiſcopos Occidentis adeò voluntatem ſuam ad jura tuenda Chryſoſtomi aggregaſſe, ut etiam poſtquam diem obiit communicare recuſarent cum epiſcopis Ægypti Orientis, Boſphori & Thraciæ donec nomen ejus in Eccleſiæ tabulas retuliſſent, in quibus mortuorum Epiſcoporum nomina continebantur. Ego verò ſatis ingenio non valeo ut intelligere poſſim qua ratione adductus Davidius hæc aſſumat ad concludendum pag. 350. & 351. Innocentium Pontificem irritaſſe ſeu abrogaſſe judicium adverſus S. Chryſoſtomum. Idem enim concludere poterit in gratiam epiſcoporum Illyrici, & quorumdam Orientis, & dicere eoſdem irritaſſe hoc judicium. Quippè cum Theodoretus nos doceat eoſdem ſe ab Orientalium communione eadem de causâ ſegregaſſe. *Quibus totius Illyriæ conjuncti ſe adjunxere epiſcopi. Porrò autem quamplurimi epiſcopi civitatum verſus Orientem ſitarum à facinoris communione ſe ſejunxerunt quidem, ſed corpus Eccleſiæ minimè diſtraxerunt.* At verò quamvis ex Occidentalium inſtitutis & agendi ratione colligi poſſit irritum fuiſſe judicium adverſus Chryſoſtomum, non conſequeretur autoritate Pontificis Romani abrogatum fuiſſe, ſed ſolummodò epiſcoporum Occidentis. Enimverò inſulſum & abſurdum eſt ſibi perſuadere, adſcribendum eſſe ſolitario Pontifici,

quicquid Concilio aggregatus præſtat Pontifex. Hoc eſt enim merum Davidij figmentum, nequidem ratione probabili fultum, quippè cùm è contra concludere neceſſe ſit ſummum Pontificem de nullâ controverſiâ aut lite ſolitarium cognitionem habere inconſulto Concilio.

David. pag. 551. VI. Sextum argumentum Davidio ſuppeditat Innocentius Papa epiſtolâ 16. ad Alexandrum epiſcopum Antiochenum, quicum prædictus Alexander communicare avebat. *Multum in geſtis ut ſubſcripta teſtantur ſollicitius inquiſivi utrum eſſet omnibus conditionibus ſatisfactum in causâ beati & verè Deo digni Sacerdotis Ioannis, & cum per ſingula aſſertio legatorum ex-voto completa eſſe fateretur, gratias agens Domino Communionem Eccleſiæ veſtræ ita recepti, ut pro me feram Apoſtolicæ Sedis condiſcipulos primos dediſſe cæteris viam pacis in qua firmatos vos, noſque Domini Chriſti ita benignitas amplexabitur atque communia, ut nullo de cætero titillamento vel levi cujuſdam contentionis pudore pulſetur.* Ex his patet Papam eos tantùm ad communionem admiſiſſe, qui S. Chryſoſtomi innocentiam tuebantur; eumque imitatione conſequebantur multi alij epiſcopi ac potiſſimum viginti quatuor qui epiſtolæ quam ſcripſit ad Alexandrum ſubſcripſerunt. Verumtamen inſulsè concluderetur hos epiſcopos judicium adverſus Chryſoſtomum irritaſſe, ipſumque ad eos appellaſſe. Quid igitur concluderetur ad Romanum epiſcopum provocaſſe quem locus iſte ſpeciatim & nominatim non tangit?

VII. Septimum Argumentum aſſumitur ex epiſtolâ 22. ejuſdem Pontificis Innocentij ad Acacium Epiſcopum Beroënſem.

David. pag. 552. Sed non plus probat quam quod antecedit. *Si omnis inimicitia*, inquit Pontifex, *omnis æmulatio tam de nomine S. Ioannis mirandi epiſcopi quam de omnibus ejuſdem communionis participibus à tuâ animoſitate diſceſſit hæc noſtra*

ſtræ Societatis recipias litteras, frater Chariſſime, modo ut omnia quæ hîc actis firmata ſunt apud mediatorem noſtrum amabilem Alexandrum ore proprio ut communicantem convenit fatearis.

VIII. Davidius aſſumit Argumentum appellationis S. Chryſoſtomi ad Sedem Apoſtolicam, & abrogati Romæ judicij adverſus eum pronunciati, ex epiſtola 27. Pontificis Innocentij ad Maximianum epiſcopum, qui eum vehementer ſollicitaverat ut Atticum ſucceſſorem Chryſoſtomi ad communionem admitteret quam recuſabat Pontifex. Scilicet niſi nomen Chryſoſtomi in Eccleſiæ tabulas referret. *Expectamus ergo*, inquit Innocẽtius Papa, *& profeſſionem de completis omnibus conditionibus quas diverſis temporibus prædiximus, & petitionem communionis ut rectè & petenti & probanti ſe eadem mereri reddamus.* Ex his nihil aliud perſpicimus niſi Pontificem Innocentium animo forti ac firmo præditum fuiſſe, ad tuenda jura & memoriam Chryſoſtomi, & neutiquàm deſtitiſſe vehementer exequi decretũ, non communicandi cum iis qui cum Chryſoſtomo dum in vivis eſſet non communicaverant, & quorum invidia ſupremo fine nondum potuerat domari: Sed ejus nomen in tabulas Eccleſiæ referre denegabant. Conſtans & aperta omnibus innocentia Chryſoſtomi ad hanc fortitudinem Pontificis Innocentij animum traduxerat. Ecquis enim non miſeratus ſortem hominis ſanctiſſimi, tot perſecutionibus vexati, omni jure Eccleſiæ violato judicati, in horribili miſeriâ extincti, qui nunquam potuit invenire æquos ac legitimos judices apud quos ſuam cauſam peroraret? Igitur omnes orbis Chriſtiani epiſcopi ita ut Romanus Pontifex, omni officio ac potius pietate erga Chryſoſtomum ſatisfacere tenebantur. Quamobrem Theodoretus ait lib. 5. hiſtoriæ cap. 34. Epiſcopos Occidentis noluiſſe cum Ægypti, Orientis, Boſphori & Thraciæ præſulibus communicare, donec Chryſoſtomi nomen in Ec-

David. pag. 352.

cleſiæ tabulas retulerint ; dicitque Illirici epiſcopos ad Occidentalium rationes ſe adjunxiſſe. Interim tamen perperam æſtimaretur quilibet ex his epiſcopis judicium adverſus Chryſoſtomum irritaſſe, & ipſe Chryſoſtomus ad eoſdem appellaſſe ut ſuprà obſervavimus num. 5. Igitur ratiocinium Davidij imbecillum eſt, quo ex denegatâ communione implacabilibus S. Chryſoſtomi hoſtibus concludit, Pontificem Innocentium judicium irritum declaraſſe, & Chryſoſtomum ad Sedem Romanam appellaſſe.

IX. His prætermiſſis, Davidius hoc ratiocinio præ-
David pag. 352. „ conceptam opinionem confirmat. At verò inquit hac „ ſtabilita veritate, ſive demonſtratâ ſententiâ qua Papa „ Innocentius hoc judicium irritaverat, Quæro jam „ utrum poſſit juſſu Pontificis nomen epiſcopi condemnati, & in Concilio abdicati in Eccleſiæ tabulas referri, cum „ legitimis ejuſdem urbis epiſcopis, non antiquato judicio „ Concilij quo epiſcopali Sede ejectus fuerat? Quæro an „ poſſit tanta curatione ac ſeveritate huic legi obtemperatio procurari, ei tota Eccleſia ſubmitti, tot vicibus memoria S. Chryſoſtomi mirandi Epiſcopi, ut inquit Innocentius, ſumma veneratione extolli, niſi & totidem vicibus repenſis, judicium Synodi abrogetur expungatur, „ quæ tantùm virum epiſcopi nomine indignum, pronuntiaverat?

His Davidij poſtulationibus reſpondere non eſt valde arduum. Dico igitur Primò, Innocentium Papam nullo decreto ſanciviſſe eſſe referendum nomen Chryſoſtomi in tabulas Eccleſiæ quod non pariter epiſcopi Occidentis & Illirici confecerint. Hoc autem nihil eſt, niſi conſtans ac perpetua voluntas eorum, non communicandi cum inimicis S. Chryſoſtomi donec nomen ejus in Eccleſiæ tabulas retulerint. Secundò, etiam ſi hoc ſpeciali mandato juſſiſſet Pontifex, ad epiſcopos ſuæ juriſdictioni tantum

ſpeciatim

ſpeciatim ſubjectos reſpiceret,ſcilicet intra limites Romani epiſcopi comprehenſos, neutiquam verò ad alios, erga quos eſſet ſimplex declaratio, qua ipſis ſignificaret ſe cum iis non communicaturum quandiu nomine Chryſoſtomi Eccleſiæ tabulæ vacarent.

Quemadmodum Princeps ſupremus cum ab altero Principe aliquid deſiderat & ſi denegetur, bellum denunciat, non hinc conſequitur Principem cui bellum indicitur eſſe alterius ſubditum, cum immò ſibi æqualem ullum ſæpiſſimè habeat. Exempli gratia, Rex Chriſtianiſſimus inſolentiam Batavorum coërcere vult, cultumque Catholicæ religionis in eorum provincias hæretico ritu deformatas referre deſiderat, non juſſu aut imperio mandat ut reſtituant, & ritu catholico ſtatim ſacrificent, ſed eis bellum denunciat, omnibus ſubditis communicatione & commercio cum Batavis interdictum promulgat.Hinc non conſequitur regem Chriſtianiſſimum eorum leges ac decreta irritaſſe & abrogaſſe. Ita ſe geſſerunt Innocentius Papa, Epiſcopi Occidentis & iis adjuncti Illyrici adverſus Orientales qui tot diris S. Chryſoſtomum erant inſectati: omne fœdus rumpunt,cum iis omnem communionem denegant niſi nomen Chryſoſtomi in Eccleſiæ tabulas referant. Non tamen hinc ſequitur Papam & Occidentales Orientalium decreta & leges antiquaſſe, & adverſus eos ſupremâ poteſtate eſſe potitos. Tertiò, Falſum eſt S.Chryſoſtomum in Concilio legitimo condemnatum fuiſſe. Nam Pſeudo-Synodus ad Quercum & alia comitia adverſus Chryſoſtomum ſive ante ſive poſt primum exilium, ita ut meræ coitiones ſemper æſtimatæ ſint: Et incogitabile viſum eſt juris formulis, tantâ curatione cavere, ad irritandum judicium reverà nullum & per ſe irritum.

X. Sed hujus conſectarij veritas, inquit Davidius, " extra omnem dubitationis aleam erit poſteà, ſi accuratè "

„ perpendamus epiſtolam Attici electi Conſtantinopoli-
„ tani ad Cyrillum Alexandrinum, cum Occidentales ab
„ eo valde contenderent de relatione nominis S. Chryſo-
„ ſtomi in tabulas Eccleſiæ ſuæ, & reſponſionem Cyrilli.
Porrò hæc Epiſtola refertur apud Nicephorum lib. 14. cap. 26. hæc verba citat Davidius. *Neque judicio patrum fraudem feci: mentio namque ejus fit cum defunctis non ſolùm Epiſcopis ſed & presbyteris, diaconis & laicis mulieribuſque cum quibus omnibus nobis Sacerdotij communio aut earum rerum quæ in ſacrâ menſâ myſticè percipiuntur participatio non eſt. Magna enim eſt inter defunctos & ſuperſtites differentia, ita ut etiam libri propter differentem eorum quorum memoria conſervatur ſtatim diſcreti ſint.* Solertiâ atque induſtria pollet mirabili, qui ex his verbis ad probandam appellationem ad Apoſtolicam Sedem argumentum aſſumit, nec non ſententiam ab eadem Sede prolatum. Revera videmus Atticum poſtquam nomen Chryſoſtomi in Eccleſiæ tabulas retuliſſet, non putaſſe culpam ſe commiſiſſe contra ſacros canones aut patrum judicio fraudem feciſſe. *Quare ut equidem puto neque in ſacros canones commiſi, neque judicio Patrum fraudem feci.* Nec quicquam in hac Epiſtola ſignificat ita ſe geſſiſſe Atticum ſummi Pontificis autoritate inſtigatum. Sed Davidius dubitare non poteſt Atticum non cogitaſſe de obtemperatione debitâ decreto quo irritabatur decretum contra Chryſoſtomum, cum ejus nomen in Eccleſiæ tabulas retulit. Quippè cùm ipſe Davidius fateatur Atticum contendiſſe ſe nihil commiſiſſe contra ſacros Canones Conciliorum, in quibus cauſa ſua ceciderat ſive damnatus fuerat Chryſoſtomus. Quod apertè ſignificat Atticum hæc Concilia non æſtimaſſe irrita aut abrogata. Et ſi fortè fateri cogamur credidiſſe, à Papa irrita fuiſſe & abrogata, ſaltem non fatebimur ſibi perſuaſiſſe obtemperandum eſſe mandato ſummi Pontificis,.

Quippè

Quippè cum prædictus Atticus non ſolum probet, verùm etiam contendat ſe nihil contra ſacros canones horum Conciliorum commiſiſſe, & judicio Patrum ex quibus conſtiterunt, fraudem non feciſſe.

Denique Atticus referens nomen Chryſoſtomi in tabulas Eccleſiæ, nihilominus ſignificat quam obtemperationem Romano Pontifici; quippè cum tantùm retulerit concordiæ cauſa inter Eccleſias conciliandæ, neutiquam verò ad ejus innocentiam vindicandam, aut eidem communionem Eccleſiæ reſtituendam quemadmodum ei reſtituerant Innocentius Papa, Epiſcopi Occidentis, & Illyrici. Sed immò contendit magnam eſſe inter vivos & mortuos diſcrepantiam. *Magna enim eſt inter defunctos & ſuperſtites differentia.* Hanc relationem nominis inter mortuos, non teſtificari communionem. Nulla enim habetur cum defunctis communio nec Sacerdotij, nec rerum in ſacrâ menſâ perceptarum. *Cum quibus omnibus nobis Sacerdotij communio aut earum rerum quæ in ſacrâ menſâ myſticè percipiuntur, participatio non eſt.* Additque novum non eſſe in Eccleſia, concordiæ causâ referre in tabulas poſt mortem nomina Schiſmaticorum; idque valde à reſtitutione in communionem eſſe alienum. *Nihil enim Davidi obfuit honorifica Saüli ſepultura, neque Apoſtolis Arij impietatis ſectator Eudoxius, ſub eadem ſanctiore Sacrificij arâ poſitus: neque Paulinus & Evagrius Eccleſiæ qui Schiſmatis & Diſſidij duces in Eccleſiâ Antiochenâ fuere, quod poſt obitum, non paucis hinc ab annis propter populi pacem & concordiam myſticis tabulis ſunt inſcripti.* Hanc rationem ſolitariam adfert Cyrillo in hac epiſtolâ, ut eum ad referendum nomen Chryſoſtomi in tabulas ſui inſtar compellat. *Quam ob cauſam ipſe quoque Ægypti eccleſiis, eccleſiarum orbis totius pacificandarum gratia ut mortui illius nomen inſcribant præcipe.*

Apud Nicephorum Lib. 14. cap. 26. pag. 493.

XI. Reſponſio Cyrilli ad hanc epiſtolam Attici opinionem

nionem Davidij non magis confirmat. Quippè manifeſtè patet ex ea ejus animum ab obedientiâ ſummo Pontifici, & decreto quo judicium adverſus Chryſoſtomum irritaſſe fingitur alieniorem fuiſſe. Enimverò contendit contra canones magni Concilij Nicæni Atticum retuliſſe nomen Chryſoſtomi in tabulas Eccleſiæ. Et fortiter propugnat jure factam Chryſoſtomi abdicationem, judicium adverſus eum latum ratum ac firmum, & omnes epiſcopos qui ſe ad partium ejus rationes adjunxerant Schiſmaticos æſtimat. *Ne igitur contra te ipſum celebres atque illuſtres eos*, ſcilicet Occidentis epiſcopos, *qui adverſandi ſtudio in partes diſceſſere, neque unquam juſtum de ſeipſis judicium accipiunt*. Dicit eos magis placere Deo qui condemnaverunt, quàm qui opem tulerunt. Et mirabili hortatione compellit Atticum ut nomen Chryſoſtomi expungi curet è tabulis eccleſiæ in quas referri juſſerat. *Iube ex epiſcoporum nomenclatura Ioannis nomen eximi*. Et mentionem faciens eorum qui parere renuebant judicio adverſus Chryſoſtomum lato ſive Concilio ad Quercum, ex quorum numero erat Innocentius Papa, poteſtati Dei eos

Hieremiæ 51. v. 9. commendat. *Inobedientes verò, poteſtati Dei commendare, illud uſurpantes curavimus Babylonem & ſanata non eſt: relinquamus eam quoniam pervenit in cœlum judicium ejus.*

Hic ſi integrum Cyrilli epiſtolam exſcriberem, prudens lector animadverteret, quantâ exacerbatione, & quibus nervis contendit, decretum Concilij adverſus Chryſoſtomum ratum ac firmum eſſe debere, & quàm neceſſe eſſe æſtimet flocci facere ſermones eorum qui voluntatem ad tuendam ejus dignitatem aggregaverant.

Verumtamen ex his omnibus argumentum aſſumit Davidius ut probet S. Cyrillum æſtimaſſe decreti Pontificij vi ac vigore irrita fuiſſe judicia adverſus Chryſoſtomum; & hinc manifeſtè conſequi penes Pontificem Romanum:

manum extitiſſe jus ac poteſtatem abrogandi & irritandi judicia adverſus Chryſoſtomum lata.

Jam verò lectorem tantuli operis noſtri æquum & eruditum enixè rogo, ut has litteras Attici & Cyrilli apud Nicephorum relatas attentè legat & perlegat, de quibus mox locuti ſumus, ex his enim non difficiliter perſpiciet, Davidium probare diem eſſe tenebras & tenebras diem, dum ait paginâ 354. hinc dubio procul conſequitur " Eccleſiam Romanam irritaſſe ultimum judicium adverſus Chryſoſtomum emiſſum, cum juſſerit nomen ejus " referri in codices Eccleſiaſticos contra judicium injuſtum, quo iniqui judices dignitate epiſcopali Eccleſiæ " Conſtantinopolitanæ eum ſpoliare tentaverunt, illudque mandatum invictæ fortitudinis teſtificatione exſequi voluerit. Enimverò cum S. Cyrillus æſtimet relationem nominis Chryſoſtomi in tabulas Eccleſiæ confectam contra Canones magni Concilij Nicæni, non ſecùs ac Concilij in quo abdicatus fuerat; ex hoc ratiocinio manifeſtè conſequitur Papam Innocentium irritaſſe ſeu abrogaſſe Nicænum Concilium æque atquè Concilium ad Quercum; quod profectò inſanum & abſurdum nemini homini nõ videbitur qui de poteſtate mentis non exiverit.

XII. Poſſem, inquit Davidius, hæc argumenta " quibuſdam acceſſionibus cumulare, ex ſententiâ ex- " communicationis quam hic Papa Innocentius adverſus " Imperatorem Arcadium & conjugem Eudoxiam vibravit, atque hac teſtificatione demonſtrare quantâ com- " motus iracundiâ adverſus hanc Synodum ſe geſſerit. " Quippè cùm non ſolùm communione interdixerit epi- " ſcopis qui huic Synodo adfuerant, verùm etiam Impera- " tori & Imperatrici qui eam ſuo præſidio ſuſtinuerant. " Licet enim Palladius, Socrates & Sozomenus de hac " epiſtolâ Romani Pontificis mentionem non faciant, " ſive inſtrumento excommunicationis, ſatis ſuperque " David. pag. 358.

 confirmatur

„ confirmatur teſtificatione Georgij Patriarchæ Alexan-
„ drini qui ante annos mille ſcripſit.

Hanc ultimam objectionem diluere non eſt difficile. Nihil enim hoc interdicto adverſus Imperatorem Arcadium & Imperatricem Eudoxiam magis à veritate alienum.

Nicephor. l. 13. c. 34. Bin. tom. 1. Concil. pag. 628. Epiſtola Innocentij Pontificis, quæ eſt hujus excommunicationis inſtrumentum, mentionem facit mortis S. Chryſoſtomi. *Verum excipiet illa*, ſcilicet Eudoxia, *& præſentem hic pœnam & futurum ſempiternum ſupplicium non poſt multos hos dies ei adveniens. Tametſi enim beatus Ioannes vitam reliquit fide ſervatâ, & fluctuantibus confirmatis, in æterna tamen ſæcula ſempiternarum deliciarum & immortalis vitæ hæreditatem eſt conſecutus.* At verò certiſſimum eſt Imperatricem Eudoxiam multis annis poſt Chryſoſtomum diem obiiſſe. Igitur inſtrumentum hujus excommunicationis omnino ſpurium eſt & apocryphum.

Cardinalis Baronius anno Chriſti 407. Pontificatus Innocentij I. 6. hujuſce excommunicationis inſtrumentum refert ex Glycâ, apud quem græcè ſcriptum occurrit. Sed mentitus eſt Glycas, aut quilibet alius. Nam Eunapius S. Chryſoſtomo ſcriptor æqualis, in fine hiſtoriæ ſuæ ait, teſte [a] Photio, diem obiiſſe Eudoxiam in puerperio, quo tempore Sede Conſtantinopolitanâ pulſus eſt Chryſoſtomus, & Arſacius, in locum ejus ſuffectus conjuratione Theophili; quod contigiſſe nemo dubitat Anno Chriſti 404. ex quo manifeſtè conſequitur mortem Eudoxiæ poſteriorem non fuiſſe morte Chryſoſtomi; proindeque Papam Innocentium anno 407. juxta Baronium aut quolibet anno poſt mortem Chryſoſtomi non potuiſſe Imperatrici Eudoxiæ communione eccleſiaſticâ interdicere (quemadmodum hoc præ ſe fert inſtrumentum) quippè cum diu ante Chryſoſtomum Imperio & vitâ deceſſerit Eudoxia.

[a] Photij Biblioth. codic. 77.

Eudoxia. Scrates, Proſper, Marcellinus comes & Sozomenus cum Eunapio mirabiliter congruunt. Obſervant enim mortem Imperatricis Eudoxiæ contigiſſe quarto die poſt immanem grandinem quæ cecidit in ſuburbium Conſtantinopolitanum die 30. Septembris anno ut omnes fatentur 404. ſcilicet tribus annis ante hoc communionis interdictum, ſi vera eſt opinio Baronij qui anno 407. illud aſcribit. Enimverò faſtis græcorum notatur hæc grando, ita ut prognoſticum hujus mortis, ad quintum conſulatum Honorij & Ariſteneti, indictione 2. menſe hyperberetto; quæ omnia cum anno 404. coïncidunt. Hæc ſunt verba faſtorum græcorum. Quinto conſulatu Honorij & Ariſteneti indictione 2. Deo volente, cecidit grando ſuper Conſtantinopolim, cujus guttæ inter decidendum congelatæ cum nucibus pari craſſamento intumuerant, menſe hyperberetto, die veneris hora octava. Et Imperatrix Eudoxia eodem menſe obiit pridie nonas Octobris die 5. hebdomadæ, in ædibus Sanctorum Apoſtolorum ſepulta 4. idus Octobris die quinto hebdomadæ. Hæc autem ſi ad uſum noſtrum referantur ſignificant. Anno Chriſti 404. die Veneris 30. Septembris nocte, ſcilicet die Sabbati 1. Octobris horâ ſecundâ matutinâ vehementer grandinaſſe Conſtantinopoli, & 4. die poſt grandinem, ſcilicet nocte inter diem Mercurij & Jovis, 6. Octobris obiiſſe Imperatricem Eudoxiam cui juſta reddita ſunt die Mercurij 12. ejuſdem menſis. Quæ cum omnia vera ſint & extra omnem controverſiam poſita; ex his conficitur manifeſtè, Innocentium primum Papam non potuiſſe communione interdicere anno 407. juxta Baronium Imperatori Arcadio & conjugi Eudoxiæ, poſt mortem Chryſoſtomi (ut præ ſe fert hoc excommunicationis fictitium inſtrumentum) quoniam hæc Imperatrix vitâ deceſſerat in puerperio anno 404. tribus annis, uno menſe & octo diebus ante

Lib. 6. cap. 19.

ſupremum finem Sancti Archiepiſcopi Conſtantinopolitani. Unum jam nobis reſtat ut Georgij Epiſcopi Alexandrini autoritati ſatisfaciamus, quem laudat Davidius poſt Cardinales Doctiſſimos [a] Perronium, Bellarminum & Baronium. Floruit anno IↃCXX. Scripſit vitam S.Chryſoſtomi quam integrè ex Palatino & Bavarico codice edidit græcè Henricus Savilius, tomo ultimo operum S.Chryſoſtomi. Ex ea refert excerpta Photius codice ſuæ Bibliothecæ XCVI. pag. 251. in quibus mentionem nullam facit excommunicationis Arcadij. Obſervat ſolum Innocentium Papam ad tuendam Chryſoſtomi innocentiam multum laboraſſe, de eo nunquam conquieviſſe, multaſque ut gratificaretur litteras ſcripſiſſe quæ nihil profuerant.

Repliq. lect. 43.

Porrò hic Georgius antiquus revera eſt hiſtoricus, multis mendaciis & ſphalmatis famoſus, nullâque fide inter eruditos dignus. Jure merito Photius in eo deſiderat linguam puriorem & majus ſtudium veritatis. Doctiſſimus Petavius Socius Jeſuiticus ut ſcriptorem mendacem & ridiculum carpit, libri 2. de doctrinâ temporum cap. 47. multaque exempla malæ fidei & ineptiarum ejus penitus inſulſa refert. Igitur ex hoc autore colligere poſſumus juſtiſſimis de cauſis, nullam ei fidem eſſe adhibendam quippè quiſquis ad legendum animum appulerit, injucundiſſima lectione infinitarum nugarum ac fabellarum mentem explebit, quæ ſcriptis ſanctiſſimi Patris & toti antiquitati repugnant. Objicit prætereà Davidius Sozimum lib. 5. hiſtoriæ, quem S.Chryſoſtomo æqualem ſibi perſuadet, ex quo Eudoxia ſuperſtes Chryſoſtomo intelligitur. Sed cùm Davidius nullum Sozimi locum citet; Voſſius inter ſcriptores incertæ ætatis eum rejiciat, certum eſt hunc ſcriptorem non debere anteferri Eunapio, Soctati, & Sozomeno qui cum faſtis græcis tantâ cum accuratione congruunt, quorum autoritas in hoc caſu de tempore mortis

Voſſius de hiſtoricis græcis.

mortis celeberrimæ Imperatricis Eudoxiæ, omnibus antiquitatis Scriptis ac codicibus antecellit.

Inſuper Davidius citat epiſtolam Gelaſij Papæ ad epiſcopos Dardaniæ ut appellationem S. Chryſoſtomi ad Apoſtolicam Sedem confirmet. Sed hoc argumentum ſupervacaneum eſt. Quoniam non negamus octoginta annis poſt mortem Chryſoſtomi tempore Gelazij Papæ ſummos Pontifices ſibi arrogaſſe jus admittendarum appellationum à judiciis Conciliorum, in cauſis epiſcoporum. Similiter fatemur ad hoc jus ſibi vindicandum & confirmandum, ſæpè epiſcopos variis miſeriis ac calamitatibus vexatos, qui ad Apoſtolicam Sedem confugerant, Athomaſios, Chryſoſtomos, & Flavianos quaſi appellantes reſpexiſſe, & auxilium quod eis præbuerant inter judicia ſuprema ac ultima recenſuiſſe. Sed cùm ultra tempora S. Leonis Papæ, autoritatem Conciliorum ſupremam prorogare impræſentiarum mihi non ſit animus, ſcilicet ultra umbilicum quinti ſæculi; hoc argumentum ex Gelazio Papa aſſumptum, rem quam tracto nullá ratione tangit, nec poteſt infirmare veritatem perſpicuam, ad quam probandam ac ſtabiliendam tantulo hoc opere animum appuli. David. pag. 355.

CAPUT XXXVI.

Utrum Canones Concilij Sardicenſis ſervati ſint ſub Pontificatu Innocentij primi in cauſis epiſcoporum?

Quamvis ex negotio S. Chyſoſtomi quod nuper tantâ curâ tractavimus, planiſſimè conſtet, tempore Innocentij Papæ, neutiquàm ſervatas fuiſſe leges

 Concilij

Concilij Sardicenſis : Verumtamen non ſunt prætermittendæ difficultates quæ aliunde exſurgere ſolent.

Sed antequam ad eas examinandas aggrediamur, obſervare neceſſe eſt, magnam eſſe diſcrepantiam inter Concilium Sardicenſe & Canones Concilij Sardicenſis. Enimverò cùm in hoc Concilio S. Athanaſius omni culpâ liber & immunis evaſerit, cum Marcello Ancyrano & Aſclepa Gazeo, incredibile eſt hanc contentionem adeò miſcuiſſe res eccleſiaſticas, & ad aures hominum, Concilij Sardidicenſis nomen non perveniſſe.

Præterea animorum disjunctio quæ diſſenſionem fecerat inter epiſcopos Orientis & Occidentis, hujuſce Concilij nomine populos uſque ad extremas orbis auras facilè repleverat. Sed cùm poſt hanc diſſenſionem exiguo numero epiſcopi ſubſtiterint in hoc Concilio, qui 21. canones quos habemus confecerunt, hi canones ignoti remanſerunt, non eandem cum Concilio ſortem experti, quod propter maximum negotium S. Athanaſij in eo verſatum, non potuit ignotum & obſcurum remanere.

Reverà fateri oportet Innocentium I. Papam qui 50. annis poſt Concilium Sardicenſe, Petri Sedem occupavit, anno ſcilicet 402. menſe Maio, hoc Concilium quodammodò cognoviſſe atque illud laudaſſe. Quoniam patres ſeu epiſcopi qui aderant, noluerant ſe aggregare ad partes Schiſmaticorum qui leges non ſervabant Concilij Nicæni. His enim verbis ſignificat epiſcopos Orientis qui ſe à Concilio Sardicenſi disjunxerant, & Philippopolim ſe receperant.

Sed nunquam citat Innocentius quavis occaſione datâ, canones hujuſce Concilij. Immò palam & publicè declarat Eccleſiam Catholicam præter canones Nicænos, nullos recognoſcere, & alios quoſcunque ab hæreticis laudatos ab Epiſcopis catholicis rejici; laudatque epiſcopos Concilij Sardicenſis qui ad tuendam S. Athanaſij innocentiam

centiam & dignitatem aggregati, à rationibus Concilij Nicæni nunquam ſe disjunxerunt. Hæc ſunt verba magni Pontificis epiſtolâ 29. ad clerum & populum Conſtantinopolitanum apud Nicephorum relatâ libro 13. hiſtoriæ capite 32. *Canonibus porrò obſequendum eſſe ſcribimus, qui Niceæ ſunt decreti quos ſolos conſectari decet Eccleſiam Catholicam & juxta eos judicare. Si in aliis à quopiam proferuntur à Nicanis canonibus diſſonantes & hæreticos autores referentes ij à Catholicis epiſcopis rejiciuntur, hæreticorum namque inventa Catholicis canonibus non ſunt annectenda: ſemper etenim illi per contraria nefaria decreta patrum Nicænorum Concilium minuere intendunt. Quapropter non ſolùm hoc dicimus iſtos ſequendum non eſſe, verum etiam cum hæreticis & Schiſmaticis ſeu diſſidioſis dogmatibus condemnandum; quemadmodùm anteà in Sardicenſi Concilio ab Epiſcopis qui nos præceſſerunt factum eſt.* Canone 5. Concilij Nicæni comparatum erat, ut epiſcoporum cauſæ in Synodis dirimerentur, quemadmodum probavimus ſuprà capite 6. hanc legem executi ſunt epiſcopi Concilij Sardicenſis, qui S. Athanaſium culpâ liberum & immunem renunciarunt. At præter hoc negotium S. Athanaſij, ex hujus Concilij rebus ad notitiam Papæ Innocentij nihil pervenit. Igitur fruſtra tot verborum bombos edit [a] Davidius adverſus D. Petrum de Marca, contendentem ex hoc loco probare, tempore hujuſce Pontificis, diſciplinam canonibus Synodi Sardicenſis ſancitam nondum admiſſam fuiſſe. Quippè cum iſte Pontifex hujuſce Concilij canones non citet, ſed ſolummodo epiſcopos illius, laudibus extollat, ob fortitudinem qua Nicæna ſtatuta ſuſtentarunt, & ad Orientales nunquam ſe aggregare voluerunt, qui ſe ab eorum rationibus disjunxerant. Davidius hujus loci ſalebris implicatus, *quos ſolos* (Nicænos ſcilicet) *conſectari decet Eccleſiam Catholicam*, & [b] alterius, *alios quippè canones Romana*

[a] David. Pag. 541.

Epiſtola 29. ad populum & clerum.

[b] Epiſtola 31. ad Theophil.

mana non admittit Eccleſia. Contendit juxta notam quam efformavit libri ſui capite 1. articulo 6. hunc Pontificem per canones Nicænos quos ſolos Romana admittit Eccleſia, intelligere & comprehendere Sardicenſes, quoniam continenti tempore promiſcuè cum Nicænis aliorum Conciliorum canones, ac potiſſimè Sardicenſes, in eodem codice conſcripti & compacti ſunt. Sed hoc incogitabile & inſulſum mentis compoti homini ſemper videbitur. Enimverò cùm Innocentius Papa nominatim in laude Sardicenſium patrum ponat obtemperationem accuratam canonibus Nicænis, conſequeretur laudi pariter dare eorum obtemperationem ipſiſmet canonibus Sardicenſibus; quod valdè abſurdum eſt & intolerabile.

Non hîc impræſentiarum examino, jure an injuria Davidius probaverit cap. 1. ſui libri, articulo 6. primis Eccleſiæ ſæculis citatos fuiſſe multos canones Conciliorum ſub nomine Nicæni. Non recuſo quin ita ſe res habere poſſit, atque hæc notatio hominis docti & ſapientis ſit. Sed ſilentio prætermittere non poſſum Davidium hujus autorem non eſſe. Nam Davidius Juſtelli plagiarius eſt ad-

David. pag. 43. 56. verſus quem ſcribit. Diu enim ante Davidium hoc animadverterat, ut apertè conſtat ex præfatione editionis in folio codicis Eccleſiæ univerſæ cura Juſtelli confectæ Pariſiis apud *Billainne* anno 1661. hæc ſunt verba hujus præfationis pag. 16. *Præponebantur autem viginti canones Concilij Nicæni propter autoritatem ac dignitatis prærogativam magni illius Concilij quod primum Oecumenicum Eccleſia Chriſtiana celebravit, præfixo etiam illius nomine, ut quidam exiſtimant, quod in cæteris qui ſubjecti, ſeu ſubter annexi erant obſervatum non fuit, atque inde factum videtur lapſu temporis ut ſub nomine Concilij Nicæni laudarentur omnes.*

Quod apud Gregorium Turonenſem epiſcopum l. 9. cap. 33. obſervare licet, ubi ex canonum Nicænorum decre- tis

tis canonem citat qui 14. *eſt Gangrenſis Concilij: Canonum inquit Nicænorum decreta relegi, in quibus continetur. Quia ſi qua reliquerit virum & thorum quo benè vixit ſpreverit*, &c. Igitur ne gloriari libeat Davidio alienis bonis Æſopus illi prodidit hoc exemplum.

Tumens inani Graculus ſuperbiâ Pennas Pavoni quæ deciderunt ſuſtulit ſeque exornavit: Deinde contemnens ſuos immiſcuit ſe Pavonum formoſo gregi. Illi impudenti pennas eripiunt avi, fugantque roſtris. Phædrus fab. 3.

At verò Davidius cui nomen plagiarij dubio procul non placebit, dicet fortaſſe nunquam in manus ſuas incurriſſe hanc editionem in folio hujus præfationis quæ valde aliena eſt ab inſtitutis prioris præfationis quam Chriſtophorus Juſtellus editioni canonum præfixit Anno 1610. in qua hæc omittitur obſervatio. Sed perperam hoc reſpondere videbitur; quippè cùm hanc editionem in folio citet pag. 62. & 63. ſui libri art. 1. cap. 2. arguitque Juſtelli filium malæ captæ mentis paternæ, in hac poſteriore hujus præfationis editione. Utcumque res ſint, non adeò inſolens ac nova eſt hæc obſervatio ut inventum difficilem excogitationem habens cenſeri poſſit, ad ſolvendos qui ſuper hac materiâ exurgunt ex antiquitatis viſceribus nodos. Quippè cum in hanc Juſtelli ſententiam omnes docti frequenter iverint. Non mihi eſt animus eorum hîc tenere catalogum, ſatis eſt referre Davidio quæ de hac quæſtione diſſerit Hieronymus Alexander junior ex fratre nepos cognominis Cardinalis, in libro quem de regionibus ſuburbicariis ſcripſit, & anno 1619. Paulo quinto ſummo Pontifici dicavit typis Cramoyſianis edito Pariſiis. Eius hæc ſunt verba pag. 77. *Huc accedit quod codices ſervabantur apud Eccleſias in quibus omnes canones ſejuncti ab actis univerſalium Conciliorum deſcripti erant, ut eos facile ad manus haberent, primam Sedem occupabant Viginti canones Nicænæ Synodi præfixo etiam*

nomine quo id Concilium neſcio quam dignitatis prærogativam ſemper habere viſum eſt. Cæteris qui ſubjecti erant nomen apponere non perinde curarunt. Hinc factum eſt ut ſub nomine quod præfixum apparebat laudarentur omnes, fuere propterea qui multo plures numerarent canones Nicænæ Synodi quam revera eſſent.

Ex his intelligere poteſt Davidius tantulum inventum, quod tam difficilem excogitationem habere videtur, & quo tantoperè gloriatur in mentem doctorum virorum incurriſſe quinquaginta annis antequam ad ſcribendum mentem appelleret.

Jam verò diſcutiamus argumenta quibus enititur probare canones Sardicenſes admiſſos, & uſu eccleſiæ receptos fuiſſe tempore Innocentij Papæ.

Prodidit ſecundam epiſtolam hujuſce Pontificis ad Victricium Rothomagenſem epiſcopum quæ hæc verba præ ſe fert, cap. 3. *Si qua autem cauſa vel contentiones inter clericos tam ſuperioris ordinis quam inferioris fuerint exortæ, ut ſecundum Synodum Nicænam congregatis ejuſdem provinciæ epiſcopis jurgium terminetur, nec alicui liceat (Romanæ Eccleſiæ cujus in omnibus cauſis debet reverentia cuſtodiri) relictis his Sacerdotibus qui in eadem provinciâ Dei Eccleſiam nutu divino gubernant ad alias convolare provincias. Quod ſi quis fortè præſumpſerit & ab officio clericatus ſubmotus & injuriarum reus ab omnibus judicetur. Si autem majores cauſæ in medium fuerint devolutæ, ad Sedem Apoſtolicam ſicut Synodus ſtatuit & beata conſuetudo exigit poſt judicium epiſcopale referatur.*

Multa poſſunt ad hanc epiſtolam reponi. Non enim conſtat hanc nullis interpolationibus laborare. Primò nullus autor eccleſiaſticus eam citat ante centum & quinquaginta annos poſt mortem Innocentij Papæ. Reverà enim de ea nullibi mentio occurrit, ante ſecundum Concilium Turonenſe canone 20. celebratum anno Chriſti

Chriſti 567. ſub Pontificatu Joannis 3. At verò toto hoc decurſu temporis viginti Pontifices ad vicem, Petri Sedem occuparunt, inter quos Sozimus & Leo I. eminent quos vigore ac fortitudine caruiſſe nemo homo dixerit ad tuendam & ſuſtentandam autoritatem Pontificiam; nec occaſiones eis defuiſſe plurimas quibus hæc Epiſtola Innocentij Magnum eis præſidium attuliſſet. Secundò epiſtola quarta Syricij Papæ pœnè integra in hac epiſtolâ Innocentij ad Victricium ſcripta eſt, eique aſſuta, omiſſo tamen nomine Syricij & epiſtolæ ejus: quod valde abſurdum eſt. Nam Syricij epiſtola falſitatis argui non poteſt; quippè quæ integra legitur in fragmento Concilij Biſazeni habiti anno Chriſti 385. Ferrandus Diaconus Eccleſiæ Carthaginenſis, qui vixit circa annum 547. juxta Chronicum Victoris Tunnonenſis eam citat in ſuo breviario canonum art. 6. 130. 138. & 174. Tertiò, cùm dicat Innocentius Papa, conceptis verbis, Romanam Eccleſiam *non alios admittere Canones quàm Nicanos*, incredibile videretur alios ab eo citari, cum præſertim reſcriberet Epiſcopo qui eum de Eccleſiæ Romanæ diſciplinâ conſuluerat.

Sed his conjecturis omnibus prætermiſſis, quæ ad criticam pertinent, hos difficultatum nodos ſolvere facilius erit. Si dicamus.

Primò, Innocentium Papam ut ſatisfaciat poſtulationi Victricij ei explicare ac renunciare diſciplinam Eccleſiarum urbis Romæ. Neutiquam verò aliarum. ***Tamen quia Romana Eccleſia normam atque autoritatem magnopere poſtulaſti, voluntati tua morem admodum gerens, digeſtas vita & morum probabilium diſciplinas annexas litteris meis miſi per quas advertant regionis veſtra populi quibus rebus & regulis Chriſtianorum vita in ſuâ cujuſque profeſſione debeat contineri, qualiſque ſervetur in urbis Roma Eccleſiis diſciplina.*** Igitur ex hac epiſtola colligere non poſ-

ſumus hanc diſciplinam fuiſſe ab univerſis Eccleſiis receptam & uſitatam.

Secundò, Cum has Eccleſiæ Romanæ regulas diſciplinæ mittit Papa Victricio, non ei mandata aut præcepta præſcribit. *Non quod noſtra præcepta aliqua imperentur, ſed ea quæ per deſidiam aliquorum neglecta ſunt ab omnibus obſervari cupiamus, quæ tamen Apoſtolicâ patrum traditione ſunt conſtituta.*

Tertiò, conſtat capite 3. hujus epiſtolæ, ex quo aſſumitur objectio quam diluimus, cauſas epiſcoporum quorum eccleſiæ ſub Romanâ conſtitutæ erant, ultimæ cognitionis judicio fuiſſe in Conciliis provincialibus terminatas, atque iis epiſcopis vetitum eſſe confugere ad alias provincias lege Concilii Nicæni Canone 5. ſancita. Quoniam in omnibus cauſis & controverſiis debet Eccleſiæ Romanæ reverentia cuſtodiri. *Cujus in omnibus cauſis debet reverentia cuſtodiri.* Igitur cùm eo capite habetur, debere in omnibus cauſis Eccleſiæ Romanæ reverentiam cuſtodiri; hoc tantummodo ſpectat ad Epiſcopos ejus juriſdictioni ſpeciatim obnoxios, ſcilicet quorum eccleſiæ intra Romanæ provinciæ limites comprehendebantur. Enimverò hunc eſſe hujuſce capitis ſenſum non difficiliter intelligemus, ſi lectionem Binij ſequi velimus, qui hæc verba prætermittit. *Sine præjudicio Romanæ eccleſiæ,* quæ adſcititia videntur in aliis editionibus, & transferre parentheſis initium quæ eſt in hoc capite poſt hæc verba *Romanæ Eccleſiæ*, & ante hoc pronomen, *cujus*, collocare. Tunc enim perſpiciemus clariſſimè, hoc capite vetari omnibus clericis Romanæ Eccleſiæ, ſuperioribus & inferioribus, ſuas cauſas ad alias provincias præter Romanam deferre. *Si quæ autem cauſæ vel contentiones inter clericos fuerint exortæ ut ſecundum Synodum Nicænam congregatis ejuſdem provinciæ Epiſcopis, jurgium terminetur, nec alicui liceat Romanæ Eccleſiæ (cujus in omnibus cauſis debet reverentia*

reverentia cuſtodiri) *relictis his Sacerdotibus qui in eadem provincia Dei Eccleſiam nutu Divino gubernant, ad alias convolare provincias.* Enimverò niſi ad hanc formam inſtauretur hæc parentheſis, hujus periodi conſtructio perſpici non poteſt, nec unde hi duo genitivi caſus *Romanæ Eccleſiæ* regantur. Eamobrem hæc duo verba *ſine præjudicio Romanæ Eccleſiæ* adjuncta ſunt in gratiam Pontificis Romani, quod placuit R. Patri Sirmondo tom. 1. Concil. Galliæ. 3. quæſt. non liceat.

Sed profectò magis æquum ac rei naturæ conveniens eſt hanc parentheſim in ſuum locum proprium reſtituere, quam integra verba adſciſcere. Igitur ex hac Innocentij ad Victricium epiſtolâ nihil colligere poſſumus, præter conſilium quod ſummus Pontifex dat Victricio ut ſuâ curâ ac ſollicitudine det operam, uti provinciæ Rothomagenſis epiſcopi in ea provinciâ ſecundum provinciæ Romanæ conſuetudinem & uſum judicentur; & ſua negotia ad aliarum provinciarum tribunalia non traducant. Verumenimverò à rectæ rationis inſtitutis non eſſet alienum hanc parentheſim omninò ſupprimere, & hæc verba quæ includit tanquam adſcititia expungere; *cujus in omnibus cauſis debet reverentia cuſtodiri.* Quippè cum ea omittat Dionyſius Exiguus in ſuâ collectione, & Nicolaus I. in epiſtolâ ſuâ 40. ad epiſcopos Galliæ, in qua hanc Innocentij epiſtolam citat, ut ipſemet Davidius fatetur pag. 826. Quartò, Sed dicet fortaſſe ex continenti Sermone hujus capitis hanc interpretationem inanem ac valdè futilem intelligi; quippè cum Innocentius Primus conceptis verbis dicat cauſas majores ſi quæ occurrunt eſſe ad Apoſtolicam Sedem referendas poſtquam ab Epiſcopis ſecundùm legem Concilij Sardicenſis fuerint judicatæ. *Si autem majores cauſæ in medium devolutæ fuerint, ad Sedem Apoſtolicam ſicut Synodus ſtatuit & beata conſuetudo exigit poſt judicium epiſcopale referantur.*

Digitized by Google

Davidius ipſe fatetur pag. 815. Innocentium Papam eò loci non cogitare de cauſis epiſcoporum; & eo probat diſcrepantiam & diſſimilitudinem inter epiſcopales cauſas & majores. Sed etſi ex eo cauſæ ſuæ præſidium vindicare præſumeret, poſſem dicere Innocentium Papam eo loci non reſpicere ad Concilium Sardicenſe cujus nomen neutiquam profert, & cùm ibi de Sede Apoſtolicâ mentionem facit, dubitandi locus relinquitur an Romanum Epiſcopum intelligat, nam epiſcopum generatim quemlibet provinciæ præſidem, ſeu Principem deſignare videtur. Enimverò Sedis Apoſtolicæ nomen, non ſemper Romanam Sedem ſignificat, ut nos docet Syricius Papa, Epiſtolâ quarta ad Africæ Epiſcopos, ex qua Innocentij Epiſtolâ quam tractamus ferè integra aſſumpta eſt, nam patet per Apoſtolicam Sedem Provinciæ primatem intelligi. *Vt extra conſcientiam Sedis Apoſtolicæ, hoc eſt primatis, nemo audeat ordinare, Integrum enim judicium eſt quod plurimorum ſententia conſequatur.*

Jam verò ſi quis obſtinatè percontari velit, quodnam ſit igitur iſtud Concilium de quo Innocentio Papæ placuit loqui?

Reſpondeo nomen ejus omiſiſſe, meque non poſſe divinare. Si quis tamen pertinaciter contendit hunc Pontificem ad Synodum Sardicenſem reſpicere, non pertimeſco aſſerere, hujus privilegij poſſeſſionem hunc Papam adeptum eſſe, adverſus ſuæ Provinciæ epiſcopos, ſed non alios; atque autorem eſſe Victricio qui hoc jure non videbatur potiri, ut Eccleſiam Romanam imitatione conſequeretur. *Aut enim propoſitum ſuum ex hac noſtrâ congruenti lectione cognoſcent, aut ſi quod adhuc deſideratur facilè poterunt ex bona imitatione ſupplere.*

Bin. tom. 2. Concil.

II. Septimam Innocentij Papæ epiſtolam profert Davidius, ad Rufum & plures Macedoniæ epiſcopos, de negotio Bubalij & Tauriani; dicitque manifeſtè conſtare ex hac

hac epiſtolâ ; hos epiſcopos non dubitaſſe, quin penes hunc Pontificem hujus cauſæ dirimendæ ſupremum jus exiſteret : cum conceptis verbis hanc veritatem nos doceat, & ex ea intelligamus miſiſſe hunc Pontificem ad hos epiſcopos decretum quod ſuper hac lite pronuntiaverat, & inviolatè ac religiosè ſervandum præſcripſerat. ***Subjungimus autem his priores litteras quibus ita plenaria ſenſuum noſtrorum Sententia deſignata eſt, ut dum relegeritis nihil ambiguum, nihil requirendum in hac cauſa de cætero repetatis.*** Contenditque Davidius, hoc judicium tuliſſe Pontificem adverſus Bubalium & Taurianum, admiſsâ eorum epiſcoporum querimoniâ, vos iteraretis de Bubalio & Tauriano querimoniam. Sicque admiſſam, lege Concilij Sardicenſis ſancitam diſciplinam comprobat.

At illuſtriſſimus Petrus de Marca ex eadem epiſtolâ contrarium confirmat. Quoniam grave viſum eſt epiſcopis Macedoniæ, hoc negotium Bubalij & Tauriani à Pontifice Romano recenſeri de quo jam judicaverant. Et eum Pontifex his Epiſcopis excuſationem dat, iterati examinis, Concilium Sardicenſe non citat, rationeſque tantummodo æquitati ac juſtitiæ congruas profert, quia ſcilicet res ſæpius examinatæ ac recenſitæ facilius dirimuntur ac judicantur. *Grave non oportuit videri piiſſimis mentibus veſtris cujuſcumque retractari judicium, quia veritas exagitata ſæpius magis ſplendeſcit in luce, & pernicies ſæpius revocata in judicium & gravius & ſine pœnitentiâ condemnatur.* **Lib. 7. de concordia cap. 14. §. 4.**

Sed non licet paucis verbis diſcutere tenebras antiquitatis, quibus hujus epiſtolæ occultus ſenſus & circumfuſus latet.

I. Debuerat Davidius probare Bubalium & Taurianum eſſe epiſcopos, aut ſaltem Preſbyteros. Secùs enim ad propoſitum, hoc exemplum non attinet.

II. Debue

II. Debuerat etiam oſtendere hanc controverſiam fuiſſe primulùm à Synodo epiſcoporum Macedoniæ judicatam, & deinde ad Romanam Sedem per appellationem delatam. Secus enim hoc negotium ad diſciplinam Concilij Sardicenſis non ſpectat.

At verò ex hac epiſtolâ Innocentij non intelligimus hanc cauſam fuiſſe ab Epiſcopis Macedoniæ judicatam, in qua Papa dicit tantummodò non eſſe locum querimoniæ ſi negotium jam judicatum iteratâ diſceptatione recenſeatur. Nec enim ſignificat an primâ vice ab epiſcopis provinciæ, an ſecundâ à Romano Pontifice judicari neceſſe ſit. Dat ſolum excuſationem binarum querimoniarum quas ab iis acceperat, ob iteratam litis hujuſmodi diſceptationem: quoniam epiſcopi quos ad eos miſerat, ut primæ querimoniæ reſponſum ferrent, tardius advenerant, tempeſtatis exacerbatione morati. *Mora coepiſcoporum noſtrorum Maximiani & Eumenij vel potius importunitas temporum fecit ut vos iteraretis de Bubalio & Tauriano querimoniam, & nos in homines perditiſſimos inſurgeremus. Sed ut poſſum parcioribus verbis tantorum malorum imitabor compendium, & ſtrictim retractabo. Grave non oportuit videri piiſſimis mentibus veſtris cujuſcumque retractari judicium, quia veritas exagitata ſæpius magis ſplendeſcit in luce, & pernicies revocata in judicium gravius & ſine pœnitentia condemnatur.*

III. Ex hoc reſponſo, maximum ſuo propoſito præſidium vindicari dicet Davidius, quoniam ex eo patet Summum Pontificem hanc cauſam judicaſſe primæ & ſecundæ cognitionis ſententiâ, auditis epiſcoporum Macedoniæ querimoniis, atque adeò ſuæ juriſdictioni ſubjectorum in epiſcoporum cauſis. Primò, Omittendum non eſt nullis argumentis probari Bubalium & Taurianum fuiſſe epiſcopos. Secundò, Si accurata quæſtio habeatur de crimine quo poſtulabantur rei, certum eſt non potuiſſe

potuiſſe eorum cauſam dirimi ac judicari inconſulto Pontifice Romano. Nam ſignatores falſi adulteratarum litterarum Pontificiarum crimine accuſabantur; ſaltem hac culpâ liber non erat Bubalius. *Verum illud video moviſſe animos veſtros quod in multis Bubalius ſæpè fallaciis deprehenſus objecerit exemplaria fictarum quaſi à nobis litterarum cum pro conſuetudine hominis nihil quod proferret jam fide digniſſimum videretur.*

Igitur neceſſe erat Papam recognoſcere manum ſuam. Hæc enim erat vera cauſa querimoniarum, quas ad Pontificem Romanum detulerant epiſcopi Macedoniæ, quas pariter ad quemlibet alium epiſcopum detuliſſent, cujus adulteratæ litteræ & interpolatæ in manus eorum incurriſſent.

IV. Nihil magis à veritate alienum eſt, quam quod profert Davidius his verbis pag. 543. Jubet ſcilicet Innocentius Papa, eos communicare cum epiſcopis vicinis definitionem quam mittebat, ut omnes, inquit, reſcirent *ſupremum judicium* quod adverſus reos pronunciaverat, nullumque haberetur cum iis commercium; pœnamque minitatur iis qui ſua mandata exequi recuſabunt. David. pag. 543.

„ centius Papa, eos communicare cum epiſcopis vicinis
„ definitionem quam mittebat, ut omnes, inquit, reſcirent
„ *ſupremum judicium* quod adverſus reos pronunciaverat,
„ nullumque haberetur cum iis commercium; pœnamque
„ pœnam minitatur iis qui ſua mandata exequi recuſa-
„ bunt.

Legenda ſunt verba quæ citat Davidius. *Hanc autem paginulam noſtram ſollicitius credentibus ſibi epiſcopis relegendam mittite, ut ſciant pleniſſimè quid ſit de Bubalio & Tauriano cæteriſque pronuntiatum, ut ſervent, qui digni admonitione ſunt cavere à talibus, ne talibus ſocientur.* Hæc verba nec ſupremum judicium nec minas ſignificant adverſus rebelles. Sed ſolùm Pontificem ad epiſcopos Macedoniæ reſpondentem cavere ut ſuam epiſtolam mittant epiſcopis, qui fidem habent Bubalio & Tauriano: ut ejus mentem ac ſententiam intelligant de falſis litteris, quas ei adſcripſerant; & cum ejuſmodi hominum genere iis nulla familiaritas intercedat. Non enim hæc verba expungen-

da ſunt *ne talibus ſocientur*, & iſta in eorum locum ſubſtituenda *ne talia ſortiantur:* quæ Davidius induſtriâ mirabili ne dicam fraude ex margine Binij, ad textum traduxit, ut Romanum Pontificem fratres & coepiſcopos minis exterrentem oſtentaret.

Igitur in hoc grandi negotio Bubalij & Tauriani, non de epiſcopis judicandis, ſed de ſcripturâ, ſive manu Pontificis recognoſcendâ, quæſtio fuit; declaratque Pontifex Romanus hos homines judiciali ſententia, falſos ſignatores, ſive litterarum ſuarum adulteratarum crimine convictos: vultque ſuam hac de causâ ſententiam omnibus ſignificari epiſcopis, ne ab ejuſmodi Sycophantis in fraudem deducantur. Præterea quî fieri potuit ut eos Pontifex Romæ judicaret qui nunquam iverant Romam? Cum præſertim ex epiſtolâ Sozimi ad Africanos ſucceſſoris Innocentij, *non ſit conſuetudo Romanis damnare aliquem hominem priuſquam is qui accuſatur præſentes habeat accuſatores, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina.*

Ego verò neſcio cur ſolos Bubalium & Taurianum epiſcopali dignitate ornaverit Davidius. Poterat enim epiſcoporum numerum amplificare hominibus conſciis ſcelerum Bubalij & Tauriani, his Innocentij verbis adductus. *Vt ſciant pleniſſimè quid ſit de Bubalio & Tauriano cæteriſque pronuntiatum.*

Poteſt adhuc non levis difficultas proponi quam Davidio prætermittere placuit. Quæ exſurgit ex epiſtola 12. ejuſdem Pontificis Innocentij ad Florentium epiſcopum Tiburienſem, adverſus quem expoſtulationem ad Pontificem Romanum Urſus alter epiſcopus detulerat, ob uſurpatam parœciam, circunſcriptam liminibus ſuæ Diœceſis, atque ſuæ juriſdictioni continuæ poſſeſſionis jure obnoxiam; qua de re ſcripſit Papa ad epiſcopum Tiburienſem quod ſi cauſam ſuam juſtam æſtimet, vadimonium

nium ſe ſiſtat coram Pontifice Romano poſt ſolemnia Paſchæ, ut partibus in medio collocatis, quid antiquitas aut veritas habeat, inquiratur. *Certè ſi aliquid tibi credis juſtitiæ ſuffragari, integris omnibus & in priſtino ſtatu manentibus poſt dies venerabiles Paſchæ adeſſe debebis, ut memoratis poſſis intentionibus reſpondere: partibuſque in medio collocatis, quid antiquitas aut veritas habeat, inquiramus.* Binij tom. 1. Concil. pag. 615.

Ex his facilè colligi poſſe videtur Papam eſſe judicem controverſiæ quæ inter hos Epiſcopos de hac parœciâ intercesserat, atque adeò tempore Innocentij Papæ non à Synodis ſed à Romano Pontifice epiſcopos fuiſſe judicatos.

Huic difficultati reſponſio facilis eſt, ſcilicet, Innocentium Papam non præſcripſiſſe epiſcopo Tiburienſi ut vadimonium ſe ſiſteret ad audiendum alibi quàm in Synodo ſuæ cauſæ judicium. Quippè tunc temporis in ſolitariis Synodis epiſcopi jura dabant populo & clero, nec ſub aliis judicibus lites erant. Nec mirum videri debet ſi Urſus ad Pontificem expoſtulaverit adverſus epiſcopum Tiburienſem; hi enim epiſcopi intra Provinciæ Romanæ fines erant conſtituti, atque adeò contentiones ac lites eorum judicio Synodi provincialis neceſſe erat dirimi, cui Papa habitâ ratione Sedis Romanæ quam occupabat, non ſolum adeſſe, verùm etiam jure præeſſe ac primas tenere debebat. Tiburi enim Eccleſia ſexdecim millibus ab urbe Roma diſtabat, proindeque ex Eccleſiis ſuburbicariis erat, ſcilicet ſpeciatim Romani Epiſcopi juriſdictioni obnoxiis (quem veteres Eccleſiæ Patres *Vrbicum Epiſcopum* appellant) & ex quibus erant omnes Eccleſiæ intra centeſimum lapidem comprehenſæ. S.Paulinus epiſt. 1. Optatus Milevit. lib. 1.

Sed quoniam in re tanti ponderis nihil prætermittendum eſt, non juvat omittere quæ dicit [a] Davidius de poteſtate Vicarij Apoſtolici in Illyriâ, ab Innocentio primo, [a] David. pag. 544.

Papa Rufo delegata, adverſus Illuſtriſſimum Petrum de Marca, qui juxta epiſtolam ſeptimam hujus Pontificis, aſſeruerat epiſcopos Macedoniæ conqueſtos eſſe de iteratâ diſceptatione litis Bubalij & Tauriani ab Innocentio Papa. Dicitque Davidius ſe non poſſe intelligere qua ratione vicarius Sedis Apoſtolicæ qui ſuæ delegationis litteris apud Holſtenium relatis,Sedi Apoſtolicæ referre tenebatur occurrentia gravioris ponderis negotia, offenſionem accipere potuerit ex eo quod Innocentius Papa, qui ei hoc negotium delegaverat, illud iterata cognitione jure Pontificio judicaret. Porrò Davidius hoc probat ex epiſtolâ Innocentij ad Rufum relatâ ſecundâ ſeſſione actorum Concilij Romani quæ publici juris facta ſunt poſt mortem Holſtenij in libro ſub titulo collectionis Romanæ. *Arripe itaque dilectiſſime frater, noſtrâ vice per ſuprà ſcriptas Eccleſias, ſalvo eorum primatu curam, & inter ipſos primates primus quicquid eis ad nos neceſſe fuerit mittere, non ſine tuo poſtulent arbitratu: Ita enim aut per tuam experientiam quicquid illud eſt finietur, aut tuo conſilio ad nos uſque perveniendum mandamus.*

Sed hæc Innocentij epiſtola jure meritò videtur ſuppoſititia; quippè omnibus doctis incognita, in fragmento quodam occurrit Synodi Romanæ non minus obſcuro, quodque falſum & apocryphum certiſſimis argumentis poteſt demonſtrari.

Primò, Legimus in exordio hujus Synodi *Poſt Conſulatum Lampadij & Oreſtis VV. CC. ſub die 7. Iduum Decembrium in conſiſtorio Beati Andreæ Apoſtoli præſidente venerabili viro Papa Bonifacio.*

Et tamen ex teſtificatione Anaſtaſij Bibliothecarij, Onuphrij, Baronij, & aliorum omnium hiſtoriæ & chronologiæ ſcriptorum, hunc Papam præſidentem obiiſſe 16. Kal. Novembris,ſcilicet 17. die Octobris ejuſdem anni 531. *Poſt Conſulatum Lampadij & Oreſtis.* Clariſſ. Holſtenius

in

In ſuis ad hanc Synodum notis pag.233. æſtimat emendatione opus eſſe Anaſtaſio Bibliothecario, & loco Novembris ſcribendum eſſe 16. Kalend. Januarij. Ego verò nomen Octobris in locum Novembris ſufficerem, quoniam huic emendationi, teſte Holſtenio ipſo, antiqui codices manuſcripti patrocinantur. Nihilque in antiquitate adducit animum ad collocandam hujus Pontificis mortem 16. Kal. Januarij ſive 17. die Decembris. Non enim credibile eſt tam exiguo tempore ſcilicet quinque vel ſex diebus poſt celebrationem Concilij Romani Pontificem vitâ deceſſiſſe, & hanc circonſtantiam uſque hodie omnibus ignotam fuiſſe. Secundò, Quinque tantùm adfuerunt huic Concilio Epiſcopi, non omiſſo ipſo Pontifice Romano, & unde quadraginta preſbyteri, quod inſolens ac ſine exemplo, apud antiquos ſcriptores videtur ad judicium cauſæ epiſcopalis, ac præſertim tanti ponderis, quanti erat cauſa quæ in hoc Concilio agitabatur. Quæſtio enim erat de epiſcopo Lariſſæ Metropolis Theſſaliæ, utrum judicium adverſus eum latum in Concilio Conſtantinopolitano ſtaret vel irritum remaneret. Tertiò, his actis inſcripſit Holſtenius titulum Synodi Romanæ, quo caret codex manuſcriptus ex quo expreſſa eſt. Quartò, hujus Pontificis tempore nondum actio Synodi πρᾶξις, nomine ſeſſionis ſignificabatur. Quod in Eccleſiam diu poſt hunc Pontificem immigravit. Verumtamen hoc vocabulo utitur hic Pontifex in fine primæ ſeſſionis hujus Synodi. Quintò, Etiam ſi Concilium in quo hæc refertur Epiſtola verum eſſet, non minus ſuppoſititia & à veritate aliena videretur. Enimverò cum conſtet manifeſtè epiſtola 7. Innocentij Rufum & alios Epiſcopos Macedoniæ conqueſtos eſſe de iteratâ diſceptatione litis Bubalij & & Tauriani ut ſuprà obſervavimus, *Grave non oportet videri mentibus veſtris cujuſcumque retractari judicium.* Incredibile videtur hunc Rufum acceptaſſe ejuſmodi

 conditio

conditiones delegatæ poteſtatis vicarij Pontificij in hac epiſtolâ collectionis Holſtenij expreſſas, ſcilicet impoſitam neceſſitatem referendi omnia gravioris momenti negotia ad ſummum Pontificem. Quamobrem ſi epiſtola ſeptima Innocentij vera eſt & extra omnem dubitationis lancem poſita, hanc eſſe falſam & ſuppoſititiam neceſſe eſt. Nec improbare debet Davidius ſi dubium nobis ſuboleat de epiſtolâ Pontificia quam collectione Romanâ Holſtenius primulum prodidit. Quum ipſummet Davidium imitatione conſequamur, qui de epiſtolâ Syricij hujus collectionis pag. 191. relatâ vehementer dubitavit, quamque hujus operis cap. 29. ſuo autori vindicavimus.

CAPUT XXXVIII.

Explicantur Litteræ Sozimi Papæ de Abdicatione Proculi Epiſcopi Maſſilienſis.

SI nullus relinqueretur dubitandi locus de epiſtolis Sozimi, de quibus jam dicturi ſumus, hic Pontifex jure merito ſibi vindicare poſſe videretur poteſtatem ultimæ cognitionis judicio, cauſas epiſcoporum dirimendi.

Sed cum Davidius de his epiſtolis vehementer ipſe dubitet, ac de illarum veritate anceps animo adeò ſit, ut eas falſas & apocryphas dicere non pertimeſceret, niſi nomen ac dignitas Cardinalis Baronij qui eas geminas putat remoram imponerent; Mirum certè atque horribile videtur tanta obſtinatione propugnaſſe, hujuſce Pontificis ætate hoc jus penes Papam uſus & conſuetudinis ſuffragio extitiſſe.

Ex his litteris perſpicimus Proculum epiſcopum Maſſilienſem

lienſem ultimæ cognitionis judicio à Pontifice judicatum, & epiſcopatu depulſum propter diſſolutas ordinationes: Et prætereà videmus hæc omnia non impedire quominus Pontifici reſiſtat atque ejus mandata exequi recuſet. Hæc enim & aliæ circonſtantiæ ad hiſtoriam hujuſce Pontificis pertinentes ſatis intelliguntur ex ejus litteris ſeptimâ, nonâ, undecima, & duodecima. Poſſem hìc exſcribere argumenta quibus Davidius has epiſtolas in falſi ſuſpicione ponit; ac proferre manifeſtam quæ inter illas intercedit repugnantiam, cujus mentionem facit pag. 638. & 639. Sed quoniam librum Davidij præ manibus habet lector, has repetere ſupervacaneum eſt. Addam igitur quaſdam tantùm repugnantias quæ in mentem Davidij non incurrerunt, & quibus adduci facilè poterit ad credendum, has epiſtolas eſſe apocryphas, etiamſi Baronium ſumma veneratione proſequatur.

Baronius ann. 318. B n. tom. 1. Concil. pag. 716. 717. & 718.

I. Si verum eſſet Sozimum examinaſſe negotium Proculi de ordinationibus quas hic Epiſcopus Maſſilienſis ſibi vindicabat in provinciis Viennenſi & ſecundâ Narbonenſi ut verba ſonant Epiſtolæ 7. Sozimi *Multa contra veterem formam Proculus uſurpaſſe detectus eſt in ordinationibus nonnullorum indebitè celebrandis quas proximè annumeroſa cognitione diſcuſſimus.*

Epiſt. 7. Sozimi ad Viennenſ. & Narbonenſes Epiſcopos.

Ad Tribunal Pontificis delatum fuiſſet: aut ad primæ cognitionis judicium, aut per appellationem, quæ vera eſſet Concilij Sardicenſis legibus obtemperatio. At non poteſt dici devolutum ad judicium primæ cognitionis. Hanc enim cauſam jam obtinuerat Proculus judicio Concilij Taurinenſis celebrati diu antequam Sozimus hanc epiſtolam ſcripſiſſet datam 3. Kalendas Octobris Honorio XI. & Conſtantio II. coſſ. ſcilicet anno Chriſti 417. non poteſt etiam dici delatum hoc negotium per appellationem ad Sedem Apoſtolicam. De hac enim appellatione nec Sozimus in litteris, nec alibi epiſcopi ſecundæ Narbonenſis

bonenſis Proculi Adverſarij mentionem faciunt. Ergò valde credibile eſt hanc circonſtantiam, ſive hoc negotium Proculi eſſe gratis inventum & fictum, atque adeò hanc epiſtolam non eſſe Sozimo vindicandam.

II. Cum hoc negotium ante hanc epiſtolam ſcriptam judicatum fuerit in Concilio Taurinenſi, in quo Proculus & epiſcopi Narbonenſis ſecundæ adverſarij ejus, cauſam ſuam peroraverant, non eſt credibile rem ejuſmodi novam ac detectam Sozimo videri; quod tamen ex hac Epiſtolâ perſpicimus *Multa contra veterem formam Proculus uſurpaſſe detectus eſt.* Hoc enim ſenſui communi repugnat, cum potiſſimè Sozimus hac Epiſtolâ nos doceat hunc epiſcopum ſuam cauſam obtinuiſſe in Concilio Taurinenſi.

III. Legimus in hac epiſtolâ Proculum obtinuiſſe à Concilio Taurinenſi jus conficiendarum ordinationum in ſecundâ Narbonenſi, & turpi ſubreptionis fraude in injuriam Sedis Apoſtolicæ innotuiſſe.

Attamen illa præſumptio nos admodum movit quod in Synodo Taurinenſi cum aliud longè ageretur in Apoſtolicæ Sedis injuriam, ſubripiendum putavit ut ſibi Concilij illius emendicata præſtaret obreptio ordinandorum Sacerdotum veluti Metropolitano in Narbonenſi provinciâ poteſtatem.

Quod apertè falſum eſt. Quippè cùm ex primo Canone Concilij Taurinenſis perſpectum ſit, ejuſmodi negotium fuiſſe accuratè diſcuſſum, auditos fuiſſe epiſcopos ſecundæ Narbonenſis, quorum res agebantur, ac tandem aliquando jus Metropoliticum non urbi Maſſilienſi, ſed perſonæ & merito Proculi vitâ durante fuiſſe adſcriptum, ut in vinculis concordiæ & charitatis, his epiſcopis tanquam pater liberis præeſſet, antecelleret. Hoc canone ſanctus appellatur. *Nam cum primus omnium vir ſanctus Proculus Maſſilienſis epiſcopus civitatis ſe tanquam metropolitanum eccleſiis quæ in ſecundâ provinciâ Narbonenſi poſita*

poſita videbantur diceret praeſſe debere, atque ſe per ordinationes in memoratâ provinciâ ſummorum fieri Sacerdotum: Siquidem aſſereret eaſdem eccleſias vel ſuas Parochias fuiſſe, vel epiſcopos à ſe in eiſdem eccleſiis ordinatos; & è diverſo ejuſdem regionis epiſcopi aliud defenſarent, ac ſibi alterius provinciæ Sacerdotem praeſſe non poſſe contenderent, id judicatum eſt à Sancta Synodo contemplatione pacis atque concordiæ, ut non tam civitati ejus quæ in altera provincia ſita eſt cujus magnitudinem penitùs neſciremus, quam ipſi potiſſimùm deferretur ut tanquam pater filiis honore primatus aſſiſteret. Dignum enim viſum eſt, ut quamvis unitate provinciæ minimè tenerentur, conſtringerentur tamen pietatis affectu. Hæc igitur ipſi tantum in vitâ ejus forma ſervabitur, ut in Eccleſiâ provinciæ ſecunda Narbonenſis quas vel ſuas parochias, vel ſuos diſcipulos fuiſſe ordinatos conſtiterit primatus habeat dignitatem.

IV. Nona hujuſce Pontificis epiſtola ad Patroclum Arelatenſem epiſcopum ſcripta iiſdem plena querimoniis Proculum fuiſſe damnatum à Sozimo apertè ſignificat. *Quid de Proculi damnatione cenſuerim tenet conſcientia tua.* Septima verò eodem die data & eodem anno ſcilicet 3. Kalendas Octobris Honorio XI. & Conſtantio II. Coſſ. nos docet Proculum in judicium ſiſtere ſe noluiſſe. *Licet ipſe diu expectans faſtidiosè ferens ſibi inducias attributas convenire diſſimulet.* Hæc autem cum Epiſtolâ 4. ejuſdem Pontificis quam inter cæteras certiſſimam exiſtimo, conciliari non poſſunt. *Ex qua intelligimus non eſſe conſuetudinem Romanis damnare aliquem hominem priuſquam is qui accuſatur præſentes accuſatores, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina.* Dices fortaſſe hoc jus, & hanc conſuetudinem neutiquàm violari, cum penes reum ſe ſiſtendi ad judicium libera facultas exiſtit, eique comperendinationes non denegantur ut cauſam perorare poſſit. Sed Proculus à Sozimo non potuit com-

perendinari, ſi ut epiſtolæ nonæ teſtificatione conſtat, damnatus fuit 3. Kalendas Octobr. anni 417. Honorio XI. & Conſtantio II. Coſſ. Enimverò à quinque circiter hebdomadibus Sozimus Petri cathedram conſcenderat, ſcilicet 19. Auguſti ejuſdem anni. Quod tempus nimis exiguum ac breve videtur ad interpellationes juris ſignificandas epiſcopo Maſſilienſi qui Roma bis centum leucis diſtabat, & qui jam gravis annis tanti itineris labores ſuſtinere non poterat. Proculus enim jam epiſcopus & ſenior, juxta temporis conſuetudinem, adfuerat anno 381. Concilio Aquileienſi in quo Secundinus Arianus condemnatus fuerat, & intelligimus in Eccleſiâ Maſſilienſi Proculum eundem ſucceſſorem fuiſſe Oreſij qui Concilio Arelatenſi primo aderat anno 314. Hunc autem Oreſium ante 381. obiiſſe neceſſe eſt, incredibile enim videtur epiſcopatum geſſiſſe 67. anos qui inter 314. & 381. fluxerunt. Cum præſertim hac Eccleſiæ ætate viri ſeniores ac provectæ ætatis procurationi rerum Eccleſiaſticarum præficerentur ſeu Epiſcopi crearentur.

V. Litteris undecima & duodecima hujus Pontificis quæ poſt ſeptimam & nonam de quibus mox locuti ſumus, ſcriptæ ſunt, Proculus malè verbis excipitur, multiſque injuriis nebulonis, pertinacis, atque inverecundi hominis afficitur ſuæ factioni inquietæ mentis homines aggregantis. An credibile eſt Romanum Pontificem ita indictâ causâ tractare virum ſanctitatis famâ conſpicuum? Nam Sanctitatem Proculi teſtificatur Concilium Taurinenſe. Deinde S. Hieronymus ingraveſcente ætate à Ruſtico juniore Monacho in Gallia, de vitæ ſuæ ratione inſtituendâ conſultus conſilium hoc dederat. *Habes iſtic ſanctum doctiſſimumque Pontificem Proculum qui vivâ & præſenti voce noſtras ſchedulas ſuperet: quotidianiſque tractatibus iter tuum dirigat.*

S. Hieronym. epiſt. 4. ad Ruſticum circa finem.

Si tamen his omiſſis litteras Sozimi veras æſtimare placeat,

placeat, quæ revera apud doctos viros Baronium, Janſenium Yprenſem, & Jacobum Sirmondum extra omnem ſuſpicionem poſitæ ſunt: nihil aliud ex iis colligi poſſe videtur niſi Sozimum totis viribus tentaſſe adipiſci poſſeſſionem juris judicandi epiſcopos; ſed hanc molitionem vanam ac ſupervacaneam fuiſſe. Enimverò ſi dubitandi locus non relinquitur quin Proculus condemnatus fuerit à Sozimo, Romani Pontificis ſententiam in Gallia & in Africâ flocci factam fuiſſe neceſſe eſt. Quippè cum anno Chriſti 427. prædictus Proculus adhuc epiſcopatum gereret, quo S. Auguſtinus ad eum & ad tres alios Africæ epiſcopos libellum retractationis Leporij miſit & eum ſanctum appellare non renuit. Tom. 1. Concil. Gall.

CAPUT XXXVIII.

Explicatur Concilium Carthaginenſe celebratum anno Chriſti 419. De Judiciis Preſbyterorum & epiſcoporum.

CUM primùm ad legendum Davidij librum mentem appuli, quin hiſtoriam Concilij Carthaginenſis celebrati anno 419. accuratè tractaverit non dubitavi. Et cùm animadverterim ingentes Cardinalis Perronij conatus quibus hujuſce Concilij inſtrumenta quæ ſuperſunt, ſive acta, in ſuſpicionem adduxerit, litteraſque epiſcoporum qui huic Concilio aderant ad Pontifices Cœleſtinum primum & Bonifacium primum nihil de hac controverſia dicendum ſupereſſe mihi perſuaſeram, fore ratus, ut Davidius novis acceſſionibus cumulando difficultates à Cardinale propoſitas omnes doctos cogeret deſciſcere ab argumentis quæ ex hoc Concilio aſſumuntur, ad proban- *Replique au Roy de la grand Bretagne.*

dum ab inſtitutis Concilij Sardicenſis in epiſcoporum cauſis Africanorum mentem ſemper alieniorem fuiſſe.

Quamobrem vehementer ſum demiratus Davidium in contrarium iviſſe, cogitationes Cardinalis refutaſſe, atque omnes ejus conjecturas inanes ac ſupervacaneas demonſtraſſe. Verumtamen fateri neceſſe eſt Davidium hac arte plurimùm de me meritum. Non enim poterat minus ſalebroſam viam mihi ſternere, modoſque faciliores ſuppeditare ad reſpondendum, quàm quum hujuſce Concilij acta genuina recognovit, mecumque diſpenſavit ab ampliori diſcuſſione vitilitigationum omnium, quibus obſcura & ſuſpecta viſa ſunt.

Quæ cum ita ſint, magnâ cum fide & curâ geſta in hoc Concilio narrare opus eſt, ac dijudicare an ex his à me aſſumptæ concluſiones æquiores ſint, iis quas Davidius approbat. Enimverò quemadmodum in animo non habeo reſpondere Cardinali Perronio, cujus memoria apud eruditos in benedictione eſt, non eâ temeritate afficior ut cauſam ejus adverſus Davidium tueri ſuſcipiam.

Poſt conſulatum glorioſiſſimorum Imperatorum Honorij XII. & Theodoſij VIII. 8. Kal. Iunias Carthagine in Secretario Baſilicæ Fauſti, ut referunt hujus Concilij Carthaginenſis acta, id eſt anno Domini 419. de 24. Maij, hoc Concilium celebratum fuit. Multi variarum provinciarum legati adfuerunt, totum quum ſummatim conſtitit ducentis ſeptemdecim epiſcopis cum Aſello & Philippo preſbyteris, Eccleſiæ Romanæ legatis. *Reſidentibus CCXVII. nec non Philippo & Aſello presbyteris æquè legatis Romanæ Eccleſiæ.*

Primus in hoc Concilio nominatur Aurelius epiſcopus Carthaginenſis, eique præfuit.

Secundus Valentinus Numidiæ Primas, Fauſtinus verò eccleſiæ Potentinæ epiſcopus, quamvis eſſet Romani Papæ legatus,

legatus, tertius nominatur. *Cum Aurelius Papa una cum Valentino primæ Sedis provinciæ Numidiæ Fauſtino Eccleſiæ Potentinæ provinciæ Italiæ Picæni legato Eccleſiæ Romanæ.*

Aurelius Concilij initium orditus eſt. *Aurelius Epiſcopus dixit poſt diem præſtitutam Concilij ut recordamini fratres Beatiſſimi, multa flagitata ſunt expectantes fratres noſtros qui nunc ad præſentem Synodum legati advenerunt, quæ geſtis neceſſe eſt ſocientur quâ de re Domino Deo noſtro de tantæ congregationis cœtu gratias referimus. Supereſt ut tam exemplaria Concilij Nicæni quæ nunc habemus & à Patribus noſtris eandem Synodum firmantes, vel quæ ſecundum eam formam per omnes clericorum gradus à ſummo uſque ad ultimum ſalubriter ordinata ſunt in medium proferantur. Ab univerſo Concilio dictum eſt proferantur.*

At verò cum Daniel Concilij ſcriba hæc acta recitare aggrederetur, interpellavit eum Fauſtinus eccleſiæ Romanæ legatus, dixitque ſe in mandatis ſcriptis habere à Sede Apoſtolicâ, ut de Concilio Nicæno primùm mentionem faceret, ac de ei debitâ obtemperatione: poſtulavitque ut aliis rebus prætermiſſis primo de hoc Concilio laboraretur & deliberatio haberetur. Hoc audito præſes juſſit legi protinus commonitorium legatorum Eccleſiæ Romanæ. Porrò ex hoc intelligitur facillimè conſilium Sozimi Papæ. Huic autem commonitorio quicquam addere aut detrhere grande piaculum eſt. His autem verbis conſcriptum legitur in Concilio Carthaginenſi.

Daniel Notarius recitavit commonitorium fratri Fauſtino & filiis Philippo & Aſello presbyteris, Sozimus Epiſcopus vobis commiſſa negotia non latent vos ita ac ſi noſtra immò quia noſtra ibi in vobis præſentia eſt, cuncta peragite maximè cum & hoc noſtrum poſſitis habere mandatum & verba canonum quæ in pleniorem firmitatem huic commonitorio

inſeruimus ; ita enim dixerunt fratres in Niceno Concilio cum de epiſcoporum appellatione decernerent.

Canon. 7. Concil. Sardic. *Placuit autem ut ſi Epiſcopus accuſatus fuerit, & judicaverint congregati epiſcopi regionis ipſius, & de gradu ſuo eum dejecerint, ſi appellaverit qui dejectus eſt & confugerit ad epiſcopum Romanæ Eccleſiæ & voluerit ſe audiri : Si juſtum putaverit ut renovetur examen, ſcribere ſuis epiſcopis dignetur qui in finitimâ & propinqua provinciâ ſunt, ut ipſi diligenter omnino requirant, & juxta fidem veritatis definiant, quod ſi is qui rogat cauſam ſuam iterum audiri deprecatione ſuâ moverit Epiſcopum Romanum ut è latere ſuo presbyterum mittat, erit in poteſtate Epiſcopi quid velit & quid æſtimet, & ſi decreverit mittendos eſſe qui præſentes cum Epiſcopis judicent, habentes ejus autoritatem à quo deſtinati ſunt : erit in ſuo arbitrio, ſi verò crediderit epiſcopos ſufficere ut negotio terminum imponant faciet quod ſapientiſſimo conſilio judicaverit.*

Ex hoc commonitorio tria perſpecta habemus. Primò, mentem ac conſilium Sozimi fuiſſe ut Africani hanc diſciplinam acceptarent, qua ſcilicet poſſent appellare ad Pontificem Romanum, à judicio in Epiſcopum in Africâ pronuntiato. Ex quo argumento conficitur certiſſimo, jure appellandi ad Romanam Sedem nondum uſos eſſe Africanos tempore hujus Pontificis. Secundò, ut hoc Concilium Sozimo feliciter procederet, mandatum dat legatis ſuis ut exponant Concilio Carthaginenſi, ita concluſum eſſe in Concilio Nicæno. *Ita enim dixerant fratres in Nicano Concilio cum de epiſcoporum appellatione decernerent.* Tertiò, certum eſt Canonem quem proferunt legati non eſſe Concilij Nicæni ſed Sardicenſis 22. annis poſt Nicænum celebrati.

Abſit ab hoc opere malum, ut hunc Pontificem fraudis aut mendacij criminari velim, ſicut ſolent hæretici ; unum tantummodò certum eſt ſcilicet Africanos verbis ejus fidem

Digitized by Google

fidem derogaſſe. Enimverò cum haberent præ manibus acta Concilij Nicæni quæ olim eis attulerat Cecilianus ab hac Synodo reverſus, ceperunt conſilium inveſtigandi exemplaria græca & autographa Conſtantinopoli, Alexandriæ & Antiochiæ, ex quibus veram Concilij Nicæni definitionem perſpicerent. Rogaverunt Bonifacium I. qui per tempus legationis hujus, Sozimo ſucceſſerat ut ad hanc inquiſitionem incumberet, atque harum civitatum Eccleſiis ſcriberet. Interim verò donec exemplaribus autographis comprobaretur, pauliſper ſive exiguo tempore legem hanc & regulam ſervare ſtatuerunt.

Quod donec fiat hæc quæ in commonitorio ſupradicto à nobis allegata ſunt de appellationibus Epiſcoporum ad Romanæ Eccleſiæ Sacerdotem & de clericorum cauſis apud ſuarum provinciarum Epiſcopos terminandis, nos uſque ad probationem ſervaturos eſſe profitemur, & beatitudinem tuam ad hoc nos adjuturam in Dei voluntate confidimus. Et infrà. *Quia nos ita ut frater Fauſtinus attulit minimè invenimus, iſta nos tamen pauliſper ſervaturos ut ante dixi, donec integra exemplaria veniant profitemur.* Multâ animadverſione dignum videtur hoc vocabulum *pauliſper.* Ex quo ante hoc tempus prorſus ignotam appellationum diſciplinam in Africâ intelligimus. Enimverò ſi ad Romanam Sedem appellationum uſus invaluerat, quid neceſſe erat Africanos polliceri fore ut *pauliſper* donec Nicæni Concilij exemplaria græca invenirentur hanc diſciplinam ſuſtinerent? Tantummodò opus erat dicere hunc canonem Nicænum non eſſe, ſed eo ſancitam diſciplinam in Africâ uſu & conſuetudine obtinuiſſe.

Codex Eccleſ. Afric. pag. 42. primæ edit. Juſtelli.

Alterum caput diſciplinæ in hoc pariter Concilio ſtatutum eſt, cujus gratiâ legati ſimiliter protulerunt juxta ſuum commonitorium, alterum Concilij Sardicenſis canonem ſub nomine Nicæni de appellationibus clericorum.

Daniel

Daniel Notarius recitavit de appellationibus autem clericorum, id eſt minoris loci, eſt ipſius Synodi ſcilicet Nicænæ certa reſponſio, de qua re quid acturi ſitis credimus inferendum quod taliter dictum eſt. Oſius epiſcopus dixit. Quid me adhuc movet reticere non debeo.

Si epiſcopus quis fortè iracundus (quod eſſe non debet) cito aut aſperè commoveatur adverſus presbyterum ſive Diaconum ſuum, & exterminare eum de Eccleſia voluerit, providendum eſt ne innocens damnetur aut perdat communionem: habeat poteſtatem ejectus ut finitimos interpellet cauſa ejus audiatur, & diligentius tractetur, quia non oportet negare ei audientiam roganti. Et ille Epiſcopus qui aut juſtè aut injuſtè eum rejecerit patienter accipiat ut negotium diſcutiatur ut aut probetur ejus aut emendetur ſententia. Interim verò profeſſio fidei Nicæna & Canones, tales in acta Concilij Carthaginenſis rèlati ſunt quales attulerat olim Cecilianus.

Hanc veritatem mirificè confirmat Epiſtola ducentorum ſeptemdecim epiſcoporum ad Bonifacium primum atque hanc hiſtoriam magis particulatim narrat. Hæc enim Epiſtola nos docet.

I. Preſbyterum Apiarium, cujus ordinatio dederat occaſionem magno ſcandalo exorto non ſolum in Eccleſia Siccenſi, verumetiam in universâ Africâ, reſtitutum fuiſſe in communionem Eccleſiæ petitâ veniâ ſibique impoſitâ pœnâ debitâ ab Epiſcopo Siccenſi. Sed quoniam obſiſtendum erat vehementer ne contentionibus ejuſmodi aut etiam gravioribus res Eccleſiæ miſcerentur, permanſione perpetuâ in Eccleſiâ Siccenſi eidem preſbytero interdictum fuerat, data tamen facultate, preſbyteri munus quovis alio loco obeundi, idque juxta petita conceſſum fuiſſe obſervant ducenti Septemdecim Epiſcopi. *Apiarius presbyter de cujus ordinatione & excommunicatione fuerat exortum non ſolum Siccenſi, verumetiam totius Africanæ*

Africanæ Eccleſiæ non leve ſcandalum de omnibus erratis ſuis veniam petens, communioni eſt reſtitutus. Prior autem coepiſcopus noſter Siccenſis Vrbanus quod in eo corrigendum viſum eſt, ſine ulla dubitatione correxit: Quia verò paci & quieti Eccleſiæ non tantùm ad præſens, ſed etiam in poſterum proſpiciendum fuit: Quoniam talia multa præceſſerant ut vel ſimilia, vel etiam graviora deinceps præcaveri oporteret, placuit nobis ut de Siccenſi Eccleſiâ retento ſcilicet honore gradus ſui, presbyter removeretur Apiarius, & accepto Epiſtolio, ubicumque alibi ipſi per litteras proprias poſtulanti ſine difficultate conceſſimus.

II. *Priuſquam hæc cauſa Apiarij iſto modo concluderetur*, legati Pontificis Romani Fauſtinus, Philippus & Aſellus *nonnulla quidem ſine ullo ſcripto proſecuti ſunt verbis, ſeu* de quibus nihil ſcriptum in commonitorio habebant. Porrò hæc epiſtola, de his negotiis generatim tantùm non nominatim facit mentionem.

III. Quoniam mens Patrum Concilij Carthaginenſis erat potiſſimùm ſcire quæ litteris Eccleſiæ Romanæ comprehendebantur quas legati attulerant, commonitorium legerunt, quo in mandatis habebant ut de quatuor capitibus cum Africanis conferrent. *Primò de appellationibus Epiſcoporum ad Romanæ Eccleſiæ Sacerdotem. Secundò, ne ad comitatum Epiſcopi importunè navigent. Tertiò, De tractandis presbyterorum & Diaconorum cauſis apud finitimos Epiſcopos, ſi à ſuis excommunicati perperam fuerint. Quartò, De Vrbano Epiſcopo excommunicando, vel etiam Romæ vocando niſi ea quæ videbantur corrigenda corrigeret.*

Epiſtola Concilij Carthag. ad Bonifac.

IV. Ex hac epiſtolâ intelligimus, anno Superiore antequam ſcriberetur, epiſcopos Africæ jam ſcripſiſſe Sozimo Papæ, de primo & tertio capite hujus commonitorij: ſcilicet de appellationibus Epiſcoporum & cauſis clericorum, & pollicitos eſſe fore ut hanc legem exiguo

Digitized by Google

tempore exequerentur, donec Concilij Nicæni exemplaria inventa fuiſſent. *Quorum omnium de primo & tertio, ideſt ut Romam liceat Epiſcopos provocare, & ut clericorum cauſæ apud ſuarum provinciarum Epiſcopos finiantur jam priore anno etiam litteris noſtris ad eundem venerabilis memoriæ Sozimum Epiſcopum datis inſinuare curavimus ut ea ſervare ſine ulla ejus injuria pauliſper ſineremus uſque ad inquiſitionem ſtatutorum Concilij Nicæni.*

At verò hæc epiſtola ad Bonifacium nomine ducentorum ſeptemdecim epiſcoporum ſcripta fuit anno 419. quo ſcilicet celebratum fuit Concilium Carthaginenſe quinque circiter menſibus poſt mortem Sozimi quæ contigit die 25. Decembris anni 418. ex quo planiſſimè conſequitur Epiſtolam Sozimo ſcriptam anno ſuperiori antequam hæc ad Bonifacium ſcriberetur incidere in annum 418. Quamobrem non dubito eoſdem ferè Epiſcopos qui Concilio Carthaginenſi adfuerunt anno 419. huic Epiſtolæ ſubſcripſiſſe; quippè cùm iidem ferè omnes adeſſent Concilio Africano anno 418. cujus acta integra Binius non publicavit, ſed ſolum duo diverſa initia: alterum ex codice MSS. Bononis Gandavenſis, alterum ex cod. Anglicano Monaſterij Vintonienſis, cujus unde viginti Canones cum initio quod congruit codici Manuſcripto Anglicano occurrunt in Eccleſiæ Africanæ codice, quem publici juris fecerunt Juſtellus, & Binius in collectione Conciliorum à pag. 782. uſque ad 787. Porrò in hoc Concilio non ſolum refutata eſt hæreſis Pelagianorum, verùm etiam decreta contra Donatiſtas confecta ſunt; preſbyteris verò, Diaconis, & aliis clericis appellationibus à judiciis ſuorum Epiſcoporum ad Romanam Sedem interdictum eſt.

Bin. tom. Concil. pag. 718.

Cod. Canon. Eccl. Afric. Canon. 125.

Item placuit ut presbyteri, Diaconi, vel cæteri inferiores clerici in cauſis quas habuerint, vicini Epiſcopi eos audiant, & inter eos quicquid eſt finiant, adhibiti ab eis ex conſenſu

conſenſu Epiſcoporum ſuorum : quod ſi & ab eis provocandum putaverint, non provocent niſi ad Africana Concilia, vel ad Primates ptovinciarum ſuarum ; ad tranſmarina autem qui putaverit appellandum à nullo intra Africam in communionem recipiatur. Hic canon num. 22. occurrit in Concilio Milevitano celebrato anno 416. cui intempeſtivè initium cognominis Concilij anni 402. aſſutum eſt. Bin. tom. 1. Concil.

Ducenti ſeptemdecim Epiſcopi Bonifacium Pontificem rogant uti jubeat eos exequi decreta Concilij Nicæni quæ in commonitorio legatorum habebantur. *Et nunc de tuâ poſcimus ſanctitate ut quemadmodum ea apud Nicæam à patribus acta vel conſtituta ſunt, ſic ea à nobis facias cuſtodiri , & ibi apud Vos iſta quæ in commonitorio attulerunt facias exerceri, id eſt, &c.* Poſtea verò citant duos Canones Sardicenſes ſeptimum & ſeptimum decimum de quibus ſuprà diximus.

VI. Deinde dicunt ſe inſeruiſſe hoc decretum & hos duos Canones in Acta Concilij Carthaginenſis donec inventa ſint genuina exemplaria Concilij Nicæni. *Hæc ubique uſque ad eventum veriſſimorum exemplarium Nicæni Concilij inſerta geſtis ſunt.*

VII. Quod ſi fortè contingat hos Canones in exemplaribus Nicæni reperiri iiſdem verbis conceptos quibus in commonitorio legatorum videntur, & eoſdem in Italiâ ſervari, manifeſtè declarant hi epiſcopi ſe nolle eos exequi, ſed ſperare Dei miſericordiâ juvante, & Bonifacio Eccleſiæ Romanæ præſidente fore ut ejuſmodi violentiæ impetum non ſuſtineant. *Quæ* [a] *ſibi quemadmodum ipſo quod apud nos fratres ex Apoſtolicâ Sede directi commonitorio allegaverunt, eoque ordine vel apud vos in Italiâ cuſtodirentur, nullomodo nos talia, qualia commemorare jam nolumus vel tolerare* [b] *cogemur ; ſed credimus adjuvante miſericordia Domini Dei noſtri, quod tua ſanctitate Roma-*

al. [a] *Si ibi.*

[b] Alias vel intolerabilia pateremur.

næ Eccleſiæ præſidente non ſumus jam iſtum Typhum paſſuri. Si verò in exemplaribus veriſſimis neutiquam reperiantur, fore pollicentur ut diſciplinam generatim obſervent quam charitatis fraternæ legibus congruentem pro ſapientiæ ſagacitate ac juſtitiæ perſpicacia qua Dominus mentem ornavit ipſe Bonifacius intelligat.

Et ſervabuntur erga nos quæ nobis etiam non differentibus cuſtodiri debeant cum fraternâ Charitate quæ ſecundum ſapientiam atque juſtitiam quam tibi donavit Altiſſimus etiam ipſe perſpicis ſervanda ſi aliter ſe habent Canones Concilij Nicæni.

Cardinalis Perronius contendit hanc epiſtolam de bonis græcis latinè ſcriptam eſſe deterius, & verſionem interpolatam græci autographi emendatione indigere. Sed [a] Davidius ſingulari articulo libri ſui, hunc errorem Cardinalis Perronij vehementer confutavit, editionem græcam corruptam eſſe probavit; verſionem verò latinam integram ac perfectam eſſe demonſtravit.

[a] Pag. 627. ad 631.

At diverſum eſſe hujus Epiſtolæ ſenſum & alieniorem ab eo quem modo expoſuimus contendit, & hunc qui ſequitur acriter propugnat, ſcilicet, quod etiamſi quæ in „ commonitorio legatorum habentur, his canonibus com- „ prehenderentur, & in Italiâ pariter ſervarentur. Attamen „ non cogerentur propterea Epiſcopi vim pati qua ſub ſpe- „ cie ſervandorum canonum Africa vexabatur; id eſt juxta „ explicationem continuam Epiſtolæ, ad has anguſtias non „ adigerentur ut horribiles exacerbationes inſolentium le- „ gatorum & clericorum executorum ſententiarum Sedis „ Apoſtolicæ paterentur. Quamvis enim his canonibus fas „ eſſet Epiſcopo condemnato ad Sedem Apoſtolicam appel- „ lare, ſimiliterque admiſsâ appellatione epiſcopos vicinos „ provinciæ Papa delegare poſſet ad negotium iteratâ co- „ gnitione recenſendum. Denique licet mittere poſſet „ legatum qui ſuo nomine negotij recenſioni intereſſet hoc

David. pag. 630.

hoc canone jus non dabatur veniendi armatâ manu "
aut contumeliis atrocioribus afficiendi Synodum ſi fortè "
hujus legati voluntati reſiſteret ac de judice advocatus "
& patronus conjurationis ipſe fieret. "

Ingenuè fateor hanc Davidij explicationem ſpeciem quandam veri præ ſe ferre, nec mihi eſt animus omnes Cardinalis Perronij conjecturas tueri. Sed datâ viris doctis facultate liberâ eligendi explicationem quæ magis arriſerit ex hac quam Davidius propalavit certiſſimè colligo tunc temporis his canonibus ſancitam diſciplinam nondum viguiſſe in Africa. Quippè cùm ex hac explicatione intelligamus clariſſimè, ſaltem Africanos dubitaſſe utrum his canonibus decernerentur, quæ in legatorum commonitorio perſpecta erant, & eo quo ſcripta ſunt modo, in Italiâ ſervarentur, atque etiam eoſdem Epiſcopos Africæ cautionem adhibuiſſe ſingularem ſi fortè hanc diſciplinam admittere cogerentur deinceps cui exiguo tempore ſe ſubmiſerant ut à malis declinarent, & miſeriis, quibus jam Romanæ curiæ miniſtri, fideles opprimere & vexare cœperant, de quibus tot querelis explet animum S. Auguſtinus epiſtolâ ad Cœleſtinum.

CAPUT XXXIX.

Probatur poſt Concilium Carthaginenſe anni 419. Africanorum mentem ab appellationibus ad Romanam Sedem alieniorem fuiſſe in cauſis Epiſcoporum.

QUÆ geſta ſunt in Africâ exacto Concilio Carthaginenſi, hanc veritatem mirificè confirmant. Enimverò recuperatis veriſſimis exemplaribus Concilij Nicæni,

Digitized by Google

nulloque dubitandi loco relicto quin falſa eſſet citatio commonitorij legatorum & ab his autographis aliena ex litteris quas reſcripſerunt hac de cauſa Atticus Conſtantinopoli & Cyrillus Alexandriæ Epiſcopi qui huic Concilio adfuerant, *& cæteri qui in univerſali Africano Concilio Carthaginenſi aſſuimus* ſcripſerunt Cœleſtino Papæ in locum Bonifacij ſuffecto die 2. Novembris anno 423. tribus circiter annis poſt Concilium Carthaginenſe cujus ultima ſeſſio habita fuerat 29. Maij anno 419. Et poſtquam vehementer probaviſſent æquum ac juſtum eſſe judicium adverſus Apiarium presbyterum pronunciatum, quem veluti inſignem reum ac noxium Sycophantam deferunt, quatuor capitibus epiſtolam concludunt.

I. Rogant enixè Pontificem, ne faciles præbeat aures querimoniis, neque etiam admittat ad communionem
Canone 5. eos quibus ab iis communione interdictum eſt. Quoniam ita ſancitum eſt lege Concilij Nicæni quæ cum adverſus clericos & laïcos, lata ſit à fortiori ad Epiſcopos ſpectat, qui cùm à Synodo provinciali ſuſpenſi ſint communione Eccleſiæ à ſanctitate Romani Epiſcopi præproperè vel indebitè eidem viderentur reſtitui. *Deprecamur ut deinceps ad veſtras aures hinc venientes non facilius admittatis nec à nobis excommunicatos in communionem ultra velitis excipere, quia hoc etiam Concilio Nicæno definitum facilè advertet venerabilitas tua. Nam etſi de inferioribus clericis vel laïcis videtur ibi præcaveri, quanto magis hoc de epiſcopis voluit obſervari, ne in ſuâ provinciâ à communione ſuſpenſi à tuâ ſanctitate præproperè vel indebitè videantur communioni reſtitui.*

David. pag. 38. „ Contendit Davidius ex hac Epiſtolâ manifeſtè intelligi horum epiſcoporum inſulſitatem, quos ſana ratio „ damnat, & in quorum ſententiam ire nemo poteſt qui de „ poteſtate mentis non exiverit. Summas injurias & contumelias quibus ducentos ſeptemdecim Epiſcopos Africæ obruit,

obfuit, errore illis impoſito confirmat, quo ſibi fingit hos Epiſcopos nullam perſpexiſſe diſcrepantiam inter tribunalia quibus clericorum & Epiſcoporum cauſæ dirimebantur quamvis eos ignorare turpiſſimum eſſet canonem undecimum Concilij Carthaginenſis primi, & decimum ſecundi quibus ſtatutum erat ad judicium primæ cognitionis epiſcopi opus eſſe duodecim ſaltem epiſcopis, ſex verò tantùm ad judicium cognitionis provocatoriæ ſimplicis preſbyteri.

Nihil magis à jure & juſtitiâ alienum eſt, quam hos Epiſcopos ejuſmodi conjunctionis ſive confuſionis tribunalium arguere. Cùm enim ſcripſerunt Cœleſtino, quæſtio non erat de tribunali quo judicari debebant epiſcopi, ſed potius de eo quo judicari non debebant. Egregiè noverant Africani decretum Concilij Carthaginenſis primi ſub Grato epiſcopo, & reverà melius intellexerant ipſo Davidio: qui ſibi finxit ſtatutum eſſe in hoc Concilio ut ſex Epiſcopis delegaretur judicium cognitionis provocatoriæ ſeu appellantis ſimplicis preſbyteri; quamvis ne vocula quidem appellationis aut provocationis in hoc Concilio occurrat. Igitur tantùm conſtat ex his, Africanos noluiſſe recognoſcere Papam judicem tam preſbyterorum quam epiſcoporum ſcilicet tribunal Romanum prorſus ejuraſſe, & è contra cujuſlibet epiſcopi aut preſbyteri Metropolitanum verum ac legitimum judicem, juxta Concilij Nicæni decretum, intellexiſſe. Sed hoc non impediebat quominus ad hoc Metropolitani tribunal aliquando duodecim, aliquando ſex epiſcopi concurrere poſſint habita ratione diverſarum cauſarum, ſive Epiſcoporum ſive preſbyterorum. Ad probandum igitur errorem Africanorum defixum in confuſione tribunalium, neceſſe erat Davidium demonſtrare hos Africanos æſtimaſſe numerum epiſcoporum ex quibus exurgebat tribunal Metropolitani ſemper æqualem

David. pag. 38. liv. 32.

lem

lem, neutiquam verò modo duodecim pro Epiſcopis, modo ſex pro presbyteris conſtitiſſe. Secùs enim hanc confuſionem immeritò videtur exprobare. Hoc autem probare nunquam poſſe Davidium confidenter aſſerere non pertimeſco.

Alterum quod exprobrat his Epiſcopis, non magis eſt rectæ rationi congruum. Contendit enim ex his verbis Epiſtolæ ad Cœleſtinum, *& decreta Nicana ſive inferioris gradus clericos, ſive ipſos epiſcopos ſuis Metropolitanis apertiſſimè commiſerunt*, hos Epiſcopos inſulſum ac ſuper- „ vacaneum aſſumpſiſſe ratiocinium; aſſeritque nihil „ magis abſurdum eſſe, quam velle deducere, ex eo quod David. pag. 39. Concil. Nicæn. canon. 4. „ Concilium Nicænum ſtabilitatem conſecrationis Epi- „ ſcoporum cujuſlibet provinciæ τὸ δὲ κῦρος in Metropo- „ litani confirmatione ponit, hoc conſectarium; ſcilicet „ omnes presbyterorum & epiſcoporum cauſas debere ſu- „ premo Concilij Metropolitani judicio dirimi omni ap- „ pellatione remotâ ad Sedem Apoſtolicam.

Itane licet traducere bis centum eccleſiæ Africanæ Antiſtites, & magnum Auguſtinum qui ex iis erat, peſſumdare? Nullum enim Davidius profert argumentum ex quo abſurdum eſſe horum Epiſcoporum conſectarium probare poſſit. Dicit enim tantùm, quod in quæſtione verſatur, à ſenſu communi hominum alienum eſſe colligere omnes epiſcopos & presbyteros judicio Synodi Metropolitanæ obnoxios ex decreto Concilij Nicæni, quo firmitas conſecrationis epiſcoporum cujuſlibet provinciæ in confirmatione Metropolitani contineri perhibetur. Neceſſe igitur erat Davidium ſignificare qua ratione adductus hoc conſectarium inſulſum habuerit, unde & à quo autore acceperit, fieri David. pag. 39. nunquam poſſe ut ſenſus communis adeò contrarias propoſitiones conciliet, & aliena conſectaria cum præmiſſis conjungat. Denique à quo didicerit habenda eſſe hæc

conſecta-

conſectaria, ita ut verba ſtomachoſiora, non rectâ ratione ſed contentionis exacerbatione ex calamo horum Epiſcoporum extorta & expreſſa. Non enim difficile eſt hujus ratiocinij epiſcoporum concinnitudinem oſtendere, dummodo perſpicuè explicetur ac ſenſus genuinus ſincerè aperiatur Canonum 4. & 6. Concilij Nicæni. His enim non ſolum Metropolitano jus confirmandæ ordinationis epiſcopalis adſcribitur, ſed eidem & unà congregatis coëpiſcopis jus controverſias de epiſcopi ordinatione exſurgentes dirimendi, & ultima terminatione concludendi vindicatur. Hoc nos docet Rufinus qui vixit circa annum 390. ſcilicet quinque annis ſupra ſexaginta poſt Concilium Nicænum lib. 1. hiſt. Eccleſiaſticæ de hoc decreto Concilij Nicæni facta mentione. *Et ut ſi fortè in ordinando epiſcopo duo vel tres pro aliqua contentione diſſentiant reliquorum autoritas & præcipuè Metropolitani cum cæteris firmior habeatur.* Itaque ſi jam efflagitet Davidius, unde ipſemet acceperim concinnum & aptè confectum conſectarium epiſcoporum Africæ: reponam libenter ex jure quod exiſtere penes Metropolitanum decernit Concilium Nicænum, ad dirimendas controverſias de ordinatione Epiſcopi exſurgentes ſpontè conſequi cætera Epiſcoporum & clericorum negotia judicio Synodi provincialis eſſe ſubjicienda: id eſt Epiſcoporum provinciæ præſide Metropolitano. Quippè præterea nihil dicere voluerunt Africani in epiſtolâ ad Cœleſtinum Papam.

Si verò percontari velit amplius ex quo intellexerim hæc conſectaria eſſe rationi congrua, rectéque colligi ex quarto & ſexto canone Concilij Nicæni? hoc me docuiſſe reſpondebo S. Auguſtinum, Aurelium Carthaginenſem epiſcopum, bis centum & ſeptemdecim epiſcopos Africæ, qui aderant Concilio Carthaginenſi anno 419. qui hanc epiſtolam minimè ſtomachoſam reſcripſerunt Cœleſtino Papæ, omni contentionis æſtu remoto,

acceptis litteris ab Attico Conſtantinopolitano & Cyrillo Alexandrino, quibus certiores erant facti, de falſa citatione canonum Nicænorum in commonitorio legatorum Sozimi, cui acta genuina Concilij Nicæni minimè congruebant. At quoniam Davidius adeò ſenſus communis laudem affectat quærerem libenter ab eo; an fore viros ſenſus communis compotes ſperet, qui ad eruendam explicationem canonum Nicænorum, & conſectaria ex iis aſſumenda, opinionem ſuam anteponant, & quorumdam Romanæ curiæ adulatorum nullius nominis ſcriptorum, ſententiæ S. Auguſtini, ducentorum ſeptemdecim Epiſcoporum, denique univerſæ Eccleſiæ Africanæ.

II. Hæc ſcribunt Cœleſtino Papæ hi Epiſcopi *preſbyterorum quoque & ſequentium clericorum improba refugia ſicut te dignum eſt repellat ſanctitas tua, quia & nulla Patrum definitione hoc Eccleſia derogatum eſt Africanæ, & decreta Nicæna ſive inferioris gradus clericos, ſive ipſos Epiſcopos ſuis Metropolitanis apertiſſimè commiſerunt.* Ex quibus intelligere non ſolum opus, verùm etiam neceſſe eſt, perperam Davidium aſſerere, in Africâ nunquam interruptum fuiſſe uſum appellationum ad Sedem Apoſtolicam. Et cùm hæc verba perlego. *Quia nulla patrum definitione hoc Eccleſiæ derogatum eſt Africanæ*, quærerem libenter ab eo an ſenſus communis compos ipſe ſit, quantumvis tenuitatis ſenſus, epiſcopos arguere non pertimeſcat.

III. Epiſcopi Africani exponunt rationem Cœleſtino Papæ, propter quam Concilium Nicænum juſſit epiſcopos & alios clericos in Concilio provinciali judicari: ex qua manifeſtum aſſumitur argumentum ad probandum hos epiſcopos ab inſtitutis Concilij Sardicenſis ſub nomine Nicæni citatis alieniſſimos fuiſſe. Hanc autem rationem diu ante protulerat S. Cyprianus Epiſtolâ 55. ad Cornelium Papam de negotio Fortunati & Feliciſſimi quod

Digitized by Google

quod tractavimus hujus operis, cap. I. *Prudentiſſimè enim, juſtiſſimeque viderunt, quæcumque negotia in ſuis locis ubi orta ſunt finienda, nec unicuique providentiæ gratiam ſancti Spiritus defuturam qua æquitas à Chriſti Sacerdotibus & prudenter videatur & conſtantiſſimè teneatur: Maximè quia unicuique conceſſum eſt. Si judicio offenſus fuerit cognitorum ad Concilia ſuæ provinciæ vel etiam univerſale provocare. Niſi fortè quiſquam eſt qui credat unicuilibet poſſe Deum noſtrum examinis inſpirare juſtitiam, & innumerabilibus congregatis in Concilium Sacerdotibus denegare.* Hæc enim omnia dubio procul ad removendas appellationes ad Romanam Sedem prolata ſunt. Cur tot incommoda ex his judiciis cognitionis provocatoriæ conſequentia objectant hi Epiſcopi à Patribus Concilij Nicæni prævisa, niſi ut diſciplinæ canonibus Sardicenſibus ſancitæ citatis in commonitorio legatorum Sozimi ſub nomine Nicænorum obſiſtunt?

Epiſtola Epiſcoporum 217. Concil. Carth. Cœleſtino Papæ I.

At quomodo ipſum tranſmarinum judicium ratum erit ad quod teſtium neceſſariæ perſonæ vel propter ſexus, vel propter Senectutis infirmitatem, vel multis aliis impedimentis adduci non poterunt? Nam ut aliqui tanquam à ſua ſanctitatis latere mittantur, nulla invenimus patrum Synodo conſtitutum, quia illud quod pridem per eundem coëpiſcopum noſtrum Fauſtinum tanquam ex parte Nicæni Concilij exinde tranſmiſiſtis in Conciliis verioribus quæ accipiantur Nicæni à S. Cyrillo coëpiſcopo noſtro Alexandrinæ Eccleſiâ & & venerabili Attico Conſtantinopolitano Antiſtite & Authentico miſſis, quæ etiam ante hoc per Innocentium presbyterum & Marcellum Subdiaconum, per quos ad vos ab eis directa ſunt venerabilis memoriæ Bonifacio Epiſcopo deceſſori veſtro à nobis tranſmiſſa ſunt, in quibus tale aliquid non potuimus reperire.

IV. Præterea dubitandi locus non relinquitur qui hi Epiſcopi ſibi perſuaſerint, præter hanc appellationum di-

ciplinam accidere nihil poſſe quod ſit horribile aut pertimeſcendum; quippè cum enixè Pontificem rogaverint, ut deputatos ſeu clericos executores ſententiarum ſuarum etiam petentibus mittere recuſaret, ne Epiſcoporum Africanorum deſidentibus moribus luxuria & ambitio in rempublicam Eccleſiaſticam immigrare viderentur. Hic eſt enim horum verborum ſenſus. *Executores etiam clericos veſtros quibuſcunque petentibus nolite mittere, nolite concedere ne fumoſum Typhum ſæculi in Eccleſiam Chriſti, quæ lucem ſimplicitatis & humilitatis diem Deum videre cupientibus præfert, videamur inducere.*

Hæc eſt enim propria explicatio hujus voculæ, *Typhus;* apud Scriptores hujus ætatis adeò communis, ad ſignificandam luxuriam, ambitionem, ſuperbiam, ut ex S. Auguſtino intelligimus Epiſtola 48. Vincentio. *Quid non audeat Typhus morticinæ pelliculæ quo non ſe præcipitet præſumptio carnis & ſanguinis.* Et 57. Dardano mentione factâ ſacrificij altaris. *A cujus ſacrificij humilitate longè abeſt Typhus & Cothurnus illorum libro* 2. de baptiſmo cap. 3. *Et cognoſcitur quod latebat ſine ullo Typho ſacrilegæ ſuperbiæ.* Idem patet paſſim ex Concilio Epheſino & ante hæc omnia ex Arnobio libro 2. contra gentes. Ex his igitur clariſſimè conficitur poſt Concilium Carthaginenſe anni 419. Africanorum mentem ab appellationibus ad Romanam Sedem alieniſſimam fuiſſe in cauſis epiſcoporum.

CAPUT

CAPUT XL.

Explicantur quædam difficultates Davidij. Continuò probatur Africanos ſemper obſtitiſſe diſciplinæ Appellationum ad Romanam Sedem.

HISTORIA rerum geſtarum in Concilio Carthaginenſi anno 419. ad perfectam notitiam antiquæ Africanorum diſciplinæ de judiciis epiſcoporum, maximè nobis conducere videtur. Quippè cùm ex ea intelligamus ad tuendam patrum traditionem ducentos epiſcopos & ſeptemdecim qui huic Concilio aderant, revocaſſe ferè omnia antecedentium Conciliorum decreta & confirmaſſe ſeu in unum codicem (qui Eccleſiæ Africanæ codex dictus eſt) concluſiſſe omnes hujus Eccleſiæ antiquos Canones.

Vix perlecto famoſo legatorum commonitorio de quo ſupra diſſeruimus, captoque conſilio ſcribendi ad Bonifacium Papam primâ ſeſſione hujus Concilij Daniel Notarius profeſſionem fidei ſive Symbolum Nicænum legit, & viginti in eo confectos canones. Deinde in acta Concilij Carthaginenſis relata ſunt ea quæ in Concilio Africæ promulgata fuerant. *Statuta quoque Nicæni Concilij in viginti capitulis ſimiliter recitata ſunt. Sicut in ſuperioribus invenitur adſcripta. Deinde quæ in Conciliis Africanis promulgata ſunt actis præſentibus inſerta noſcuntur.* At verò hi Canones duabus vicibus perlecti ſunt in primâ ſeſſione, & tertiâ vice in ſecundâ. Codex Eccleſ. Africanæ pag. 58. 1. edit. Juſtelli.

Primò triginta tres Canones lecti ſunt, qui reperiuntur in codice Eccleſiæ Africanæ, quem publici juris fecit

clariſſ. Juſtellus, ex antiquo codice manuſcripto quem ſecum communicaverat inſignis meriti vir, inter ſuæ ætatis literatos, Nicolaus Faber. Poſteà acta ſive Canones relecti ſunt ſeptemdecim Conciliorum Africæ, celebratorum ab anno Chriſti 393. ad annum 419. *Recitata ſunt etiam in iſta Synodo diverſa Concilia univerſa provinciæ Africa, tranſactis temporibus Aurelij Carthaginenſis Epiſcopi celebrata*, quorum ſumma aſcendit ad num. 94. Et in editionibus codicis Africani, Binij & Juſtelli reperiuntur. Denique tertia vice ſive in ſecundâ ſeſſione lecti, vel potius confecti ſunt ſex Canones quorum acceſſione canonum omnium numerus exſurgit 133. At verò ex hac canonum collectione diſciplina Eccleſiæ Africanæ facillimè perſpicitur, quippè confirmata, recognita & emendata in generali Eccleſiæ Africanæ Concilio. Sed antequam ex ea argumenta ſumam, ad tuendam ſententiam meam, tria explicanda ſunt à Davidio propoſita art. 5. cap. 11.

David. pag. 617. uſque ad pag. 622.

Poſtquam Davidius probavit art. 2. hujus cap. 2. hanc collectionem confectam fuiſſe in Concilio Africano; tertio verò articulo reſpondit Cardinali Perronio, contendenti hanc collectionem eſſe opus autoris ſingularis, qui hanc rapſodiam compoſuit & quarto hanc collectionem eſſe vindicandam Concilio Carthaginenſi anni 419. (quæ omnia mecum & Davidio ſpontè conveniunt) quinto denique articulo cui titulum ſcripſit de vero numero canonum hujus collectionis, tres quæſtiones inſtituit; quarum prima eſt, utrum hac collectione concluderentur Epiſtolæ Africanorum ad Bonifacium, Attici Conſtantinopolitani Epiſcopi, Africanorum ad Cœleſtinum, & Symbolum Nicænum præter Canones 133. Secunda an hæc collectio centum vel plures Canones comprehenderet cum his Epiſtolis. Tertia denique an comprehenderet tantummodo centum Canones, omiſſis primis triginta tribus,

tribus, & his epiſtolis? Prima & ſecunda quæſtio ad hanc recidunt: utrum collectio canonum unà cùm Epiſtolis confecta ſit. Sed quoniam ex his epiſtolis tres ſcilicet Attici, Cyrilli, & Africanorum Cœleſtino Papæ, ſcriptas eſſe poſt concluſum & exactum Concilium Carthaginenſe neceſſe eſt, in quo hæc collectio canonum compacta eſt: has Epiſtolas huic collectioni poſteà fuiſſe adjunctas intelligere pariter neceſſe eſt. Hæ quæſtiones leviores ſunt, ſed tertia majoris momenti eſſe videtur.

Contendit Davidius hac collectione concludi tantùm centum Canones, & triginta tres primos ad hanc nihil attinere. Ego verò in cogitationem Davidio prorſus contrariam venio: Primo, quia hi triginta tres Canones reperiuntur in codicibus manuſcriptis quorum uſuram habuit Juſtellus, ſcilicet Nicolai Fabri, Jacobi Auguſti Thuani, Bochardi majoris conſilij Senatoris à Rege Chriſtianiſſimo Henrico quarto ad Rempublicã Venetorum legati. Secundò quoniam ex editione codicis Africani apud Binium pag. 729. ita ut ex editione Juſtelli intelligimus perlectis Symbolo Nicæno & viginti hujus Concilij Canonibus, relata fuiſſe in acta Concilij Carthaginenſis quæ promulgata fuerant in Conciliis Africæ. *Deinde quæ in Conciliis Africanis promulgata ſunt actis præſentibus inſerta noſcuntur.* At verò hæc promulgata in Conciliis Africæ intelligi non poſſunt, niſi de his triginta tribus primis Canonibus. Alij enim Canones relecti videntur, neceſſe eſt, ſecunda vice quam his verbis ſignificant acta hujus Concilij apud Binium & Juſtellum. *Recitata ſunt etiam in iſta Synodo ſcilicet Carthaginenſi diverſa Concilia univerſæ provinciæ Africanæ, tranſactis temporibus Aurelij Carthaginenſis Epiſcopi.* Adeoque prima vice lecti ſunt Canones Conciliorum Africæ celebratorum ſub Aurelio, non enim credibile eſt continuò repetitam eſſe bis rem eandem de iiſdem canonibus. *Deinde quæ in Conciliis*

Africanis

Digitized by Google

Africanis promulgata ſunt præſentibus actis inſerta noſcuntur, & ſine intermiſſione recitata ſunt etiam in iſta Synodo diverſa Concilia univerſæ provinciæ Africæ. Ex his igitur colligendum eſt, editionem codicis Africani quam publicavit Juſtellus ex antiquis codicibus manuſcriptis, quæ in fronte triginta tres Canones habet, poſteà nonaginta quatuor, & in ſecundâ ſeſſione ſex alios, quorum omnium ſumma aſcendit ad num. 133. eſſe correctiorem, & magis veritati congruam. Tertio, hi triginta tres primi Canones in antiqua Canonum collectione Dionyſij Exigui locum habent, qui floruit anno 540. qua utebatur Eccleſia Romana his temporibus (ut teſtificatur Caſſiodorus.) *Qui Dionyſius Exiguus, petitus à Stephano Epiſcopo Salonitano ex græcis exemplaribus Canones Eccleſiaſticos, moribus ſuis ut erat planus atque diſertus, magnæ eloquentiæ luce compoſuit, quod hodie uſu celeberrimo Eccleſia Romana complectitur.* His rationibus adductus ſentio collectionem canonum in Concilio Carthaginenſi anno 419. confirmatum, centum triginta tribus Canonibus conſtitiſſe.

Lib. Divinarum lectionum cap. 28.

Davidius ait, Creſconium (non ignarum horum triginta trium canonum non ſecùs ac centum aliorum) exiſtimaſſe variis vicibus in diverſis Conciliis collectos fuiſſe, ſcilicet centum poſt triginta tres. Atque ex his concludit collectionem centum canonum nihil attinere collectionem triginta trium. Probat Davidius hanc eſſe mentem Creſconij quoniam triginta tres Canones citat quaſi aſſumptos ex Concilio Carthaginenſi ſimpliciter, collectionem verò aliorum centum quaſi ex Concilio generali Carthaginenſi ut conſtat ex cap. 30. & 154. Breviarij canonum Creſconij.

David. pag. 620. Lin. 16.

Hæc obſervatio Davidij multis ſcatet mendaciis: primò falſum eſt Creſconium citare 33. canones aſſumptos ex Concilio Carthaginenſi ſimpliciter; quippè cum

citet

citet Canonem 29. ex his 33 ſub nomine Concilij generalis Carthaginenſis num.30. Hoc perſpectum habemus in editione hujus breviarij canonum ad quam incubuit R.P. Chifletius Jeſuita anno 1649. pag. 30. ex alterâ editione ad finem codicis Eccleſiæ Romanæ typis vulgati Pariſiis anno 1609. & aliis. Secundò, falſum eſt etiam Creſconium citare collectionem centum Canonum quaſi aſſumptam ex Concilio generali Carthaginenſi. Enimverò centeſimum citat ſub titulo Concilij Carthaginenſis ſimpliciter, ut ob oculos patet breviarij canonum Creſconij num. 287. pag. 52. Tertiò falſum eſt hanc diſcrepantiam quam obſervat Davidius perſpectam fieri, ex capp. 30. & 154. hujus breviarij; quippè cum ambo canones referantur pariter aſſumpti ex Concilio generali Carthaginenſi ut conſtat pag. 30. & 41. Editionis Chifletij & aliarum. Igitur dicere non pertimeſco hæc argumenta finxiſſe ſibi Davidium, ut ad partium ſuarum rationes Creſconium aggregaret.

Præterea Davidius obſervat Creſconium num. 287. ſui breviarij citare canon. 33. collectionis Dionyſij Exigui, & appellare centeſimum: ex quo intelligimus tantummodo concluſiſſe centum canones in collectione canonum Africanorum. Verumenimverò etiamſi hæc eſſet ſententia Creſconij, non conſequeretur hanc eſſe præferendam ſententiæ Dionyſij ſcriptoris quippè vetuſtioris. Nec ex his aliud colligi poteſt, niſi æſtimaſſe Creſconium collectionem Conciliorum Africanorum celebratorum ſub Aurelio Primate, continere tantùm centum canones, neutiquam verò collectionem integram canonum Conciliorum Africæ ſub aliis Primatibus congregatorum, quæ anno 419. in eodem Concilio Carthaginenſi confirmata fuerunt juxta ſententiam omnium Doctorum, ac præſertim Joannis Vvendelſtini: qui primus collectionem Romanam publici juris fecit Moguntiæ anno 1525. Per-

David. pag. 619.

David. pag. 606. peram autem Davidius contendit credibile eſſe Creſconium voluiſſe emendare Dionyſium, juſtis ac ſingularibus de cauſis ſibi Africano ſpeciatim cognitis, cum ipſi Dionyſio tanquam fidus diſcipulus Magiſtro ſe conformaverit. Enimverò nunquam voluit Creſconius ſe accomodare aut conformare Dionyſio; quippè cùm de eo mentionem nullam faciat in præfatione, ſed è contra de Ferrando Diacono Carthaginenſi qui ante Creſconium breviarium canonum ſcripſerat & hunc canonem in ſuo breviario prætermiſit.

„ Tum verò Davidius contendit ſuam ſententiam ſequi Eccleſiam Romanam. Quoniam hæc collectio „ centum tantùm Canonibus conſtans perſpicitur in codice Eccleſiæ Romanæ publicato Moguntiæ anno 1525. „ curâ Joannis Vvendelſtini.

Nemini homini, ex his Davidij verbis dubium ſubolere poteſt, quin prætermiſſi ſint triginta tres primi canones in hoc codice, & reverà conceptis verbis aſſerere non pertimeſcit pag. 621. lineâ 23. Verumtamen in codice diſertè leguntur ita ut in codice Eccleſiæ Africanæ, & in collectione Dionyſij Exigui, ſcilicet proximè canones Conciliorum Africæ celebratorum ſub Aurelio. Et nequis fortaſſe olim in præconceptam Davidij opinionem iret, nec ſibi perſuaderet alibi quam in Concilio Carthaginenſi, hos centum canones fuiſſe in unum codicem collectos, Joannes Vvendelſtinus cujus cura hæc editio facta eſt è regione horum verborum quæ initium dant collectioni centum canonum, *recitata ſunt etiam in iſta Synodo diverſa Concilia univerſæ provinciæ Africæ* hanc notam efformavit *in iſta Synodo Carthaginenſi, ſcilicet ſupra præmiſſa*, ideſt anni 419. Ex quo intelligimus triginta tres primos Canones & ultimos centum in eodem Concilio lectos fuiſſe. Prætereà non intelligo quid conducere poſſit cogitationibus Davidij, ſi hæc collectio centum canonum in codice

dice

dice Eccleſiæ Romanæ contineatur, ſub titulo Concilij Africani. Enimverò hic titulus in codicibus manuſcriptis non legitur, ſed iſte. *Incipiunt Canones Conciliorum diverſorum Africanæ provinciæ.* Adeoque lepidum Davidij critirion evaneſcit. Et planiſſimè conſtat 133. Canones ex quibus hodie codex Eccleſiæ Africanæ exſurgit, fuiſſe confirmatos, recognitos & emendatos in Concilio Carthaginenſi anno Domini 419. duabus diverſis ſeſſionibus, quarum prima habita eſt 24. Maij, & ſecunda 29. ejuſdem menſis.

Sed has difficultates novis acceſſionibus cumulat Davidius, aſſumptis ex ipſamet collectione, quibus certiſſimis argumentis convincere videtur, hanc collectionem his centum ultimis canonibus tantùm conſtitiſſe, & triginta tres priores hujus corporis canonum verum membrum non eſſe, adeoque contendit manifeſtam exſurgere repugnantiam inter octavum Canonem quo habetur *ut Epiſcopum, nulli criminoſo liceat accuſare.* Et centeſimum vigeſimum octavum his verbis conceptum: *Quoniam ſuperioribus Conciliorum decretis ad accuſationem clericorum quæ perſonæ non admittantur non eſt expreſſum.* Hæc enim aperto Marte pugnare videntur cum octavo canone ſit expreſſum *nulli criminoſo licere Epiſcopum accuſare.*

Si hos canones integros, nulla parte truncos attendere velimus, non adeò difficiliter poterunt conciliari, omnis enim repugnantia protinus evaneſcet. Si oſtendatur clariſſimè id quod decernitur canone 128. de iis quibus non erit licitum accuſare Epiſcopos 8. canone non fuiſſe ſancitum. At verò hæc decreta omnino diverſa ſunt. Octavo enim Canoni occaſionem dedit admonitio Numidij Epiſcopi Mazulitani, de multis ſycophantis qui ſibi perſuadebant licere, quavis de cauſa accuſare & in jus vocare epiſcopos. Hic verò canon accuſationem hominis

criminoſi adverſus ſeniorem ſcilicet Epiſcopum aut preſbyterum admitti vetat. *Numidius Epiſcopus Mazulitanus dixit, prætereà ſunt quamplurimi non bonæ converſationis qui exiſtimant majores natu vel Epiſcopos paſſim, vagcque in accuſationem pulſandos debent tum facilè admitti nec ne?*

Aurelius Epiſcopus dixit. Placet igitur caritati veſtræ ut is qui aliquibus ſceleribus irretitus eſt vocem adverſus majorem natu non habeat accuſandi. Ab univerſis Epiſcopis dictum eſt, ſi criminoſus eſt, non admittatur placet.

Sed quoniam duplicis generis eſſe poterant, non bonæ converſationis viri accuſatores Epiſcoporum, quidam excommunicati, & in excommunicatione permanentes: alij olim excommunicati, & in Eccleſiæ communionem peractâ pœnitentia reſtituti; ſpeciale decretum de iis ſanciendum duxit Concilium Carthaginenſe, quibus facultate accuſandi Epiſcopum generatim interdictum fuerat Canone 8. & canone 128. vetavit ex hoc duplice accuſatorum genere crimini obnoxiorum, eos qui excommunicati fuerant, durante excommunicationis tempore poſſe ad accuſationem Epiſcopi admitti. Porrò hoc decretum omnino eſt à priori diverſum, adeoque hæc quæ in eo verba leguntur veriſſima ſunt, *& quæ perſonæ non admitterentur ad accuſationem Epiſcopi non eſt expreſſum.* (Canon. 128. codic. Afric.) Arcet enim ab hoc jure tantùm canon. 8. generatim criminoſos, hîc verò legem perſtringit & temperat erga criminoſos ſpeciatim qui in excommunicatione permanent, iis omnino prætermiſſis qui non permanent.

Prætereà canon. 128. cum conſequentibus congruit qui hac de re multas circonſtantias explicant, de quibus nulla penitus mentio facta eſt canone 8.

Sed ulteriùs progredior, & obfirmato pectore veritatis amore propugno, poſſe ex hoc canone 128. aſſumi certiſſimum argumentum ad probandum hos 33. primos canones fuiſſe in collectione Africanâ comprehenſos. Dummodo

modo integer perlegatur. *Placuitque omnibus quoniam ſuperioribus Conciliorum decretis de perſonis quæ admittendæ ſunt. ad accuſationem clericorum jam conſtitutum eſt, & quæ perſonæ non admitterentur non expreſſum eſt, idcirco definimus eum ritè ad accuſationem non admitti, qui poſteà quam excommunicatus fuerit, in ipſa, ſive ſit clericus ſive laicus accuſare voluerit.*

Intelligimus ex initio hujus Canonis *jam conſtitutum fuiſſe ſuperioribus Conciliorum decretis de perſonis quæ admitti poterant ad accuſationem clericorum.* At verò luce meridianâ clarius patet ne verbum quidem de ejuſmodi decreto occurrere in canonibus, ſub titulo Concilij Africani qui centeſimum vigeſimum octavum antecedunt. Quamobrem id inveſtigare neceſſe eſt inter triginta tres primos Canones, ex quibus revera 19. & 20. & 30. graviſſimas leges ferunt de accuſatoribus clericorum. Igitur tantùm abeſt ut 128. Canon repugnantiam habeat manifeſtam, cum primis triginta tribus cum eorum nominatim mentionem faciat, perlectos fuiſſe in Concilio Carthaginenſi ſignificet ac certiſſimè convincat hos 33. Canones in collectione codicis Africani fuiſſe concluſos.

Quæ cum ita ſint oſtendere jam è re noſtrâ eſt, ex hoc codice diſciplinam & traditionem Eccleſiæ Africanæ de judiciis Epiſcoporum.

Primum decretum refertur hujus collectionis canone 12. confectumque fuit occaſione admonitionis cujuſdam Epiſcopi cui nomen erat Felici. *Felix Epiſcopus dixit. Suggero ſecundùm ſtatuta veterum Conciliorum, ut ſi quis Epiſcopus (quod non optamus) in reatum aliquem incurrerit, & fuerit ei nimia neceſſitas non poſſe plurimos congregare: ne in crimine remaneat à 12. Epiſcopis, & *presbyter à ſex Epiſcopis cum proprio ſuo Epiſcopo audiatur & Diaconus à tribus.* Sequens canon numerum judicum preſ- Codex Canon. Eccleſ.

Afric. numero 12. byterorum ad Epiſcopos quinque perſtrinxit, pro Tripolitanâ provinciâ.

Canone 14. codic. Afric. *Item placuit de Tripoli propter inopiam provinciæ ut unus Epiſcopus in legationem veniat, & ut ibi presbyter à quinque audiatur Epiſcopis & Diaconus à tribus ut ſuperius memoratum eſt, proprio Epiſcopo reſidente.* Hoc decretum inſtauratur canone 20. pro presbyteris & Diaconis, cum aliqua acceſſione pro inferioribus clericis, ſcilicet ut ab

Canon 20. codic. Afric. Epiſcopo ſolitario judicari poſſint. *Reliquorum autem clericorum cauſas etiam ſolus Epiſcopus loci agnoſcat & finiat.*

Dubium ſupereſſe non poteſt quin mens hujus Concilij Carthaginenſis fuerit inſtaurare decretum Concilij Carthaginenſis primi ſancitum canone 11. ſub Grato ejuſdem Urbis Epiſcopo, anno 348. circiter 81. annis ante hoc Concilium Carthaginenſe. At verò oſtendimus cap. 17. hujus operis quantum hoc Concilium ab inſtitutis Sardicenſis alienum fuerit. Quamobrem colligere poſſumus ex renovato hoc canone ab Eccleſiâ Africana, in ea ſententiâ permanſiſſe anno 419. qua erat anno 348. & alieniorem ſemper fuiſſe Eccleſiam Africanam à diſciplinâ appellationum ad Romanam Sedem, in cauſis Epiſcoporum.

Secundum decretum ſanxit in hac canonum collectione Eccleſia Africana, quo præter tribunal ordinarium duodecim epiſcoporum ad judicium Epiſcopi, alterum inſtituit ſive inſtaurat antiquis Africæ Conciliis conveniens, ſupremum omni appellatione remotâ, non tamen Romanum, ſed ad quod liberum erat perfugium, ſcilicet electorum ſequeſtorum ad inſtar judiciorum ſæcularium. *Vlpianus l. 27. §. 2. de recept. arbit. Stari autem debet ſententiæ arbitri quam de re dixerit, ſive æqua ſive iniqua ſit: Et ſibi imputet qui compromiſit, nam & D. Pij reſcripto adjicitur vel minus probabilem ſententiam æquo animo ferre debet Antoninus Imperator leg. 1. cod. ex ſententiâ*

tentiâ arbitri & compromiſſo jure perfecto editi appellari non poſſe ſæpè reſcriptum eſt. At verò hanc diſciplinam à foro civili ad Eccleſiaſticum traducunt hujus collectionis canones 15. 96. & 122.

Item placuit (ſic ſe habet canon. 15.) *ut quiſquis Epiſcoporum , presbyterorum & Diaconorum , ſeu clericorum, cum in Eccleſia ei crimen fuerit inſtitutum, vel civilis cauſa fuerit commota : ſi relicto Eccleſiaſtico judicio publicis judiciis purgari potuerit , etiamſi pro ipſo prolata fuerit ſententia locum ſuum amittat & hoc in criminali actione in civili verò perdat quod evicit ſi locum ſuum obtinere maluerit. Hoc etiam placuit , ut à quibuſcumque judicibus Eccleſiaſticis ad alios judices Eccleſiaſticos ubi eſt major autoritas , fuerit ſoluta ſententia , ſi convinci non potuerint vel inimico animo judicaſſe, vel aliquâ cupiditate aut gratia depravati ; ſanè ſi ex conſenſu partium electi fuerint judices etiam à pauciore numero quàm conſtitutum eſt non liceat provocari, & ut filij Sacerdotum ſpectacula, ſæcularia non cohibeant, &c.*

Ex hoc canone duo perſpecta habemus clariſſimè, primò, tùm pro civili cùm pro criminali actione vetitum eſſe epiſcopis, preſbyteris & diaconis ad alios quam eccleſiaſticos judices cauſas deferre. Secundò : Si ex conſenſu partium electi fuerint judices etiam pauciore numero quàm conſtitutum eſt non licere provocari.

Contendit Davidius hoc vetitum appellandi ab electis judicibus, ſpectare ſolùm cauſas ſæculares, neutiquam verò Eccleſiaſticas.

Si quoddam hujuſce conjecturæ argumentum proferret illud diſcutere opus eſſet, ſed nullum prodidit, ſatiſque ſibi eſſe putat dicere ita ſe habere rem debere. Quamobrem non ſine ſummâ admiratione perſpicimus nullam mentionem fieri in hoc canone cauſarum ſæcularium ; ſed è contra Eccleſiaſticarum tantùm. Quas eſſe

eſſe duplicis genis ſignificat, ſcilicet civiles ac criminales. Et quoniam poſthabitis judicibus eccleſiaſticis, ad ſæculares judices utriuſque generis lites deferre vetat, æquabili ratione ſpem appellationis adimit quoties ejuſmodi cauſæ ad electos judices delatæ fuerint. Hic eſt enim verus hujuſce canonis ſenſus quem Davidius non intellexit, ipſumque in errorem deduxit, quem illuſtri Petro de Marca exprobrat. *In vitium vertit culpæ fuga ſi caret arte.* Item ſtatuitur canone 96. de judicibus electis. *Si autem fuerit provocatum, eligat qui provocaverit, ut ab ipſis deinceps nulli liceat provocare.*

Horat. de arte poëtica.

„ Davidius pag. 668. art. 1. cap. 12. ait hanc explica-
„ cationem eſſe ab hujus canonis ſenſu alienam, dicit
„ Imperatoriam eſſe hujus canonis formam & ex ea vi-
„ deri electionem judicum non in noſtrâ libertate poſi-
„ tam, ſed potius legis præſcripto imperatam propter hæc
„ verba, *eligat judices*, quæ imperativa ſunt. Sed ſi conjunctio *Et*, ante verbum *eligat* collocetur, quæ ſcribæ vitio omiſſa eſt, totum hujus canonis Imperium facilè ruet. Reverà enim in textu græco non deeſt, ἐὰν δὲ γένηται, ἔκκλητος. καὶ ἐπιλέξηται ὁ ἐκκαλεσάμενος δικαστὰς adeoque cum græcum textum Davidius non legerit, aut non intellexerit, ad explicationem hujus canonis neceſſe eſſe ex duobus unum ἀμέσως conficere ſibi perſuaſit, & cum ſuperiori his verbis concepto adjungere.

Placuit ut non ſit ultra fatigandis fratribus anniverſaria neceſſitas, ſed quoties exegerit cauſa communis ideſt totius Africæ undecumque ad hanc Sedem datæ litteræ fuerint, congregandam eſſe Synodum in ea provinciâ ubi opportunitas perſuaſerit; cauſæ autem quæ communes non ſunt, in ſuis provinciis judicentur.

Ex his intelligimus duplicis generis cauſas extitiſſe, quaſdam toti Africæ communes, quaſdam non communes.

Contendit

Contendit Davidius de ſolis non communibus mentionem agere canonem 96. qui jubet eas ad judices electos deferri, ſive ſequeſtros ſupremæ cognitionis, omni appellatione remotâ. Sibique perſuadet has cauſas non communes eſſe ſæculares, neutiquam verò Eccleſiaſticas.

Primò de ſolis cauſis non communibus non facit mentionem canon 96. ſuamque opinionem nec probat nec probare poteſt Davidius. Secundò hæ cauſæ non communes quas tractat canon. 95. erant Eccleſiaſticæ, & non tantùm ſæculares; perſpectum enim habemus ex lectione canonis hujus per cauſas non communes eas ſignificari quæ non in rem erant univerſæ Africæ, ſed cujuſdam tantummodò provinciæ Africæ. Quamobrem perperam Davidius æſtimat inter has cauſas non communes de quibus loquuntur Africani, & cauſas privatas quarum mentionem facit Concilium Conſtantinopolitanum cap.6. Primùm diſcrepantiam non eſſe, hæc enim Concilia prorſus diverſa ſuis decretis ſanciunt. Quæritur in Concilio Conſtantinopolitano, utrum admitti poſſint hæretici ad accuſationem Epiſcopi, obſervatque Concilium, duplicem cauſam ejuſmodi accuſationis contingere poſſe primò, ſi cui lis peculiaris cum Epiſcopo interceſſerit expoſtulationemque adverſus eum habuerit ob injuriam aut grave damnum ſibi illatum. Secundò, ſi Epiſcopus accuſetur crimine neglecti miniſterij eccleſiaſtici. Pro primo caſu non cenſet Concilium habendam eſſe rationem religionis quam profitetur accuſator. Pro ſecundo verò vult religioni caveri, prohiberque hæreticorum hominum accuſationes adverſus Epiſcopos orthodoxos de rebus ad Eccleſiæ miniſterium ſpectantibus. *Si quis propriam querelam & privatim intendat Epiſcopo ut detrimento aliquo vel injuriâ aliquâ ab ipſo affectus in ejuſmodi accuſationibus nec accuſatoris perſonam, nec religionem examinari. Oportet enim Epiſcopi conſcientiam eſſe omnibus mo-* Concil. Conſtantinopol. Canone 6.

dis liberam, & cum ſibi injuriam factam eſſe dicit cujuſcunque ſit religionis jus ſuum conſequi. Si autem ſit crimen Eccleſiaſticum, quod epiſcopo intenditur, tunc examinari perſonas accuſatorum: ut primum quidem hæreticis non liceat orthodoxos Epiſcopos pro rebus Eccleſiaſticis accuſare.

Adeoque ex his intelligere facile eſt, cauſam privatam de qua mentionem facit Concilium Cõſtantinopolitanum nihil attinere ad cauſam non communem Concilij Carthaginenſis quæ tota erat Eccleſiaſtica,& quæ *non communis* dicta eſt, habita ratione communioris quæ in rem erat univerſæ Africæ. *Non communis* erat obnoxia judicio epiſcoporum unius provinciæ, *communis* verò ab univerſæ Africæ epiſcopis debebat judicari.

Verumenimverò admiratione vehementi me commovet Davidij temeritas, dum ad explicandum Concilium Carthaginenſe, ſextum canonem Conſtantinopolitani profert; quippè cùm eum falſum ac ſuppoſititium eſſe mirificis conatibus propugnaverit, ad id ſpeciatim facto articulo ſecundo capitis tertij operis ſui.

Vide ſupra cap. 22.

Itane licet viro docto calidum ac frigidum aërem ore patulo ſpirare? & accuſatis totius Africæ Epiſcopis defectionis atque inopiæ ſenſus communis ac rationis, ob ſcriptam Cœleſtino Papæ Epiſtolam, de poteſtate mentis decedere?

Hanc judicum electorum ſive arbitrorum ſupremam juriſdictionem vehementer confirmavit Eccleſia Africana hujuſce collectionis canone 122. *à judicibus autem quos communis conſenſus elegerit non liceat provocare; & quiſquis provocans repertus fuerit, per contumaciam nolle obtemperare judicibus, cum hoc primæ Sedis Epiſcopo fuerit probatum, det litteras ut nullus ei communicet epiſcopo donec obtemperet.*

Codex Canon. Eccleſ. Afric. Canon. 122.

Ex his perſpicimus adeò neceſſe fuiſſe obtemperare

judicio

judicio ſequeſtrorum ut Eccleſia impoſita ſuſpenſionis pœna illud juſſerit exequi.

Contendit Davidius ex hoc canone adjuncto ſuperiori, facilè intelligi hos judices electos, ſive ſequeſtros, de majoribus cauſis non cognoviſſe, quales eſſe ſolent abdicationes epiſcoporum. Ego verò quin hoc verum ſit inficias ire nolo, tantummodò contendo exurgente lite inter duos Epiſcopos ad politiam Eccleſiaſticam ſpectante non licitum fuiſſe ab electis judicibus appellare, impoſitâ pœnâ ſuſpenſionis eorum judicio obtemperandum fuiſſe. Non difficiliter probarem epiſcopos Galliæ occaſione litis Ebbonis & Arnulphi, Hincmarum Remenſem Archiepiſcopum in negotio Rothaldi Sueſſionis Epiſcopi æſtimaſſe, penes judices electos exiſtere ſupremam judicandi cauſas epiſcoporum abdicandorum poteſtatem, ipſumque Papam Nicolaum primum ab hac ſententiâ alieniorem non fuiſſe. Sed de hoc ampliùs agemus aliquando originem ac progreſſum appellationum ad Romanam Sedem tractaturi.

Intereà ſilentio prætermittere non licet graviſſimam Davidij hallucinationem, dum ſibi fingit hos Canones collectionis Africanæ 121. & 122. excerptos fuiſſe ex ſecundo Concilio Milevitano celebrato anno Chriſti 416. Reverà enim exſcripti ſunt ex Concilio Carthaginenſi anni 418. Non enim facile eſt probare Concilium Milevitanum ſecundum confeciſſe Canones; quippè cùm nulli ſub hoc titulo in codice Eccleſiæ Africanæ reperiantur, ac de iis mentionem nullam faciat S. Auguſtinus. Enimverò ſi hujus nominis quidam Canones inter Concilia Binij occurrant; dubium non eſt quin iis initium Concilij Milevitani anni 402. aſſutum fuerit, & apertè conſtat ex codicibus MSS. quibus uſus eſt Juſtellus ad editionem codicis Eccleſiæ Africanæ hos Canones excerptos eſſe ex Concilio Carthaginenſi anni 418.

Cardinalis Perronius nos docet ſuæ reſponſionis iteratæ ad Sereniſſ. magnæ Britanniæ Regem cap.48. pag.164. confectos fuiſſe Canones in ſecundo Concilio Milevitano, ſuamque ſententiam confirmat argumento aſſumpto ex ſecundo Concilio Turonenſi celebrato anno 567. ſcilicet centum quinquaginta circiter annis poſt Milevitanum, quod Concilium Turonenſe citat cap. 21. Canonem ex numero Milevitanorum; de ætate qua poſſunt ad votum virginitatis admitti virgines; qui reverà 26. occurrit inter eos qui apud Binium referuntur ſub titulo Concilij Milevitani celebrati anno 416. ſub Innocentio primo. Sed haud difficiliter reſpondeo, octo epiſcopos Galliæ qui Concilio Turonenſi aderant, hallucinatos eſſe in hac quæſtione facti; quippè cùm ducenti & amplius epiſcopi Africæ congregati Carthagine anno 419. eundem canonem incluſerint in codice eccleſiæ Africanæ num. 126. ſub nomine Concilij Carthaginenſis anni 418. Enimverò credibile eſt, aut ſenſus communis fallit, hos Africanos melius cognoviſſe ea quæ in Africâ geſta fuerant, ſeu quæ ipſimet geſſerant anno proximè elapſo, his octo Epiſcopis extraneis 150. poſt annis. Eundem canonem citat Creſconius epiſcopus Africanus in ſuo canonum breviario num. 286. ſub titulo Concilij Carthaginenſis: vixit circa annum 617.

Prætereà dicere non pertimeſco, non ſolum Eccleſiam Africanam alios judices præter Romanum Pontificem dediſſe Epiſcopis, ad lites eorum ſupremæ cognitionis judicio finiendas: verum etiam iis nominatim ac ſpeciatim interdixiſſe omni perfugio ad Romanam Sedem, ut ex canone 28. hujuſce Concilij intelligimus. *Item placuit, ut presbyteri, Diaconi, vel cæteri inferiores clerici in cauſis quas habuerint ſi de judiciis epiſcoporum queſti fuerint vicini epiſcopi, eos cum conſenſu ſui epiſcopi audiant, & inter eos definiant adhibiti ab eis epiſcopi: quod ſi & ab eis provocan*

Codex Canonum Eccleſiæ Afric. Canone 28.

provocandum putaverint, non provocent ad tranſmarina judicia, ſed ad primates ſuarum provinciarum aut ad univerſale Concilium : SICVT ET DE EPISCOPIS SÆPE CONSTITVTVM EST. *Ad tranſmarina autem qui putaverit appellandum à nullo intra Africam ad communionem recipiatur.*

Iiſdem verbis conceptus eſt canon. 12. collectionis Africanæ, exceptis iis quæ litteris majuſculis ſcripta ſunt, quorum acceſſione hunc canonem cumulatum fuiſſe aſſerit Davidius ex Concilio Milevitano ſecundo, ſeu potiùs Carthaginenſi anni 418. ex quo exſcriptus. Prætereà contendit hæc verba huic canoni aggregata non fuiſſe in Concilio Carthaginenſi anni 419. in quo Eccleſiæ Africanæ codex compactus eſt. Jam verò id examinare juvat.

I. Dicit Davidius incredibile eſſe hos Epiſcopos adjunxiſſe hæc verba huic Canoni. Quoniam hoc repugnat obtemperationi, quam ſpoponderant ſummo Pontifici, occaſione duorum canonum in commonitorio legatorum Sozimi citatorum, donec Concilij Nicæni exemplaria invenirentur. David. pag. 691.

Sed reſponſio facilis eſt, ſcilicet hoc Can. 28. nihil novi decerni. Quippè cùm id ſtatutum fuiſſe conſtet in Concilio Carthaginenſi anno 418. aut ſecundum Davidium in ſecūdo Milevitano ex quo hic canon de preſbyteris, diaconis, & aliis clericis aſſumptus eſt. Verba etiam adjuncta nihil novi ſtatuere videntur, ſed idem ſtatutum fuiſſe de Epiſcopis non ſecùs ac de preſbyteris, diaconis, & aliis clericis ſignificant. Nullus dubitandi locus relinquitur quin hæc fuerit mens & ſententia omnium epiſcoporum Africæ; quippè quam neminem hominem celabant.

Quamobrem non video unde illis remora fuiſſet impoſita, ne palam ac publicè declararent, quamvis exiguo tempore votis Pontificis Romani annuerent, ſcilicet donec vera Concilij Nicæni exemplaria invenirentur.

David. pag. 692. II. Quærit Davidius à quo Concilio Epiſcopis Africæ interdictum ſit appellatione ad Romanam Sedem, contenditque ſi nulli Concilio hoc vetitum adſcribi poſſit, neutiquam fuiſſe poſitum in poteſtate horum epiſcoporum ejuſmodi acceſſionibus cumulare hunc canonem; quippè falſis & ab omni veritate alieniſſimis.

Sed quoniam Davidium fateri neceſſe eſt, nobis multo labore quærentibus, non ſuppetere acta omnium Conciliorum Africæ, eorumque vicem dolere, & injuria temporum deperditis cum Domino de Marca illacrymari. Quærerem libenter ab eo officij vicem rependens quo argumento probaret hoc ſtatutum in nullo Concilio Africæ fuiſſe confectum. Enimverò certum eſt Dionyſium Exiguum æqualem Imperatori Juſtiniano anno Chriſti 640. ſcilicet 120. annos poſt confectam collectionem non adjeciſſe hæc verba: neque Eccleſiam Romanam quæ tanto cum plauſu collectionem Dionyſij exceperat; hanc additionem, inducere novitatem cenſuiſſe, ac de ea conqueſtam eſſe. Hæc etiam verba non adjecit Eccleſia Romana in collectione canonum ex antiquis codicibus expreſſa, & publici juris facta cura Joannis Vvandelſtini anno 1525. Et ſi adjeciſſe cenſeatur, neceſſe eſt eam recognoviſſe jura vindicara Africanorum eſſe juſta & rectæ rationi congruentia. Denique dubitandum non eſt autorem verſionis græcæ hæc verba in textu latino inveniſſe, & verbum verbo fidum interpretem reddidiſſe, *ſicut & de Epiſcopis ſæpe conſtitutum eſt*, ὡς καὶ περὶ τῶν ἐπισκόπων πολλάκις ὥρισται. Quæ cum ita ſint, dubitandi locus nullus relinquitur, quin hæc additio antiquiſſima confecta ſit in Concilio Carthaginenſi: quamvis inſtrumenta ſeu acta nobis non ſuppetant, temporum injuria nobis erepta, Conciliorum Africæ, in quibus hoc decretum jam antea conſcriptum fuerat.

David. pag. 692. & 693. III. Comprobat Davidius non poſſe hanc additionem vindicari epiſcopis Concilij Carthaginenſis celebrati

anno

anno 419. quoniam non ſolum hi Patres in collectione codicis eccleſiæ Africanæ nullum canonem anterioris Concilij in quo hæc diſciplina ſancita ſit citant, ſed eidem diſciplinæ prorſus contrarium præſtant.

Quid enim, inquit Davidius, ab hujus diſciplinæ « inſtitutis magis alienum eſt quam in hac collectione in- « cludere epiſtolam, Bonifacio Papæ ſcriptam, qua ſpon- « tè polliciti erant, ſed uſum appellationum religioſè « ſervaturos, & eandem Epiſtolam cumulare acceſſione « alterius, quam Paulo poſt ad Cœleſtinum ſcripſerant? « Ex qua intelligimus Africanos ſingulari cultu ſuſtinuiſ- « ſe ſecundam appellationem Apiarij, nec deſtitiſſe coge- « re Synodum ad judicium de ea ferendum, etiam poſt- « quam Nicæno exemplaria orientis partibus allata ſunt, « & Epiſcopi Africæ perſpectum habuerunt canones Sar- « dicenſes de appellationibus, inter Nicænos non col- « locari. «

David. pag. 692. & 693.

Primò, Falſum eſt hos Epiſcopos polliceri ſe ſervaturos religioſè uſum appellationum Epiſtolâ ad Bonifacium. Hanc enim ſponſionem exiguo tempore perſtringunt, ſcilicet, donec Nicæna exemplaria inventa ſint. Secundò, Non adeò facilè eſt intelligere hos Epiſcopos non eſſe hujus additionis autores, ex eo quod Epiſtolam ad Cœleſtinum cum Epiſtolâ ad Bonifacium antea ſcripta conjunxerint. Hoc eſt enim ſinceritatis eorum argumentum certiſſimum, quo poſteris ſignificant ſe primò obtemperaſſe volũtati Pontificis Romani exiguo tempore, & ſi ita loqui licet, per collationem fiduciariam: Sed viſis exemplaribus Nicænis Conſtantinopoli & Alexandria allatis, antiquæ diſciplinæ non derogaſſe; immò verò appellationes ad Romanam Sedem vehementer ejuraſſe & recuſaſſe.

IV. Contendit Davidius in hac epiſtola Africanorum ad Cœleſtinum Papam, debere citari quendam canonem, quo decretum additione ſignificatum exprimeretur: David. pag. 693.

tur:

tur: ſecùs verò dubitandum non eſſe hos Epiſcopos non fuiſſe hujus additionis autores.

At verò quid neceſſe erat hujus decreti mentionem facere? cùm inter legatos Papæ & hos Epiſcopos quæſtio tantummodo fuerit de canonibus Nicænis quibus inventis fatebantur omnes contentionem fore ultimâ terminatione concluſam. Quamobrem his inventis, nulloque dubitandi loco relicto, quin falsò citati eſſent canones in commonitorio legatorum, ſupervacaneum fuiſſet amplificare argumenta ad confirmandam eccleſiæ Africanæ diſciplinam quæ remorâ ſibi impoſitâ interrupta remanſit, donec Nicæna acta inventa fuiſſent.

David. pag.694. V. Davidius proponit argumentum negativum, & ait Ferrandum diaconum Eccleſiæ Carthaginenſis, & Creſconium hujus additionis mentionem non feciſſe, in ſuis breviariis canonum.

Sed reſpondeo alia multa in Africæ Conciliis & aliis fuiſſe decreta, quorum iſti autores mentionem nullam faciunt, & de quibus nemini dubium ſubolet. Præterea Dionyſius Exiguus qui Creſconio ferè centum annis antecellit, & penè æqualis eſt Ferrando, non omiſit neque antiqua collectio Romana de qua ſuprà diximus.

Pag.694. & 695. VI. Contendit Davidius eadem paginâ circa finem, ſi hæc adjunxiſſent verba epiſcopi Africæ cum ad collectionem canonum incubuerunt, neceſſe fuiſſe ea toties referri & citari, quoties canon ad quem accedunt relatus fuiſſet. Cum tamen bis repetito canone ſcilicet num. 28. & 125. hanc additionem num. 28. tantùm videamus, neutiquam verò num. 125.

Quamvis inter hos canones tota diſcrepantia exurgat ex acceſſione horum verborum: *Sicut & de Epiſcopis ſæpè conſtitutum eſt*; animadvertendum eſt num. 28. hunc canonem cenſeri noviſſimè confectum; quippè cùm ſit ex triginta tribus primis canonibus qui in codice Eccleſiæ

Africanæ

Africanæ antecedunt collectionem Conciliorum Africæ celebratorum ſub Aurelio Epiſcopo Carthaginenſi.

Quamobrem Concilij Carthaginenſis Patres anno 419. non dubitarunt addere; quemadmodum quintodecimo Canoni, de judicibus electis addiderunt multa quæ huic Canoni minimè adjuncta videntur num. 96. & 122. Porrò ita ſe res habere neceſſe eſt: quoniam hujus collectionis Canones qui poſt triginta tres primos collocantur, ſub nomine Conciliorum tempore Aurelij Carthaginenſis Epiſcopi celebratorum citantur & colliguntur: adeoque iis quicquam addere fidelitatis ac ſinceritatis Epiſcopalis non erat, ſed triginta tres primos quæ nunc primum fieri æſtimabantur emendare, ac quibuſdam acceſſionibus cumulare nihil vetabat. Patres Concilij Tridentini ab inſtitutis ejuſmodi alieniores non fuerunt. Licet enim ſuos canones ferè omnes ex antiquis Conciliis excerpſerint, iis tamen addere non dubitarunt ea, quæ rerum neceſſitas ac temporum opportunitas poſtulabat, ut hoc Concilio inſtauratam veterem Eccleſiæ diſciplinam poſteri facilè intelligerent. Si lector præ manibus Concilium Tridentinum habere velit, has citationes canonum quibus conditiones quaſdam adjunxit è regione in margine videre poteſt. Igitur omittendum non eſt quod hujus capitis initio obſervavimus ſcilicet triplicis generis canones lectos fuiſſe in Concilio Carthaginenſi anni 419. Primo triginta tres primos, ſecundo Canones Conciliorum celebratorum ſub Aurelio quæ à num. 34. incipiunt, & ad numerum 127. perducuntur, & ſummatim ſunt 94.

Tertiò, Sex ultimos in ſecundâ ſeſſione, triginta tres primi & ſex ultimi verè & propriè cenſendi ſunt Canones Concilij Carthaginenſis anni 419. Revera enim ſunt antiquiorum Conciliorum Canones, ſed recogniti, emendati, aucti, aut minuti, prout ducenti ſeptemdecim Epi-

Digitized by Google

ſcopi Africæ in hoc Concilio congregati non ſolum opus, verum etiam neceſſe eſſe judicarunt. Quæ verò ſuperſunt in hac collectione acta ſunt Concilij Hipponenſis anno 393. celebrati. Concilij Milevitani anno 402. Et quindecim Conciliorum Carthaginenſium ſub Aurelio coactorum, quæ in hoc Concilio anni 419. tantummodo relecta & confirmata fuerunt ſine additione aut minutione.

Porrò hoc Concilium eſt 16. eorum quæ ſub Aurelio celebrata ſunt. Quamobrem mirum non eſt hanc additionem de qua diſſeruimus non num. 125. ſed 28. reperiri.

I. Hic codex certiſſimum nobis ſuppeditat argumentum num. 65. ad probandum Eccleſiæ Africanæ, octodecim circiter annis ante Concilium anni 419. conſuetudinem fuiſſe abdicare Epiſcopos in Conciliis. Enimverò canon ſub hoc numero collocatus eſt Concilij Carthaginenſis celebrati 16. Kalendas Julij poſt conſulatum Styliconis ſcilicet anno 401. Huic canoni conficiendo dedit occaſionem Epiſcopus Equitius qui ante hoc tempus jam condemnatus fuerat in Concilio, & adverſus quem in Concilio anni 401. datur mandatum de executione ſententiæ adverſus eum pronuntiatæ, nullâ factâ mentione appellationis ad Apoſtolicam Sedem. Quippè nondum Epiſcopi in hanc cogitationem venerant, his temporibus quibus Eccleſiaſticam rempublicam capeſſebat Anaſtaſius, ut ſuprà oſtendimus cap. 9. & 30. hujus operis. Hæc ſunt verba Canonis.

Codex Ecclef. Afric. canon. 65.

Aurelius Epiſcopus dixit Equitij etiam olim ſuo merito Epiſcopali ſententiâ damnati non arbitror prætereundam eſſe legationis cauſam, ut ſi fortè eum in illis partibus repererit, ſit eidem fratri noſtro cura pro Eccleſiæ ſtatu, quod oportuerit vel ubi licuerit adverſus eum peragere.

Ab univerſis Epiſcopis dictum eſt, multum placet, & iſta perſecutio:

perſecutio : Maximè cum olim damnatus ſit Equitius, & ejus impudens inquietudo pro ſtatu & ſalute Eccleſiæ magis magiſque ubique repellenda, & ſubſcripſerunt Aurelius & cæteri Epiſcopi.

Dices fortaſſe ex hoc canone non intelligi Equitium fuiſſe epiſcopum : quod quidem fateri neceſſe eſt. Sed titulus hujuſce Canonis græcè & latinè ſcriptus tum in collectione Juſtelli cùm Romanâ Dionyſij Exigui ita ſe habet. *De Equitio damnato Epiſcopo.*

Præterea ſuppeditat nobis idem codex Eccleſiæ Africanæ, aliud Concilium Carthaginenſe eodem anno 401. celebratum Idibus Septembris Vincentio & Flavito conſulibus, quo ſtatutum eſt alium Epiſcopum in locum Equitij eſſe ſubſtituendum ex quo manifeſtè conſtat neminem in Africâ veniſſe in cogitationem ſervandæ diſciplinæ Sardicenſis, ſed immò mentem omnium alieniſſimam fuiſſe ab hujuſce Concilij inſtitutis circa appellationes in Epiſcoporum cauſis. *Rurſum placuit ut quoniam Hipponenſium diarectorum Eccleſiæ deſtitutio non eſt diutius negligenda & Eccleſia ibi ab his retinentur, qui Equitij facinoroſam communionem declinaverint miſſis ex Concilio præſenti Epiſcopis, Regino, Alypio, Auguſtino, Materno Thraſio, Evodio Placiano, Vrbano, Valerio, Ambinio, Fortunato, Quodvultdeo, Honorio, Ianuario, Apto, Honorato, Ampalio, Victoriano, Evangelo, & Rogatiano, conventis & correctis his qui culpabili pertinaciâ fugam ejuſdem Equitij expectandam putabant, cum omnium voto eis Epiſcopus ordinetur. Si autem illi pacem conſiderare voluerint, non impediant in eligendo ad ordinandam prapoſito utilitatem tanto tempore Eccleſia deſtituta.*

Idem codex num. 93. nobis ſuppeditat commonitorium Concilij Carthaginenſis celebrati anno 404. quo dedit in mandatis, ſuis legatis ad Imperatorem Honorium adverſus Donatiſtas ut provocarent excluſionem

Equitij & executionem decretorum quibus Sede pulſus fuerat. *Adjungendum etiam de Equitio ut improbitas ejus, qua ſibi jus Sacerdotum improbiſſimè vindicat ab Hipponenſi diarectorum diœceſi ſecundum ſtatuta Imperatorum repellatur.*

II. Certiſſimè intelligimus Eccleſiam Africanam non dubitaſſe, epiſcopum debere in Concilio ſupremæ cognitionis ſententiâ judicari, ex iis quæ geſta ſunt in Synodo Carthaginenſi celebrata anno 401. adverſus Creſconium in jus vocatum, coram Synodo univerſæ Africæ, & cui renuntiatum eſt fore ut ſententia adverſus eum lata promulgaretur ſi diutiùs ad judicium adeſſe procraſtinaret.

Codex canon Eccleſ. Afric. canon. 77. *De Creſconio Villa-Regenſi hoc omnibus viſum eſt, ut huic quoque Primati Numidiæ intimetur quo cognoſcat memoratum Creſconium ſcriptis ſuis conveniendum eſſe ut proximo univerſali Africano Concilio ſuam præſentiam non differat exhibere; quod ſi venire contempſerit, in ſe cognoſcat ſententiam promulgandam.*

III. Habemus in hoc codice Eccleſiæ Africanæ, Canones Concilij Milevitani celebrati anno 402. Quod nobis ſuppeditat exempla duo inſignia, ex quibus mirabiliter perſpectam habemus Conciliorum autoritatem in dirimendis Epiſcoporum cauſis.

Primum exemplum refertur num. 87. hujus codicis quo interdictum eſt omnibus communicatione cum Quodvultdeo Epiſcopo Centurienſi, donec ejus cauſa finita ſit, cùm antea Epiſcopatu eum ſpoliare juſtum non videatur.

Ex quo manifeſtè conſequitur, Epiſcopos, qui huic Concilio aderant, non dubitaſſe, quin jus haberent & autoritatem coepiſcopos abdicandi. Hic canon ſic ſe habet. *De Quodvultdeo etiam Centurienſi quomodo adverſarius ipſius eum ſe petiſſet introduci ad Concilium noſtrum, interrogatus*

utrum

utrum cum eo vellet apud Epiſcopos experiri, primo promiſerat, & alio die reſpondit hoc ſibi non placere, atque diſceſſit, placuit omnibus Epiſcopis ut nullus eidem Quodvultdeo communicet, donec cauſa ejus qualem potuerit terminum ſumat. Nam adimi ei Epiſcopatum antequam cauſa ejus exitus appareret nulli Chriſtiano videri jure potuiſſet.

Altero canone ejuſdem Concilij licentia datur Maximiano Epiſcopo Bagayenſi, abdicandi ſe Magiſtratu Epiſcopali; & ejuſdem plebi eligendi alterum antiſtitem. *De Maximiano autem Bagayenſi, & ad eum & ad ipſam plebem placuit de Concilio litteras dari, ut & ipſe de Epiſcopatu diſcedat, & illi ſibi alium requirant.* Dicat jam nobis Davidius an ita liceat loqui judicibus, qui de ſupremâ ſuâ autoritate dubitant? Codex Can. Eccleſ. Afric. Can. 88.

IV. Videmus & in hoc codice Canones Concilij Carthaginenſis, habiti anno 408. ſcilicet glorioſiſſimis Imperatoribus Honorio ſeptimo & Theodoſio II. Auguſt. Coſſ. Idibus Junij, ex quo habemus integram actionem litis adverſus Maurentium Epiſcopum, num. 100. his verbis expreſſam. *Ad ſuggeſtionem vel poſtulationem Epiſcopi Maurentij cum lecta fuiſſet ſcheda quam obtulit Epiſcopus Placentinus qui perſonam legati Numidarum geſtabat, recitata eſt in conſpectu Epiſcoporum, & cùm quærerentur hi, quos adeſſe voluit à Diaconis pro foribus, id eſt ſeniores à novâ Germaniâ, ac minimè invenirentur, ſecundò vel tertiò requiſiti: Propterea cenſuit ſanctum Concilium ut litteræ ad eundem ſenem Xantippum prorogentur, quo noverit voluntati plebis memoratæ nullo modo injuriam Epiſcopi ſuccumbendum. Maurentius Epiſcopus dixit: Quoniam requiſiti ſunt ſeniores à novâ Germaniâ ſecundò ac tertiò, & non ſunt inventi quibus præceptum erat à Primate ut occurrerent ad venerabile Concilium quod nunc agitur Idibus juniis, ſui abſentiam procurarunt, idcirco decernat ex hac re aliquid ſanctitas veſtra ne ſub moleſtiâ calumniæ ipſo-* Codex Canon. Eccleſ. African. Can. 100.

rum, innocens videar laborare: Concilium ſanctum ſtatuit, debuiſſe quidem ſecundum cenſuram Sacerdotalem ex hoc Concilio adverſus contumaces ferri ſententiam, ſed quia manſuetudo Eccleſiaſticæ ſervanda eſt in omnibus cauſis, promiſſæ ſunt litteræ ad ſenem Xantippum, ut noverit judices de Concilio electos ſine dilatione conſiderare debere in civitate Thuburſiſenſi ut negotio congruum adhibeatur examen. Maurentius Epiſcopus dixit. Iudices peto ſanctum ſenem Xantippum, Sanctum Auguſtinum, Florentium, Thraſium, Sanſutium, Secundum, & Poſſidium, hos decerni mihi jubeatis; ſanctum Concilium Iudices poſtulatos, reliquos autem judices ad complendum numerum neceſſarios eligentibus ipſis ſenioribus à novâ Germaniâ ſenex Xantippus curavit decernere.

Ex hac relatione duo intelligimus. Primò, Epiſcopum qui ad judicium Synodi ſe ſiſtit. Secundò, adverſariis ejus abſentibus, remiſſum negotium ad ſequeſtros quos revera eligit, ſed quibus judicandi poteſtas à Concilio delegatur.

Quamobrem ait, *hos decerni mihi jubeatis*, ex quo nihil admiratione dignum videtur, ſi ab electis judicibus appellare non liceret, ac ſupremæ cognitionis ejuſmodi judices audirent; quippè cùm ex hoc Canone perſpicimus poteſtatem ſive autoritatem judicandi Concilio acceptam referre debuiſſe.

V. Difficile eſſet invenire lites aut negotia quæ magis ad jus Eccleſiaſticum olim pertinuiſſe videantur, quam contentiones ſeu concurſationes epiſcoporum de ſuarum Diœceſum ſeu Parœciarum limitibus. Ejuſmodi autem cauſarum genera in Conciliis tractata ac ultimo cognitionis judicio terminata fuiſſe ab Epiſcopis provinciæ à Primate nominatis, aut à vicinis epiſcopis electis ex hoc codice diſcimus num. 120. quo refertur canon Concilij Carthaginenſis anno 418. celebrati.

Item

Item placuit ut quicunque epiſcopi plebes quas ad ſuam Cathedram exiſtiment pertinere, non ita repetunt ut cauſas ſuas Epiſcopis judicantibus agant, ſed alio retinente irruerint ſive volentibus ſive nolentibus plebibus cauſa ſua detrimentum patiantur. Et quicunque jam hoc fecerint ſi nondum eſt inter epiſcopos finita contentio, ſed adhuc inde contendunt: ille inde diſcedat quem conſtiterit prætermiſſis judiciis Eccleſiaſticis irruiſſe, nec ſibi quiſque blandiatur ſi à Primate ut retineat litteras impetravit, ſed ſive habeat litteras accipiat, & eum appareat pacificè tenuiſſe Eccleſiam ad ſe pertinentem. Si autem ille aliquam quæſtionem retulerit per Epiſcopos judices cauſa finiatur: ſive quos eis Primates dederint, ſive quos ipſi vicinos ex conſenſu elegerint.

Præterea nihil in hoc codice de epiſcoporum judiciis inveniri poteſt. Porrò rectæ rationi valdè congruum videtur ex his colligere Eccleſiam Africanam nunquam approbaſſe appellationes ad Sedem Romanam in Epiſcoporum cauſis; immò verò mentem ejus ab hac diſciplinâ ſemper alieniorem fuiſſe; quippè ſuis legibus contrariâ, nulliſque aliarum provinciarum Canonibus ſtabilitâ ut patet ex Epiſtolâ ducentorum ſeptemdecim epiſcoporum ad Papam Cœleſtinum. Nam ut aliqui tanquam à tuæ ſanctitatis latere mittantur, nulla invenimus Patrum Synodo conſtitutum. Ex his enim verbis ſatis intelligimus decretum Concilij Sardicenſis nequidem in mentem eorum incurriſſe.

CAPUT

CAPUT XLI.

Examinantur obſervationes Davidij ad intelligentiam Hiſtoriæ Concilij Carthaginenſis anni 419.

OMNES Docti tam Eccleſiæ Catholicæ quam diverſæ partis ſcriptores, non derogatâ fide actis Concilij Carthaginenſis, de quo mox diſſeruimus, æſtimaverunt, Celebrationis ejus diem incidere in annum Chriſti 419. Quoniam omnes veteres codices manuſcripti & hujus Concilij editiones teſtificantur, celebratum fuiſſe, *poſt conſulatum glorioſiſſimorum Imperatorum Honorij XII. & Theodoſij VIII.* Verùmtamen [a] Davidius ſui libri capite undecimo articulo primo arbitratur neceſſe eſſe hujus Concilij inchoationem rejicere ad annum 418. Sicque uno anno antevertere epocham, in actis expreſſam. Ego verò cum primùm animadverti Davidium obfirmato pectore propugnare ſententiam ſuam, contra fidem & teſtimonium actorum, non dubitavi quin incurrerit in manus ejus codex quidam manuſcriptus, quo omnium doctorum ſententiam facile frangeret. Sed nihil magis eſt ab inſtitutis ejus alienum; ſatiſque eſſe putat adferre conjecturas quaſdam, rectæ rationi parum congruentes, & quæ ad quæſtionem nominis recidant: quas tamen examinare expedit.

[a] Pag. 577.

I. Davidius dicit niſi celebratio hujus Concilij anno integro antevertat diem cui adſcribi ſolet: non poſſe conciliari hujus Synodi titulum cum initio eorundem actorum.

Enimverò ex titulo intelligimus huic Concilio adfuiſſe tantùm

tantùm viginti duos legatos non omiſſis legatis Sedis Apoſtolicæ, & ex initio actorum adfuiſſe ducentos ſeptemdecim Epiſcopos. Adeoque neceſſe eſſe videtur invenire tempus quo viginti duo tantùm legati huic Concilio adfuerint, & alterum quo bis centum & ſeptemdecim. Ideò contendit hoc Concilium initium habuiſſe anno 418. Et tunc temporis 22. legatos tantùm interfuiſſe, prorogatum verò fuiſſe ad annum 419. quo 217. Epiſcopi adfuerunt.

Verumenimverò Titulus Synodi cum actis non difficiliter conciliari poteſt, nec opus eſt amplificare Seſſiones hujus Concilij. Reverà enim titulus præ ſe fert hoc Concilium celebratum fuiſſe coram legatis Eccleſiæ Romanæ & viginti duobus aliarum provinciarum legatis: ſed neutiquàm habet, viginti tantummodo legatos huic Concilio adfuiſſe, ſeu ex his 22. Patribus conſtitiſſe.

Quippè titulus ex actis ipſis hujuſce Concilij exceptus eſt ex quibus conſtat huic Concilio interfuiſſe Aurelium cum Valentino, Fauſtino legato Romanæ Eccleſiæ, aliis provinciarum Africæ legatis, ſcilicet viginti duobus, & aliis ducentis ſeptemdecim epiſcopis, cum Philippo & Aſello presbyteris Eccleſiæ Romanæ legatis. Jam ergo perpendat ipſe Davidius, utrum hæc acta ſecum ipſa congruant, ut ea cum titulo accomodet. Relegat, inquam, & acta & titulum, & intelligat nullam exurgere repugnantiam ex eo quod viginti duo legati & ducenti ſeptemdecim Epiſcopi Synodo ſimul interſint.

II. Contendit ex ipſis hujuſce Concilij actis huic Seſſioni quæ prima videtur, neceſſe eſſe alteram antecedere. *Aurelius dixit poſt diem præſtitutam Concilij ut recordamini fratres beatiſſimi multa flagitata ſunt expectantes fratres noſtros qui nunc ad præſentem Synodum legati advenerunt.* Non enim veriſimile eſt ita loquutum fuiſſe Aurelium, niſi Seſſione quadam præcurrenti, David. pag. 578.

legatos de die in diem eſſet præſtolatus, *poſt diem præſtitutam.*

Reſpondeo Davidium Aurelij ſtylo non eſſe aſſuetum. Nullus enim hominum in dubitationem venit, quin vera ſit dies aſcripta primæ Seſſioni Concilij Carthaginenſis celebrati anno 397. cujus acta habentur in codice Eccleſiæ Africanæ ex quibus intelligimus his verbis præfatum eſſe Aurelium. *Poſt diem præſtitutam Concilij conſedimus ut recordamini fratres beatiſſimi, & arbitrabamur omnium provinciarum per Africam legationes conveniſſe ad diem ut dixi præſtitutam noſtri tractatus.*

Nollem tamen negare ante initium Concilij habitam fuiſſe quandam congregationem præviam ad negotia in Concilio tractanda inſtructam. Hoc enim nos docent acta Concilij alterius habiti anno 403. Quæ ſic incipiunt. *Et licet heſterno die de hac re conſidentibus nobis præter geſta Eccleſiaſtica diligentius quæ geſſerint tractaremus, hodie tamen oportet tractatum heſterni diei actis Eccleſiaſticis confirmari.* Itaque non dubito mentionem factam fuiſſe rerum in Concilio Carthaginenſi anni 419. tractandarum in quibuſdam comitiis hujus Concilij celebrationi, ſeu inchoationi præviis, ad hæc negotia ſpeciatim inſtructis. Sed hinc neutiquam conſequitur verum diem primæ Seſſionis hujus Concilij non eſſe in acta relatum; & neceſſe eſſe recognoſcere aliquam Seſſionem, quæ illi quæ prima videtur & intelligitur ex actis, antecedat. Hac induſtriâ & ſubtilitate Davidius omnibus Conciliorum inſtrumentis quæ ſuperſunt fidem abrogabit, falſoque iis adſcriptos dies probare non pertimeſcet. Quippè cùm credibile ſit in anterioribus comitiis inſtructa fuiſſe negotia & diſpoſita priuſquam in Conciliis tractanda proponerentur. Nemini homini uſque hodie in mentem venit, verum diem primæ Seſſioni magni Concilij Epheſini anni 431. non eſſe adſcriptum, atque hujuſce Concilij actis fidem

fidem habendam non eſſe. Quamvis ex iiſdem intelligamus mandatum fuiſſe quibuſdam epiſcopis in anteriore congregatione, ut admonerent Neſtorium de die, quo Concilio initium fieret, & ſe coram ſiſteret. Cum præſertim etiam fidem faciant eadem acta Epheſina ſpatio ſexdecim dierum expectatos fuiſſe, antequam prima Seſſio haberetur, quoſdam epiſcopos, qui nondum Epheſum advenerant; quo tempore negotia in Concilio tractanda & deliberatione patrum agitanda diſpoſita atque inſtructa fuerãt. Enimverò ex actorum lectione intelligimus hæc omnia extra omnem dubitandi aleam eſſe poſita. Ex his enim planiſſimè conſtat Memmonem Epiſcopum Epheſi dixiſſe *à præfinita die à piis & religioſis litteris præteriiſſe ſexdecim dies.* Hermogenem Epiſcopum Rhinocurorum rationem reddidiſſe ſibi impoſitæ provinciæ in antecedente congregatione ut admoneret Neſtorium, de die dictâ ad initium Concilij, ne à Synodi conſeſſu abeſſe vellet. *Hermogenes Rhinocurorum Epiſcopus dixit: Heſterno die à veſtra pietate deſtinati ſumus ut religioſiſſimum Neſtorium ne à Synodi conſeſſu abeſſe vellet moneremus, &c.* treſque alios epiſcopos idem præſtitiſſe ſcilicet Athanaſium Epiſcopum Parœliæ, Petrum Epiſcopum Parembolorum, Paulum Epiſcopum Lempæ.

Acta Cõcilij Epheſini parte 2. tom. 2. Binij pag. 171.

III. Contendit Davidius ſi nulla Seſſio ei quæ Prima in acta Concilij Carthaginenſis 419. refertur anteceſſiſſet: nihil fore magis à ſenſu communi alienum hoc Sermone, quo Aurelius hanc Synodum orditur, *ſupereſt etiam ut exemplaria Nicani Concilij quæ nunc habemus in medium proferantur.* Quippè cum incogitabile videatur ordiri deliberationem hac voce *ſupereſt.* Equidem verum eſt, & fateri neceſſe, hunc deliberationis inchoandæ modum inſolentiorem videri, ſi nulla prævia comitia habita ſunt, inſtructa ad negotia in Concilio tractanda. Sed quoniam hujuſce Concilij inſtrumenta hæc omnia teſti-

ficantur, non opus eſt contra actorum fidem illud novæ Seſſionis acceſſione amplificare. Reverà enim intelligimus ex verbis Fauſtini legati ſummi Pontificis congregationem præviam habitam fuiſſe, in qua negotia in hoc Concilio tractanda inſtructa & diſpoſita fuerunt.

Injuncta ſunt, inquit, *à ſede Apoſtolicâ aliqua per ſcripturam, aliqua etiam in mandatis cum veſtrâ beatitudine tractanda ſicut & geſtis ſuperioribus meminimus. Hoc eſt de Nicænis canonibus.* Ex verbis Alipij ſimiliter diſcimus rerum hujuſce Concilij 419. mentionem factam fuiſſe in anteriori Concilio anni 418. *Alypius Epiſcopus Thagaſtenſis legatus provinciæ Numidiæ dixit de hoc jam ſuperioribus etiam litteris, Concilij noſtri reſcripſimus, & id nos ſervaturos profitemur, &c.* Quæ mirificè confirmat epiſtola Patrum Concilij 419.

Codex Juſtelli Eccleſ. Afric. pag. 42.

Ad Bonifacium Papam, *Iam priore anno etiam litteris noſtris ad eundem venerabilis memoriæ Sozimum epiſcopum datis inſinuare curavimus.* Si nobis ſuppeterent litteræ ad Sozimum hujuſce hiſtoriæ explicationi, dubio procul, plurimum conducerent.

IV. Poſtquam Davidius ad libitum fictam narravit hiſtoriam Concilij Carthaginenſis, contendit Seſſionis primæ diem verum, anno integro antevertere tempus huic Seſſioni in actis Concilij adſcriptum, & huic Seſſioni viginti duos legatos tantummodo adfuiſſe à Concilio Carthaginenſi anni 418. deputatos. Ut patet ultimo canone hujus Concilij ſcilicet 127. codicis Eccleſiæ Africanæ.

Ex quibus conficitur ad mentem Davidij deputatos ultimo canone Concilij Carthaginenſis anni 418. fuiſſe hos viginti duos legatos qui Concilio cognomini anno 419. ſequenti interfuerunt.

Sed hoc eſt à veritatis inſtitutis alieniſſimum. Concilio enim Carthaginenſi anni 418. non aderant viginti duo deputati

deputati ſed tantùm, quindecim ut patet ex teſtificatione 127. canonis, collectionis Africanæ. Alia etiam hujuſce Concilij inſtrumena huic num. 22. repugnare videntur, quoniam quindecim tantùm mentionem faciunt. Acta enim ejuſmodi præ ſe ferunt eligendos eſſe ex qualibet provinciâ tres epiſcopos. *Item placuit ne diutius univerſi epiſcopi qui ad Concilium congregati ſunt tenerentur ab univerſo Concilio judices ternos de ſingulis provinciis eligi.* At verò electis ex qualibet provinciâ tribus Epiſcopis numerus tantùm quintus decimus conficietur. Quoniam huic Concilio aderant tantùm deputati quinque provinciarum, & unicum ſolebat deputare provincia Tripolita- I.
na. *Et electi ſunt de provincia I. Cathaginenſi 1. Vincentius,*
2. Fortunacianus, & 3. Clarus : De provinciâ II. Numidiæ 4. Aly- II.
pius, 5. Auguſtinus , & 6. Reſtitutus : De provincia III. Biſa- III.
cena 7. Creſconius 8. Iocundus, 9. Æmilianus, cum ſancto ſene
10. Donatiano : De IV. Mauritania Sitifenſi, 11. Severianus, IV.
12. Aſiaticus & 13. Donatus : De provincia V. Tripolitana V.
14. Plautius qui ex more legatus unus eſt miſſus, qui omnes
cum ſancto ſene 15. Aurelio univerſa cognoſcant, &c. Omnes ſciunt Geographi diviſam fuiſſe in ſeptem provincias totam Africam, ex quibus tres Mauritaniæ nuncupabantur. Erant igitur 1. Mauritania Tingitana, 2. Mauritania Cæſarienſis, 3. Mauritania Sitifenſis, 4. Numidia, 5. Carthaginenſis ſive proconſularis, 6. Bizacena, & 7. Tripolitana. In hac deputatione nulla fit mentio Mauritaniæ Cæſarienſis neque Tingitanæ, ex quibus ſex deputati exurgerent, quæ licet ſubaudirentur unum & viginti deputatos conficerent tantùm. Quoniam hic numerus ex ſex & quindecim conficitur, ad quem ſi tres legati Papæ, ſcilicet Fauſtinus, Marcellus & Aſellus accedunt, numerus exurget vigeſimus quartus, & nunquam vigeſimus ſecundus conficietur.

Nec obſtat Davidium dicere adjunctis tribus legatis

Papæ tribus legatis cujuſlibet provinciæ ex ſeptem, exceptâ Tripolitanâ quæ unum tantùm mittere ſolebat, confici numerum vigeſimum ſecundum. Omittendum enim non eſt quartum deputatum fuiſſe ex provinciâ Bizacena ſcilicet Donatianum, ex quo ſit vigeſimus tertius: cum Aurelio Carthaginenſi Primate qui vigeſimum quartum conficit. Quæ cum ita ſint, Arithmeticè demonſtratur, Davidium nunquam poſſe probare, tantùm viginti duos epiſcopos deputatos fuiſſe ultimo Canone Concilij Carthaginenſis anno 418.

Sed præterea obfirmato pectore contendo, dùm decernitur Concilio Carthaginenſi anno 418. tres epiſcopos eligendos eſſe ad negotia ultima terminatione concludenda, ex qualibet provinciâ Africæ, hoc non poſſe intelligi de legatis qui Concilio Carthaginenſi adfuerunt anno 419. Ex cujus actis perſpicimus viginti quinque deputatos interfuiſſe. Erant tredecim ex ſolitariâ provinciâ proconſulari & duo ex Mauritaniâ Sitifenſi: Denique ſeſſione ſecundâ hujus Synodi ex ſeptem provinciis deputati interfuiſſe non videntur. Quippè nulla fit mentio deputatorum ex provinciâ Tripolitanâ & Mauritaniâ Tingitanâ ut patet ex ſectione exordij ſecundæ ſeſſionis habitæ 3. Kalend. Junias poſt conſulatum glorioſiſſ. Imperatoris Honorij XII. & Theodoſij VIII. id eſt anno 419. menſis Maij 29. Reverà ex ſeptem provinciis deputati adfuiſſe videntur ſeſſioni primæ quæ diebus quatuor ſecundam antevertit. Ex actis enim patet miſſos fuiſſe ex duabus 2. Numidiis, 3. Bizacena, 4. Mauritania Sitifenſi, 5. Mauritania Cæſarienſi, 6. Tripolitanâ, & provincia 7. proconſulari. De Mauritania Tingitanâ nulla fit mentio quia fortè ex politiâ civili Hiſpaniarum præfecto ſubjiciebatur. At verò numerus deputatorum ſpeciatim non eſt relatus. Acta ſolùm teſtificantur adfuiſſe ſummatim bis centum & ſeptemdecim Epiſcopos. Ex quibus apertè colligimus neminem.

neminem hominem probare poſſe deputatos in Concilio Carthaginenſi anno 418. initium feciſſe ſequenti Concilio anno 419. atque ejus primam Seſſionem inſtituiſſe.

Cæterùm non multum laborandum eſt in conciliatione tituli cum actis hujuſce Concilij. Quoniam hic titulus ferè nihil attinet. Nec enim occurrit in antiquis codicibus manſſ. Juſtelli, neque Vvendelſtini, nec in collectione Dionyſij Exigui, aut Græca verſione codicis Eccleſiæ Africanæ.

CAPUT XLII.

Cauſa Maximi Valentini Epiſcopi multis criminibus poſtulati, coram Bonifacio Primo circa annum Chriſti 419.

HISTORIAM Valentini Epiſcopi, ex Epiſtolâ 1. Bonifacij I. ad Epiſcopos Galliarum ſcripta intelligimus, idibus Junij coſ. Monaxio ſcilicet anno 419. poſt conſulatum Honorij 12. & Theodoſij 8. ideſt diebus quatuordecim aut quindecim poſt ultimam Seſſionem Concilij Carthaginenſis de qua ſuprà diſſeruimus. Tom. 1. Concil. Sirmondi pag. 48.

I. Hac Epiſtolâ nos docet Pontifex clericos Diœceſis Valentinæ gravioribus criminibus duobus hunc Epiſcopum accuſaſſe, & propterea nomen ejus ad Romanam Sedem detuliſſe. Quorum unum erat hæreſis Manichæorum ad quos defeciſſe dicebatur: Alterum homicidium. Porrò homicidium adeò palam ac publicè commiſiſſe cenſebatur, ut etiam à judicibus ſæcularibus reprehenſus & exagitatus fuerit. Alia multa non deerant crimina; ſed minus gravia videbantur.

II. Intelligimus etiam antequam Bonifacius Petri Cathedram

thedram occuparet, Anteceſſores Romanos Pontifices hujus negotij & criminationum infinitarum cognitionem epiſcopis provinciæ delegaſſe. *Delegatâ toties cognitione*, inquit Bonifacius, *illum conſtituta ſemper ſubterfugiſſe judicia, nec confiſum conſcientia feſtinaſſe ut ſi eſſet innocens examinatis omnibus purgaretur. Quæ toties decreta veſtrarum quoque chartarum inſtructione cognovimus. Qui è contrario probavit de ſe illa quæ dicta ſunt, qui adeò confutanda cum eſſent innumera à deceſſoribus meis provinciali delegata cognitione conventus etiam dicitur evitaſſe, & adeſſe minimè voluiſſe.*

III. Patet Maximum noluiſſe ſe ſiſtere in judicium coram ipſo Bonifacio Papa; *qui audiendus hîc præſentare ſe noluit, ne convictus forſitan ab accuſantibus ſe clericis poſſet digna tandem aliquantulo præſentatus epiſcopali judicio pronuntiationis congruè feriri ſententiâ.*

IV. Patet etiam Pontificis Romani mentem fuiſſe ſe debuiſſe hunc Epiſcopum judicare; ſed melius fuiſſe, eum comperendinare ne judicium præceps ac temerarium videretur, aut reus quereretur de ſibi denegata prorogatione ad tuendam & ſuſtendandam cauſam ſuam. *Debueram quidem jam nunc digna pro ejus accuſationis in noſtro judicio actibus qui cognitionem & decretum judicium ſæpè declinando credidit illudendum ferre ſententiam. At ne aliquis forſitan præcoquam judicaret, & ſibi qui abſens eſt licet ſit quæſitus, à nobis reſervatum eſſe nihil diceret, maluimus intercapedine temporis differri.* Reverà enim Papa non recuſavit, *Dilationem tamen dedimus.*

Hæc omnia nobis vehementer perſuadere videntur Bonifacium Papam non dubitaſſe de ſuo jure, ad judicium de epiſcopo Valentino ferendum. Verumtamen ex continuo Sermone epiſtolæ intelligimus noluiſſe judicare, ſed immò palam declaraſſe penes Galliarum epiſcopos in Synodo provinciali congregatos hanc judicandi poteſta-

tem

tem exiſtere. *Et decrevimus veſtram debere intra provinciam eſſe judicium.*

Porrò ex his omnibus colligimus Pontifices Romanos, quamvis his temporibus ſibi vindicare inciperent jus ac poteſtatem judicandi Epiſcopos, hoc tamen jure nondum conſtanter & liberè uſos eſſe; ſed inviolatâ conſuetudine antiquæ Eccleſiæ eos ad Concilium Provinciale remiſiſſe, dum ad Romanæ Sedis judicium ſe ſiſtere renuebant. *Et congregari Synodum ante diem Kalendarum Novembrium ut ſi adeſſe voluerit, præſens ſi confiteri eum de crimine, qui indulto & toties delegato judicio, purgandi ſe occaſione non utitur.*

Davidius hæc verba Epiſtolæ Bonifacij ſuis rationibus plurimum conducere putat. David. pag. 703.

Quicquid autem veſtra charitas de hac causâ duxerit decernendum cum ad nos relatum fuerit noſtra, ut condecet, neceſſe eſt autoritate firmetur. Enimverò inquit Davidius, hæc ſcribendi ratio nos docet Bonifacium ab Epiſcopis Galliæ hoc efflagitaſſe documentum ſeu relationem, quoniam penes ſe ſolitarium, eſſe non dubitabat jus ſupremæ cognitionis judicio dirimendi cauſas, ſive illos declarandi culpa liberos, aut eidem obnoxios. David. pag. 703. linea 23.

Sed immò ex his verbis aſſumere debemus argumentum certiſſimum, ad probandum Romanum Pontificem hoc ſummum jus ſibi neutiquam, juſtis de cauſis, arrogaſſe.

I. Cum ait *neceſſe eſſe* hoc judicium autoritate Pontificia firmari, ſummam neceſſitatem non intelligit, ſed condecentiam quandam *noſtra, ut condecet, neceſſe eſt autoritate firmetur.*

II. Hoc verbum *firmetur* non arguit ſuperiorem autoritatem adverſus Tribunal cujus decreta confirmantur. Nam ſemper incogitabile viſum eſt Concilium Carthaginenſe, in quo legati Sozimi Canones Sardicenſes nomine

O 9 Nicæno

Nicænorum citaverunt, eſſe ſupra Nicænum. Quamvis Aurelius ſpondeat fore ut Canones Nicæni in hoc Concilio Carthaginenſi confirmentur ſi vere Nicæni Concilij eſſe comprobentur. *Ea capitula quæ in commonitorio, præſens frater & coepiſcopus noſter Fauſtinus, ſed & compresbyteri Philippus & Aſellus ſecum attulerunt aut ibidem reperta à nobis firmabuntur, aut ſi non inveniantur collectâ Synodo de hoc in ſequenti tractabimus.* Inſuper dato non conceſſo, ad mentem Davidij, Concilium Sardicenſe eſſe Oecumenicum, incredibile eſt Patres in hoc Concilio congregatos ſibi perſuaſiſſe reliquos orbis univerſi epiſcopos ſingulatim, eſſe ſuperiores ejuſmodi Concilio.

Codex Canon. Eccleſ. African. pag. 57. 1. edit. Juſtelli.

Attamen hoc Concilium ſcripſit Epiſtolam Synodicam ad omnes epiſcopos ſingulatim, qua geſtorum ſuorum confirmationem ab iis poſtulavit, ut intelligimus ex fragmentis S. Hilarij. *Curate etiam dilectiſſimi fratres & conſacerdotes quaſi præſenti Spiritu huic interfueritis Synodo, omnia quæ à nobis inſtituta ſunt confirmare per litteras veſtras.* Ad hunc ſenſum Stephanus Epiſcopus Epheſi, qui ſibi nunquam arrogavit ſuperiorem poteſtatem Concilio Chalcedonenſi, geſta hujus Concilij confirmat ſuper controverſiâ inter Juvenalem Hieroſolymitanum & Maximum Antiochenum, ortâ de duabus Phœniciis Arabiâ & tribus Paleſtinis; & ſic fatur, *Confirmo quatenus utraque Eccleſia de cætero nullius habeat contentionis occaſionem.* Adeóque dum Bonifacius ait neceſſe eſſe ut judicium Epiſcoporum Galliæ, ſua autoritate firmetur, neutiquam intelligit juridicialem confirmationem quæ ſuperiorem poteſtatem ſignificet.

Fragmenta S. Hilarij pag 437.

Concil. Chalced. act. 7. pag. 272. edit. Bin. 1618.

III. At verò cum hoc verbum, *firmetur,* ſuperiorem juriſdictionem non ſignificet, Argumentum obedientiæ aut conſenſus ſit neceſſe eſt, ut patet ex Epiſcopis Africæ qui cùm Canonum Nicænorum confirmationem pollicentur, iiſdem obtemperationem promittebant, ſcilicet ſe

ſe admiſſuros his legibus ſancitam diſciplinam. Idem ſibi vult Bonifacius Epiſtolâ ad Epiſcopos Galliæ. Et dum ait, *neceſſe eſt*, de neceſſitate videtur loqui omnibus impoſita obtemperandi judicio ab iis Epiſcopis pronunciando, neutiquàm verò de neceſſitate quæ judicium ratum firmumque reddat.

IV. Hanc explicationem mirificè comprobat ipſa Bonifacij Epiſtola, & ejuſdem agendi ratio. Enimverò ſi fuiſſet ſuperiore autoritate hoc Concilio potitus, recenſione ſponsâ negotij hujus, fuiſſet pariter pollicitus hoc judicaturum ad normam juris & rectæ rationis. Sed fidem ſuam obligat ad qualemcunque eorum ſententiam confirmandam, ſive illa reus condemnetur, ſive ab omni culpâ liber pronuntietur.

Igitur tali & omnino ſimili agendi ratione ſe habet hic Pontifex adverſus Epiſcopos Galliæ; quali ſe geſſerant Epiſcopi Africæ erga Patres Concilij Nicæni. Licèt enim appellationum diſciplina uſibus ac conſuetudini eorum vehementer repugnaret, hanc ſe confirmaturos pollicebantur, ſcilicet admiſſuros, & ei obtemperaturos, dummodo Concilij Nicæni inſtitutis congrueret.

Igitur ex hac Epiſtolâ Bonifacij, quæ unicum eſt antiquitatis inſtrumentum, ex quo negotium Maximi, Valentini Epiſcopi intelligamus; tantùm colligere poſſumus, his temporibus, ſcilicet ineunte quinto ſæculo, Pontifices Romanos tentaſſe vires ſuas, ut ſe Epiſcoporum ſupremos judices conſtituerent, ſive jus illorum cauſas ultimæ cognitionis judicio dirimendi, ſibi vindicarent.

Digitized by Google

CAPUT XLIII.

De Causâ Antonij Fuſſalienſis Epiſcopi & appellatione ejus ad Cæleſtinum Papam I. circa annum Chriſti 423. vel 424.

EXPOSITIS omnibus difficultatibus quas recenter examinavimus ad Concilium Carthaginenſe anni 419. de epiſcoporum appellationibus ad Apoſtolicam Sedem, & Epiſtolam quam hujuſce Concilij Patres Cœleſtino Papæ reſcripſerant, poſtquam ab Attico Conſtantinopolitano, & Cyrillo Alexandrino citatos Canones in commonitorio legatorum Eccleſiæ Romanæ Fauſtini, Philippi, & Aſelli exemplaribus græcis non congruere reſciviſſent, ingenuè fatetur Davidius veram mentem Epiſcoporum Africæ in hoc Concilio fuiſſe, omninò condemnare & abrogare uſum appellationum ad Sedem Apoſtolicam in Epiſcoporum & preſbyterorum cauſis.

David. pag. 662. in fine.

Inſuper ſibi perſuadet hoc in caſu, hos epiſcopos nec bonâ fide, nec ſinceritate caruiſſe; ſed oratione continenti „ ſic fatur. Equidem credo huic abrogationi in ipſamet „ Africâ locum non fuiſſe. Et pag. 664. Enimverò ani„ madvertimus, tempore circiter hujus abrogationis, ſub „ eodem Pontifice Romano, quo promulgata fuit: ce„ leberrimum non ſolum Africæ, verum etiam univerſæ „ Eccleſiæ epiſcopum, ſcilicet S. Auguſtinum, qui hujus „ controverſiæ principio interfuerat, non obſtitiſſe, immò „ verò annuiſſe appellationi Antonij Fuſſaliorum Epi„ ſcopi, à judicio Synodi provincialis ad Apoſtolicam „ Sedem.

David. pag. 663. initio.

David. pag. 664.

Primâ fronte reſpondere poſſem, cùm Antonius appellaverit

laverit antequam Africani Cœleſtino Papæ ſcripſerint, aut litteras acceperint ab Attico Conſtantinopolitano, & Cyrillo Alexandrino de exemplaribus græcis Concilij Nicæni; mirum non videri, ſi Sanctus Auguſtinus & cæteri Africæ epiſcopi huic appellationi non obſtiterint. Quippè cum Bonifacio Papæ polliciti eſſent, ex decreto Concilij Carthaginenſis, ſervaturos ſe *pauliſper* hanc appellationum diſciplinam, donec intellexerint ex inventis exemplaribus Concilij Nicæni, an vera eſſet citatio Canonum Nicænorum in commonitorio Legatorum Sozimi. At nemo dubitare poteſt, hanc appellationem Antonij Fuſſalienſis Epiſcopi anteceſſiſſe acceptioni litterarum Attici & Cyrilli. Quippè cùm [a] S. Auguſtinus nos doceat Antonium hac de causâ confugiſſe ad Bonifacium Papam primum cum litteris commendatitiis Numidiæ Primatis. *Quam verſutâ ſuaſione, inquit S. Auguſtinus, ſanctum Senem primatem noſtrum graviſſimum virum ut ei cuncta crederet quem velut omnimodo inculpatum venerando Papæ Bonifacio commendaret induxerit, &c.* Et præterea certum ſit acceptas non fuiſſe litteras Attici & Cyrilli ante Pontificatum Cœleſtini, quippè cùm has ſe accepiſſe ipſimet Pontifici Africani reſcripſerint, ſeu renunciaverint.

[a] Epiſtol. 261.

Sed & valde veriſimile eſt, has litteras acceptas nondum fuiſſe ineunte tempore Pontificatus Cœleſtini: nec alias ad eum reſcriptas ab Africanis, quoniam conſenſus S. Auguſtini appellationi Antonij Fuſſalienſis, cum his litteris Africanorum concurreret. Epiſtola enim 261. S. Auguſtini ad Cœleſtinum eſt congratulatoria ob ſuam ad Petri Cathedram elationem. *Primam gratulationem reddo meritis tuis quod te in illâ ſede dominus Deus noſter ſine ulla ſicut audivimus plebis ſuæ diſceſſione conſtituit*, adeoque in inſulſam ac ridiculam laberetur S. Auguſtinus repugnantiam. Nam Apiarij causâ diſciplinæ appella-

tionum intercederet, & eidem Antonij Fuſſalienſis gratiâ, ſimul annueret. Igitur hæc appellatio Antonij Fuſſalienſis, Epiſtolæ Africanorum ad Bonifacium Papam antecedat neceſſe eſt, & nunciis de exemplaribus Nicænis ab iiſdem Epiſcopis acceptis, per litteras Attici & Cyrilli. Quæ cum ita ſint, medio ac ſubciſivo tempore collocabitur hæc appellatio Antonij, quo Africani admiſſuros *ſe paulisper* hanc diſciplinam promiſerant, donec exemplaria græca Concilij Nicæni comparari poſſent.

Quamvis hæc ſolutio adeò certa ſit ut nullum hac de re dubitandi locum relinquat: Exiſtimo tamen accuratiùs perpenſa hiſtoriâ hujus Antonij Fuſſalienſis, ipſum nunquam juridiciali appellatione ad Papam provocaſſe, quamvis negare nolim ad ipſum confugiſſe, & opem ejus imploraſſe.

Hanc autem agendi rationem irritam eſſe ætate S. Cypriani, iis omnibus qui pro factis judicia timent, & ſuarum rerum odio mutari omnia ſtudent, oſtendimus cap. 1. hujus operis. Igitur fatemur Antonium Romam confugiſſe non ſecùs ac antea confugerat Baſilides de quo mentionem facit S. Cyprianus Epiſtolâ 68. quam expoſuimus cap. 1. ad quam hæc verba *Pergens Romam* explicans Rigaltius, hanc notam efformavit. *Quo ſolebant contumaces ut procul ab his quibus erant noti faciliùs fallerent.*

Jam igitur ea quæ geſta ſunt, ad hoc Antonij Fuſſalienſis judicium, bona fide ac ſincerè examinare juvat: & æqua lance ponderare conſectanea quæ ex his [a] Baronius, [b] Binius, & [c] Davidius aſſumere videntur.

[a] Anno 419. num. 127.
[b] Tom. 1. Concil. pag. 730.
[c] David. pag. 664.

S. Auguſtinus ſolus ex antiquis ſcriptoribus Hiſtoriam hujus Antonij Fuſſalienſis Epiſtolâ 261. Cœleſtino Papæ explicat. Porrò ex hac intelligimus, Antonium primum fuiſſe Fuſſaliæ Epiſcopum, quæ in Hipponenſi territorio Parœcia erat, quam in Sedem Epiſcopalem erigendam duxerat Auguſtinus propter neceſſitatem plebis; quæ tota

ex

ex recenter Catholicis conſtabat, qui paucis abhinc diebus ab opinione Donatiſtarum ad veram Eccleſiæ fidem & unitatem animum traduxerant. Presbytero cuidam hoc munere ſuis meritis digniſſimo honorem decreverat Sanctus Auguſtinus, ejuſque gratiâ multis rogationibus exciverat Primatem Numidiæ, ut ei manus imponeret. Sed rebus omnibus ad ſacrum ritum paratis, dieque dictâ, prædictus presbyter formidoloſi atque horribilis oneris, cui ſe ſentiebat imparem, injecto metu perhorreſcens, Epiſcopus fieri noluit. Adeoque ne tam longi itineris laborem Primas Numidiæ perperam ſuſtinuiſſe videretur, Antonius in locum ejus ab Auguſtino repente ſuffectus eſt, ab ineunte ætate in ejus monaſterio educatus, quicum familiaritas interceſſerat. Sed cùm brevi poſt tempore ſuam malevolentiam multa teſtificatione ſignificaſſet: vehementer pœnituit Auguſtinum decreti honoris Epiſcopalis immerito ejuſmodi homini. Accuſabatur enim criminibus illati ſtupri multis virginibus, Dominationis intolerabilis, furti ac rapinæ, denique tyrannidis manifeſtæ. Sed quoniam hæc omnia crimina probata non fuerunt, hunc Epiſcopi Africæ Epiſcopali amplitudine ſpoliare noluere, ſed honore Epiſcopatus intaminato, impoſitâ excommunicationis pœnâ ablata reſtituere juridiciali ſententiâ coëgerunt, & loco Fuſſaliæ decedere, propter odium horribile quo Fuſſalienſes eum perſequebantur. Ejuſmodi fuiſſe litis actionem adverſus Antonium, hæc ejus crimina, & cauſæ judicium intelligimus ex Epiſtolâ 261. S. Auguſtini. *Res quippè ad tantum ſcandalum venit cum hîc apud nos cauſas dicerent qui de illius Epiſcopatu ſuſcipiendo tanquam ſibi benè conſulentibus obtemperaverunt nobis. In quibus cauſis cum ſtuprorum crimina capitalia, quæ non ab iſtis quibus Epiſcopus erat, ſed ab aliis quibuſdam objecta fuerunt, probari minimè potuiſſent, atque ab iis qui invidioſiſſimè jactabantur videretur eſſe purgatus,*

 tam

tam miſerandus factus eſt & nobis & aliis, ut quicquid à Caſtellanis & illius regionis hominibus de intolerabili dominatione, de rapinis, & diverſis oppreſſionibus & conſtrictionibus objiciebatur nequaquam nobis tale videretur, ut propter hoc vel ſimul cuncta congeſta Epiſcopatu eum putaremus eſſe privandum, ſed reſtituenda quæ probarentur ablata. Denique ſententias noſtras ſic temperavimus ut ſalvo Epiſcopatu non tamen omnino impunita relinquerentur quæ non deberent vel eidem ipſi deinceps, iterumque facienda vel cæteris unienda proponi. Honorem itaque integrum ſervavimus juveni corrigendo, ſed corripiendo minuimus poteſtatem, ne ſcilicet eis praeſſet ulterius cum quibus ſic egerat ut dolore juſto eum ſibi praeſſe ferre omninò non poſſent, & cum ſuo illiuſque periculo in aliquod ſcelus forſitan erupturam impatientiam ſui doloris oſtenderent. Et infrà *vide*, inquit Cœleſtino Papæ, *Epiſcopatum qualiter geſſerit, quemadmodum judicio noſtro uſque adeò conſenſerit communione privatus niſi prius Fuſſalienſibus omnia redderentur.*

Interim quamvis hoc judicium ei parùm incommodaret, illud exequi recuſavit. Ideoque ad Papam Cœleſtinum confugit, ſuam reſtitutionem in Epiſcopalem Sedem rogaturus, non quidem juridicialis appellationis libello à judicio Epiſcoporum Africæ (nam de illo mentionem non facit S. Auguſtinus) ſed multis rogationibus ejus auxilium efflagitans. Quamobrem miſerabilis Antonius minitabatur Africanis adventum ſatellitum, ad exequendam ſententiam pontificiam quam ſibi Sedis reſtitutionem decreviſſe fingebat. Adeoque his rumoribus erant attoniti Fuſſalienſes, ut Chriſtiani Catholici graviora formidarent ab Epiſcopo Catholico quam cum eſſent hæretici, à Catholicorum Imperatorum legibus pertimeſcerent. Adeoque S. Auguſtinus Cœleſtino Papæ ſcripſit, eum enixè rogavit ut non ſolùm Dei ſuppliciis,

ſed ſuis conſiliis & auxiliis Africanos adjuvaret. *Deinde inſinuo ſanctitati tuæ quæ ſunt circa nos, ut non ſolum orando pro nobis, verum etiam conſulendo & opitulando ſubvenias.* Et infrà, factâ mentione calamitatum quæ intentabantur. *Subveni hominibus opem tuam in Chriſti miſericordiâ multo avidius quam ille poſcentibus à cujus inquietudine deſiderant liberari. Iudicia quippè illis & publicas poteſtates, & militares impetus tanquam executuros Apoſtolicæ Sedis ſententiam ſive ipſe, ſive rumores creberrimi comminantur ut miſeri homines Chriſtiani Catholici graviora formident à Catholico Epiſcopo, quam cum eſſent hæretici à Catholicorum Imperatorum legibus formidabant. Non ſinas iſta fieri obſecro te per Chriſti Sanguinem per Apoſtoli Petri memoriam, qui Chriſtianorum præpoſitos populorum monuit ne violenter dominentur inter fratres.* S. Auguſt. Epiſt. 261.

Continenti Sermone commendat ei ſuos in Chriſto gnatos Fuſſalienſes, & miſerabilem Epiſcopum quem eis præfecerat, eum multâ ſignificatione doloris ſui vix conſolabilis, quo ipſemet Epiſcopatu ſe abdicare deſiderat.

Me ſanè quod confitendum eſt beatitudini tuæ in iſto utrorumque periculo tantùs timor & mæror excruciat ut ab officio cogitem gerendi Epiſcopatum abſcedere ſi per eum cujus Epiſcopatui per imprudentiam ſuffragatus ſum vaſtari Eccleſiam Dei & quod ipſe Deus avertat etiam cum vaſtantis perditione perire conſpexero.

Præter hanc S. Auguſtini epiſtolam, nihil nobis hujuſce litis narrationem amplificat, in illâ nulla mentio fit juridicialis appellationis, aut judicij à Pontifice Romano hac in causâ pronunciati. Sed è contra valde credibile eſt Papam hoc negotium in eo reliquiſſe ſtatu quo ab Afris judicatum fuerat, preceſque ac ſollicitationes Antonij hominis perfidioſi aſpernatum eſſe.

Iam ergo ſincerè diſcutiamus argumenta quibus ap-

pellatio hæc Antonij ad Sedem Apoſtolicam comprobari poſſit.

Dicunt S. Auguſtinum Pontifici tria prodere exempla Epiſcoporum Provinciæ Cæſarienſis, ſcilicet Priſci, Victoris & Laurentij, qui ab Apoſtolicâ Sede judicati fuerant; vel adverſus quos judicia in Synodis provincialibus lata, ab eadem Sede fuerant confirmata; ut hunc Epiſcopum in ſuam Sedem reſtituat, & judicia ab Africanis in eum lata vim habeant, ſeu firma atque inconcuſſa ſtare poſſint. *Exiſtat exemplo*, inquit Sanct. Auguſtinus, *ipſa* Epiſt. 261. *Sede Apoſtolicâ judicante, vel aliorum judicata firmante quoſdam pro culpis quibuſdam nec Epiſcopali ſpoliatos honore, nec relictos omnimodis impunitos. Quæ ut à noſtris temporibus remotiſſima non requiram, recentia memorabo. Clamet Priſcus provinciæ Cæſarienſis Epiſcopus aut ad Primatum locus ſicut cæteris & mihi patere debuit aut Epiſcopatus mihi remanere non debuit. Clamet alius ejuſdem provinciæ Victor Epiſcopus, cui relicto in eadem pœnâ in qua & Priſcus fuit nuſquam niſi in Diœceſi ejus ab alio communicatur Epiſcopo. Clamet inquam aut ubique communicare debui, aut etiam in meis locis communicare non debui. Clamet tertius ejuſdem Provinciæ Laurentius epiſcopus & prorſus hujus vocibus clamet aut in Cathedra, cui ordinatus ſum ſedere debui, aut Epiſcopus eſſe non debui.*

Reſpondeo ex his non conſequi Antonium Fuſſalienſem juridicialis appellationis libello provocaſſe ad Pontificem Romanum, ſed ſolum auxilium ejus imploraſſe; ne judicium contra ſe latum exequeretur. At ſi quis inſtat de his verbis *ipſa ſede Apoſtolicâ judicante, vel aliorum judicata firmante*. Dico tres Epiſcopos Priſcum, Victorem & Laurentium quorum exemplum S. Auguſtinus prodidit, ad Pontificem confugiſſe, & ad eum provocaſſe, medio tempore, quod fluxit inter Concilium Carthaginenſe anni 419. Et Pontificatum Cœleſtini, ſub quo Africani ex

litteris

litteris Attici Conſtantinopolitani & Cyrilli Alexandrini, inventa eſſe exemplaria græca Concilij Nicæni, commonitorio legatorum minimè congrua, intellexerunt. Quo-quidem exiguo tempore Africani ſe diſciplinam appellationum ad mentem Concilij Sardicenſis pauliſper ſervaturos polliciti & pacti erant. At verò ita ſe rem habuiſſe luce meridianâ clarius eſt.

Quippè cùm nemini homini dubium ſubolere poteſt, quin S. Auguſtinus hæc quæ profert exempla à ſuis temporibus non remotiſſima, ſed recentia exiſtimat. *Quæ ut à noſtris temporibus remotiſſima non requiram, recentia memorabo.* Quin etiam hæc ſcripſerit anno 1. Pontificatus Cœleſtini, qui in locum Petri ſuffectus eſt 2. Novembris, anno Chriſti 423. tribus & amplius annis poſt concluſum Concilium Carthaginenſe, cujus ultima Seſſio celebrata fuerat 29. Maij anno 419. Et brevi quodam tempore antequam 217. Epiſcopi Africæ Cœleſtino Papæ ſcriberent celeberrimam Epiſtolam, qua ſignificaverunt ſe optatiſſimum nuntium accepiſſe ab Attico Conſtantinopolitano & Cyrillo Alexandrino de exemplaribus Concilij Nicæni. Igitur ut hæc exempla à temporibus S. Auguſtini non remotiſſima, ſed recentia videantur, ea contigiſſe neceſſe eſt eo tempore trium & amplius annorum quod fluxit inter 29. Maij anni 419. quo clauſum eſt Concilium Carthaginenſe & diem 2. Novembris anni 423. quo Cœleſtinus Sedem Pontificiam Romæ occupare cœpit.

At ex his Epiſcopis, negotium Laurentij potiſſimè neceſſe eſt in hoc tempus medium rejicere. Quoniam conſtat eum ſubſcripſiſſe Concilio Carthaginenſi anno 419. & de appellationibus in eo exagitatis ſuffragium tuliſſe. Ideoque tunc temporis appellaſſe jam prorſus incredibile videtur. At verò dubitandi locus non relinquitur quin ante primum annum Pontificatus Cœleſtini appellaverit, proindeque negotium jam primæ cognitionis ſententiâ

judicatum fuerit, quippè cum ejus exemplum adducat S. Auguſtinus hac Epiſtolâ congratulatoriâ quam primo Pontificatus anno ad Cœleſtinum miſit.

Ergo manifeſtè conſequitur appellationem Laurentij medio tempore inter annum 419. & 423. quo Africani hanc diſciplinam pauliſper admiſerant, contigiſſe.

Igitur ex hac S. Auguſtini epiſtolâ colligere debemus Antonium Fuſſalienſem, & tres alios Epiſcopos Priſcum, Victorem, & Laurentium ad Pontificem Romanum nullatenus appellaſſe, ſed ejus tantummodo auxilium vehementer imploraſſe. Vel ſi eos appellaſſe, tandem aliquando fateri neceſſe ſit appellationes contigiſſe temporibus illis non ſuſpicioſis, quibus *pauliſper* hanc diſciplinam Africani ſuſtinere non noluerant.

Quamobrem inſulſum eſt concludere abrogationem appellationum quam Africanos ſincerè ac bonâ fide promulgaſſe fatetur Davidius, vanam & ſupervacaneam fuiſſe in ipſamet Eccleſiâ Africanâ, ſeu executione caruiſſe. David. pag. 663.

CAPUT XLIV.

Cauſa Danielis & Venerij Maſſilienſis, Epiſcoporum variis criminibus poſtulatorum coram Cœleſtino Papa I. circa annum Chriſti 428.

Epiſtol. Cœleſt. I. tom. I. Concil. Gall. Sirmondi.

Accusationes & crimina illorum epiſcoporum intelligimus ex Epiſtolâ Cœleſtini Papæ I. ad Antiſtites Provinciarum Vienneniſ & Narbonenſis: anno Chriſti 428. At verò ex hac etiam perſpicimus quantâ curâ ac ſolicitudine ſummus Paſtor Eccleſiæ advigilaret, & ad tuendam

tuendam antiquam diſciplinam Canonum Eccleſiaſtico-rum excubaret. Carpit enim deſidentes hujus temporis preſbyterorum mores, & labentem diſciplinam, præſertim propter duos abuſus qui ſenſim ſine ſenſu irrepſerant.

Primus erat Pœnitentiam negare morientibus, alter Epiſcopatu exornare homines omni ſcelerum genere pollutos, inferioribus Eccleſiæ ordinibus nondum initiatos. Monetque hos Epiſcopos de emendatione ac correctione eorum, qui tot ſceleribus ac vitiis Sacras Eccleſiæ leges ac diſciplinam violaverant. Hiſque juſtis de cauſis mentionem facit Danielis Epiſcopi de quo multa paucis verbis complexus eſt.

I. Ait, *Danielem nuper miſsâ relatione ex Orientalibus ad nos partibus ab omni quod tenuerat Virginum Monaſterio nefariis eſſe objectionibus accuſatum. Multa à multis objecta flagitia.* Et paulò inferiùs, *Sacrarum dici Virginum pollutum inceſto.*

II. *In quanam lateret terrarum parte quæſitum eſſe, ut ſi ſuæ innocentiæ conſideret, contra ſe judicium poſtulatum minimè declinaret.*

III. *Ea de cauſa miſſam ad Arelatenſem Epiſcopum per Fortunatum Subdiaconum, ut ad judicium Epiſcopale deſtinaretur, Epiſtolam.* Ex qua patet non ſibi arrogaſſe jus Pontificem, ferendi de hac lite judicij.

IV. Animadvertit tot flagitia quibus poſtulabatur reus, litteras quas ipſe Pontifex ſcripſerat ut judicaretur, & diem dictam ut coram judicibus ſe ſiſteret, non obſtitiſſe, quominus epiſcopus ordinaretur. *Tantis gravatus criminibus, tanta facinorum accuſatione pulſatus, Sacrarum ut dicitur Virginum pollutus inceſto Epiſcopus ut dicitur aſſeritur ordinatus. In noſtris libelli ſcriniis continentur, quorum ad vos quoque exemplaria direximus. In Pontificij dignitatem hoc tempore quo ad cauſam dicendam miſſis à nobis litteris vocabatur, obrepſit.*

V. Quamobrem cœtu Epiſcoporum illi à Pontifice interdictum eſt, donec ad judicium adfuerit. *Daniel ut diximus qui accuſationem Pontificali honore ſubterfugere poſſe ſe credidit, & ad faſtigium tantùm accuſatores latendo pervenit à Sanctitatis veſtra cœtu interim ſe noverit ſegregatum. Qui ſe noſtro judicio debet objicere ſi conſcientiæ ſua novit confidentiam, ſe habere.*

David. pag. 707. Hæc omnia falſi crimine palam convincunt Davidium, dum ait, Cœleſtinum Papam ad Arelatenſem Epiſcopum ſcripſiſſe Epiſtolam, ut inquireretur in Gallia Daniel & Romam proficiſci cogeretur ad villicationis ſuæ rationem reddendam & refigendas accuſationes adverſum ſe factitatas. Ait enim tantummodo Cœleſtinus *in quanam lateret terrarum parte quæſitum eſſe.* Cujus inquiſitionis cauſa non fuerat epiſtola quam ſcripſerat Arelatenſi Epiſcopo quámque miſerat non ut Daniel Romam ire cogeretur *ſed ut ad judicium Epiſcopale deſtinaretur:* ſive ad tribunal epiſcoporum ſuæ dubio procul, provinciæ remitteretur, adamuſſim legum Eccleſiaſticarum judicium auditurus. Quamobrem dum ait Cœleſtinus *qui ſe noſtro judicio debet objicere*, de judicio Epiſcopali intelligere opus eſt, de quo mox loquutus fuerat, & Epiſcopo Arelatenſi ſcripſerat. Inſuper juvaret maximè comparare antiquos hujus epiſtolæ codices manuſcriptos & accuratè inveſtigare num pro nomen *noſtro* in locum alterius *veſtro* vitio ſcribæ non irrepſerit? De hoc errore nihil certi habeo, ſed ſaltem non difficiliter admitti potuiſſe valde credibile eſt. Altero mendacio eandem paginam Davidius contaminat, dum ait Papam *excluſiſſe Danielem ab ordine Epiſcoporum.* Latum enim diſcrimen eſſe videtur, inter hominem excluſum ordine epiſcoporum & eorum ſanctitatis cœtu ſegregatum, quod tantùm conceptis verbis ait Pontifex *à veſtra ſanctitatis cœtu interim ſe noverit ſegregatum.* Perſpectum etiam non habeo fundamen

fundamentum quo fretus Davidius aſſerit Danielem ſacris ordinibus nondum initiatum, ſed in minoribus conſtitutum ſimplicem clericum tot flagitia in Oriente patraſſe. Quamvis enim certò habeam, nondum Epiſcopum fuiſſe, tamen argumenta certiora non ſuppetunt, quibus conſtet nec preſbyterum nec diaconum fuiſſe; quinimmò valde veriſimile eſt non niſi preſbytero Virginum Sacrarum curam atque procurationem commiſſam fuiſſe quas vitiaverat & inceſtus crimine fœdaverat.

Præterea nihil amplius didicimus de hac Danielis hiſtoriâ, ex qua jus vindicari neutiquàm poteſt Summo Pontifici Romano, primæ aut ultimæ cognitionis judicio lites Epiſcoporum dirimendi.

Cæterùm de altero Epiſcopo Maſſilienſi cui nomen erat Venerio, ut putant Galliæ Chriſtianæ autores, cujus mentionem facit hæc Epiſtola Cœleſtini cap. 8. intelligimus tantummodò, fuiſſe crimine fratricidij poſtulatum ſive conſcium homicidij fratris & coëpiſcopi; Et hoc negotium ad Epiſcopos Provinciæ Viennenſis & Narbonenſis fuiſſe remiſſum, ad quos hæc Cœleſtini Epiſtola ſcripta eſt. *Maſſilienſis verò Eccleſia Sacerdotem, qui dicitur, quod dictu nefas eſt in necem fratris ſui taliter gratulatus eſt huic cui ejus ſanguine cruentatus advenerat portionem cum eo habiturus occurreret veſtro eum audiendum collegio delegamus.* Non videmus hanc Epiſtolam mentionem facere appellationis ad Romanam ſedem poſt latum judicium. Igitur ex his colligere poſſumus tam Danielis quàm Epiſcopi Maſſilienſis negotia non tractaſſe aut agitaſſe Cœleſtinum, ut Concilij Sardicenſis decretum exequeretur; quippè cùm certum ſit neutrum ad Romanam Sedem appellaſſe.

Inſuper ſi Epiſcopo Maſſilienſi nomen erat Venerio, certò habeo nullum adverſum eum latum fuiſſe judicium quo Epiſcopatu abire teneretur anno 428. Quippè cum anno

Digitized by Google

anno 451. ſubſcripſerit Epiſtolæ quam Galliarum Epiſcopi ſancto Leoni Papæ I. miſerunt ut ei gratias agerent pro Epiſtola quam Flaviano contra errores Eutychetis ſcripſerat.

CAPUT XLV.

Neſtorius Sede Archiepiſcopali Conſtantinopolitanâ pulſus, ſententiâ Concilij generalis Epheſini, circa annum Chriſti 431. ſub Cœleſtino Papa I.

ANTEQUAM ad diſquiſitionem aggrediar omnium actionum litis, quibus Concilij Epheſini Patres Neſtorium Archiepiſcopatu Conſtantinopolitano abdicarunt, ſcire neceſſe eſſe videtur, quis fuerit iſte Neſtorius, quo ingenio fuerit prӕditus, quo denique genere criminis accuſatus occaſionem dederit Concilio Epheſino cum ſupremo judicio Epiſcopali amplitudine ſpoliandi.

Intelligimus ex Socrate qui floruit circa annum Chriſti 440. poſt mortem Siſinnij qui Attico in Sede Conſtantinopolitanâ ſucceſſerat, ſucceſſori S. Joannis Chryſoſtomi, propter homines inanis gloriӕ ſtudioſos placuiſſe Imperatoribus neminem ex Eccleſiâ Conſtantinopolitanâ ad Epiſcopatum promovere: licet multi Philippum, nec pauciores Proclum ordinari ſummo ſtudio contenderent. Adeoque ſatius viſum eſſe peregrinum hominem Antiochiâ excire. Erat autem ille vir Neſtorius, ortus ex urbe Germaniciâ, ſonora voce, & expeditâ facundiâ ſeu dicendi facultate prӕditus, quem idcirco tanquam idoneum ad docendum populum accerſere Imperatores decreverant. At continenti ſermone narrat Socrates elapſo trium menſium

menſium ſpatio Neſtorium Antiochiâ adductum fuiſſe qui ob temperantiam quidem à multis prædicabatur. In reliquis verò quali ingenio, & quibus moribus fuerit ex primâ ejus concione prudentiores quoſque ſtatim deprehendiſſe. Eundem enim ſacro Epiſcopatu ornatum die quarto Idus Apriles, Felice & Tauro conſulibus, illicò coram univerſo populo Imperatorem allocutum illud celebre pronuntiatum protuliſſe refert. *Da mihi Imperator terram hæreticis purgatam; & ego tibi cælum retribuam, mecum hæreticos debella, & ego Perſas tecum debellabo.*

Hæc verba licet quibuſdam ex vulgo qui hæreticos odio perſequebatur placuiſſent, iis tamen qui interiora mentis humanæ cogitata ex verbis temerè prolatis prudenter divinare ſolent perſpecta ſtatim fuit hominis levitas, & ferocia multis acceſſionibus inanis gloriæ cumulata. Quippè cum ne breviſſimi quidem temporis moram ſuſtinens in ejuſmodi verba prorupiſſet, & acerrimum ſe perſecutorem oſtenderet antequam ipſam ut vulgò dicitur civitatis aquam delibaſſet. Diligere videbatur errores ut interficeret homines; quinto enim poſt inaugurationem ſuam die, templum Arianorum, in quo occultè preces faciebant, ſubvertere aggreſſus eos ad deſperationem adduxit. Nam cum templum ſuum everti intuerentur, ipſimet igne injecto flammis diruerunt.

Porrò ulterius ſerpens ignis contiguas domos combuſſit. Ejuſmodi petulantia tumultum in Urbe excitavit, jamque Ariani quibus una ſalus erat nullam ſalutem ſperare, ad ultionem ſe parabant, niſi cuſtos civitatis Deus ejuſmodi malorum procellis remoram impoſuiſſet. Exinde verò incendiarium eum vocavere non ſolum hæretici, verum etiam ejuſdem cùm illo fidei cultores. Quippè niſi perfecto malo non conquieſcebat, ſed adverſus hæreticos defenſâ mendaciter veritate, ſubinde calumnias ſtruens quo ad ejus fuit, non ſolùm civitatem miſcuit, ſed eam

ſolo adæquare conatus eſt. Nam & Novatianos truculenter vexavit, ſtimulante eum invidiâ, eo quod Paulus Novatianorum epiſcopus religionis gratiâ ubique celebraretur. Verum Principes impetum illius admonitionibus ſuis repreſſerunt. Quantis autem malis quartodecimanos per Aſiam, Lydiam & Cariam affecerit, & quam multi ejus causâ apud Miletum & Sardes ſeditione factâ interierint ſilentio tranſmittendum putavit Socrates. Interim verò ſive ut meritas celati ſceleris & hypocriſis pœnas lueret Neſtorius, ſive ut exemplum horribile exiſteret poſteris juſtæ ultionis quam ex improbis epiſcopis Deus repetit, qui autoritate ac poteſtate à Chriſto ſibi creditâ intemperanter abutuntur, & ſub ſpecie ac larvâ tuendæ fidei in Eccleſia dominari flagrantiſſimè deſiderant, infœlix & ſtultus homo vitium unius hæreſis turpiter vitans, in contrarium alterius hæreſis turpius cucurrit, & ab inſolenti horrore hæreticorum, ad eorumdem contumaciam & mendacium animum incredibiliter traduxit.

Socrat. lib. 7. hiſt. cap. 29. in fine pag. 371.

Anaſtaſium quendam preſbyterum quicum amicitiâ ac neceſſitudine conjunctus erat Antiochiâ exciverat, quem ſummo cultu proſequebatur, & cujus conſiliis in ſuæ Diœceſis procuratione plurimum utebatur. *Hic igitur Anaſtaſius*, inquit Socrates, *quodam die cum in Eccleſiâ doceret, dixit hæc verba: Nemo Mariam vocet Deiparam, Maria enim homo fuit, ex homine autem Deus naſci non poteſt.* Quæ magnum tumultum in plebe & clero Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ excitavere.

Socrat. lib. 7. c. 32.

At verò cum Neſtorio homini feroci ac ſuperbo, incogitabile videretur jus cuiquam competere, reprehendendi ea quæ ſemel approbaverat, hunc preſbyterum ſuſtinuit & ab eo temerè prolatam dictionem totis viribus tuendam ſuſcepit. Adeoque Deiparæ nomen rejecit & abrogare conatus eſt: ut cum plerique Pauli Samozateni,

ac

Digitized by Google

ac Photini Divinitatis Chriſti hoſtium, purumque hominem eſſe contendentium, ſectatorem crederent.

Sed impiam preſbyteri Anaſtaſij propoſitionem tueri ac propugnare Neſtorio non ſatis fuit; verùm etiam Epiſcopo Marcianopolitano amiciſſimo cui nomen erat Dorotheo concionem habere in Eccleſiâ Conſtantinopolitanâ permiſit; & inſolenti temeritate anathema dicere palam ac publicè iis qui Mariam Deiparam ſivè Matrem Dei deinceps appellarent.

Ille verò, inquit S. Cyrillus, in Catholicâ orthodoxorum Eccleſia bonum Epiſcopum Dorotheum apertè dicentem talit: Si quis Mariam Deiparam eſſe dixerit, anathema ſit, neque ſolum continuit, cum hac illum loquentem audiret, verum eundem quoque ipſum ad myſticam communionem mox admiſit, myſteriorumque participem effecit. Tot contentionum atque altercationum rumor, quem procax concionatorum libertas excitaverat Conſtantinopoli, increbuit apud Ægypti ſolitarios quibus repente doctrinæ novitas placuit. Hinc curæ eorum & adminiſtrationi præfectus S. Cyrillus, quia Epiſcopo Alexandrino parebant, occaſionem nactus eſt ſcribendi ad eos celeberrimam ac longiorem epiſtolam, qua hunc errorem vehementer refutavit, & argumentis certiſſimis ex Scripturâ & lucubrationibus Patrum antecedentium aſſumptis Divinitatem Chriſti mirabiliter confirmavit. Porrò ex hac Epiſtolâ ſeu potius tractatu facile eſt intelligere, non dubitaſſe S. Cyrillum quin Neſtorius ex abrogato Deiparæ nomine, filij Divinitatem neceſſariâ conſecutione pernegaret. Quippè illa Epiſtola quamvis nominis Neſtorij mentionem nullam faceret eum adeò pupugit, ut de hac ejus mente nullus dubitandi locus relinquatur. Quid enim neceſſe erat tantam ex probatâ Chriſti Divinitate captare contumeliam, ſi Chriſtum verum Deum æſtimaſſet?

Acta Cõcil. Epheſini part. 1. cap. 10. pag. 125. tom. 2. Concil. Binij.

Acta Cõcil. Epheſ. part. 1. c. 2.

At quam maximum dolorem hæc Epiſtola Neſtorio

Digitized by Google

inuſſerit perſpectum habemus ex ea quam reſcripſit Sanctus Cyrillus, cùm Papæ Cœleſtini mandato & aliorum epiſcoporum rogationibus annuens, adverſus Neſtorium quæſtionem habere non recuſavit de libellis hoc errore fœtentibus Romã ejus nomine delatis,ut teſtificantur acta Concilij Epheſini. *Advenerunt Alexandriam viri aliquot veneratione ac fide digni qui pietatem tuam graviter ſtomachari, nullumque mei lædendi cauſa lapidem non movere mihi renunciarunt. Cupienti autem mihi cognoſcere undenam pietas tua in hanc ægritudinem incidiſſet: Alexandrinos quoſdam Epiſtolam illam quam ad Sanctos Monachos miſeram circumferre, eamque rem odij & offenſionis cauſam eſſe reſponderunt. Ego verò miratus ſum majorem in modum pietatem tuam illud potiùs non perpendiſſe, ſecumque reputaſſe eas in fide turbas non propter hanc quam ſcripſi Epiſtolam, ſed potiùs ex quibuſdam pietatis tuæ ſive alterius ſermonibus excitatas fuiſſe. Quin immo cum Chartæ quædam vel commentarij circumferrentur, inſignem moleſtiam pertulimus, quorum hac de cauſa perverſorum emendationi ſtudentes. Eo namque malum hoc paulatim ſerpendo pervenit, ut Chriſtum nonnulli Deum appellare ægrè patiantur: ſed potius Divinitatis organum & inſtrumentũ,hominemque Deiferum & alia his ineptiora. Noſter proinde hic animi dolor ex iis natus eſt, quæ pietas tua dixit: Siquidem ſchedis quæ eâ de re feruntur, parum fidei habeo. Cum igitur fides tam inſigniter læderetur, totque paſſim perverterentur, qui tandem tacere hic licuit? An non ante tribunal Chriſti ſiſtemur, an intempeſtivi ſilentij rationem reddituri non ſumus; præſertim nos qui eâ de re hunc in locum ab eo evecti ſumus, ut quæ oportet prædicemus? Ecquid nunc obſecro conſilij capiam (tuam hic namque pietatem appellare compellor) quandoquidem Cœleſtino religioſiſſimo Romanæ eccleſiæ epiſcopo jubente, cæteriſque piiſſimis epiſcopis qui ipſi adfuere ita poſtulantibus inveſtigare cogor Chartula*

Parte 1. cap. 6.

Digitized by Google

tula ne ille & exegeſes quæ illuc ad ſe neſcio quomodo perlatæ ſunt, à tua pietate, an verò ab alio quopiam profectæ ſunt. Interim verò Neſtorius plus contendit quam potuit, ut ſe purgaret crimine negatæ Divinitatis Jeſu Chriſti. Quamvis enim ſpeciatim ac nominatim propugnaret Virginem Mariam non debere vocari Deiparam, ſed Chriſtiparam, revera duas in Chriſto naturas recognoſcit, Divinam & humanam, unam vitæ hominum laboribus obnoxiam, alteram immunem, in Epiſtolâ ad Sanctum Cyrillum. Immò ulterius procedere videtur, & unicam in Chriſto perſonam fateri, quam S. Pauli autoritate comprobat. *Quâ quidem in re Pauli auctoritatem ſecuti ſumus, hic enim Divinæ incarnationis factâ mentione, ea quæ mox ſubjuncturus quæ paſſionis erant primum illud nomen Chriſtus ut paulò ante dicebam utrique naturæ commune ponit ac doctrinam ſtatim utrique ex æquo congruentem ſubvertit. Ecquid ergo dicit? Hoc inquit, ſentite in vobis quod & in Chriſto Jeſu qui cum in forma Dei eſſet non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo: (ſingula enim perſequi non attinet) factus eſt obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis. Quia enim mortis facturus erat mentionem, ne quis hinc Deum verbum patibile eſſe colligeret: ſubjunxit nomen hoc Chriſtus quod utramque naturam patibilem inquam & impatibilem in unicâ denotat, quo idem nimirum Chriſtus patibilis ſimul & impatibilis illud quidem ſecundum humanam naturam, hoc verò ſecundum Divinam.* Adeoque præcisè tantùm Neſtorius negare videbatur quam vocant Theologi in Chriſto idiomatum communicationem, ut patet ex Socrate.* *Mihi quidem videtur Neſtorius nec Paulum Samoſatenſem nec Photinum imitatus, neque omnino nudum hominem Chriſtum dicere, ſed ſolam Deiparæ vocem velut larvam quandam reformidat, idque illi ex graviſſimâ contigit imperitiâ. Cum enim naturali facundiâ eſſet præditus, eruditus quidem videbatur, revera*

Acta Cócil. Epheſ. part. 1. c. 9. pag. 123.

Epiſtola Neſtorij ad S. Cyrillum.

Socrat. lib. 1. Hiſtor. c. 321. Socrat. lib. 7. Hiſt. cap. 321.

tamen erat indoctus. Libros etiam veterum interpretum haudquaquam legere dignabatur.

Arrogantiâ enim elatus ob dicendi facultatem non ſatis accuratè vetuſtioribus legendis operam dabat, ſed ſeipſum reliquis omnibus præſtare arbitrabatur.

Igitur crimen Neſtorij defixum erat in arrogantiâ & ignorantiâ, quâ Virginem Mariam Dei Matrem eſſe pernegabat.

Sed neceſſariâ conſecutione, pernegatæ Divinitatis Chriſti crimine convincebatur, & admiſſæ duplicis in Chriſto perſonæ non ſecus ac naturæ; quamvis prorſus contrarium aſſerere videretur, ut nos docet Vincentius Lyrinenſis qui floruit anno 440. *Neſtorius dum ſe duas in Chriſto ſubſtantias diſtinguere ſimulat, duas introducit repente perſonas, & mandato ſcelere duos vult eſſe filios Dei, duos Chriſtos, unum Deum, alterum, hominem; unum qui ex Patre, alterum qui ſit generatus ex Matre.*

Vincent. Lyrin. cõtra hæreſes cap. 17.

At verò cum ejuſmodi errorum rumores paſſim percrebuiſſent, è re ſuâ eſſe cenſuit S. Cyrillus conſulere Cœleſtinum Papam, & venit in cogitationem de diſſolvenda ſocietate ſeu communione diſrumpenda cum Neſtorio. *Fateor autem*, [a] inquit, *in animo fuiſſe Synodicis litteris illum commonefacere, nos cum eo communionem retinere non poſſe qui talia doceret ac ſaperet: ratus tamen lapſis manum porrigendam, proſtratoſque tanquam fratres erigendos eſſe hoc ipſum in hodiernum uſque diem non feci.* Ratus ſe nunquam facilius ſervaturum prudentiæ Chriſtianæ leges, quam ſi morem gereret antiquæ Eccleſiarum conſuetudini, qua de cauſis gravioribus cum Apoſtolicæ Sedis Pontifice communicare ſolebant.

[a] Acta Cõcil. Epheſini part. 1. capite 14. pag. 129. tom. 2. Concil. Binij.

Quoniam verò Deus hiſce in rebus prudentiam à nobis exigit longaque Eccleſiarum conſuetudo ſuadet, ut ejuſmodi res ſanctitati tuæ communicentur. Quamobrem eum ſententiam rogavit, de communione quam cum Neſtorio divellere

Eadem Epiſtol. S. Cyrilli ad Cœleſtin. c. 14. actor Concil. Epheſ. p. 1.

divellere meditabatur. *At quamvis res ita ſe habeat, non prius tamen illius communionem confidenter deſerere auſi fuimus, quàm hac ipſa pietati tua indicaremus. Digneris proinde quid hic ſentias declarare.* Ibidem.

Acceptis his litteris reſponſum fecit Cœleſtinus, datum tertio idus Auguſti Theodoſio XIII. & Valentiniano III. Coſſ. qui cum 10. die Auguſti anno Chriſti 430. concurrit, quo vehementer minitatur Neſtorio niſi à ſuâ contumaciâ deſiſtat, & intra decem dies conceptis verbis de Chriſti generatione eadem palam fateatur quæ Romana Eccleſia, Alexandrina, & omnes fidei Catholicæ cultores docent, fore ut ei communione Eccleſiæ interdicat. *Quamobrem noſtra Sedis autoritate adſcitâ, noſtrâque vice & locorum poteſtate ſententiam exequeris; nempè ut niſi decem dierum intervallo ab hujus noſtra admonitionis die numerandorum nefariam doctrinam ſuam conceptis verbis anathematizet, eamque de Chriſti Dei noſtri generatione fidem in poſterum confeſſurum ſe ſpondeat quam & Romana & tua ſanctitatis Eccleſia & univerſa denique religio Chriſtiana prædicat illicò ſanctitas tua illi Eccleſia proſpiciat; is verò modis omnibus ſe à noſtro corpore ſegregatum eſſe intelligat.* Idem mandavit eodem die Neſtorio, renunciavitque per Poſſidonium diaconum, ei fore à communione Eccleſiæ Catholicæ interdictum, niſi intra decem dies ſuos errores ejuraret. *Apertè igitur hanc noſtram eſſe ſcias ſentẽtiam ut niſi de Chriſto Deo ea prædices qua Romana & Alexãdrina & univerſalis Eccleſia Catholica tenet ſicut & Sancta Conſtantinopolitana Vrbis Eccleſia ad te uſque, optimè tenuit, & hanc perfidam novitatem qua hoc quod venerabilis Scriptura conjungit nititur ſeparare intra decimum diem à primo innoteſcentis tibi hujus conventionis die numerandum apertâ & ſcriptâ confeſſione damnaveris ab univerſalis te Eccleſia communione dejectum.* Binas pariter litteras eodem die ſcripſit ad clerum, & populum

Epiſtola Cœleſtini ad Neſtor. acta Concilij Eph. parte 1. cap. 18. pag. 138.

Digitized by Google

Acta Cócil. Epheſ. parte 1. cap. 19. & 20.

pulum Conſtantinopolitanum,& tertiam ad Joannem epiſcopum Antiochenum relatas in acta Concilij Epheſini.

Quidam arbitrantur Theologi hac Epiſtolâ Cœleſtini eſſe Cyrillo delegatam facultatem, qua Epheſino Concilio vice & nomine Cœleſtini præeſſe, & in eam adducuntur ſententiam his verbis; *Noſtra Sedis autoritate adſcitâ, noſtrâque vice & loco cum poteſtate uſus, &c.* Sed duabus de cauſis hæc ſententia eſt improbabilis. Primò, quia eadem hæc ſcripſerat Cœleſtinus quatuor Epiſcopis, ut ipſemet teſtificatur in fine hujus Epiſtolæ, quos tamen Concilio Epheſino præfuiſſe nemo ſibi perſuadet. *Eadem hac & ad ſanctos quoque fratres & coepiſcopos noſtros* [a] *Ioannem,* [b] *Rufum,* [c] *Iuvenalem &* [d] *Flavianum ſcripſimus.* Secundò, incredibile eſt Pontificem Romanum ſuas vices delegaſſe homini ut præſideret ſuo nomine Concilio, ante convocationem Concilij. Certum eſt enim Concilium Epheſinum convocatum fuiſſe tribus menſibus & octo diebus elapſis, poſt ſcriptam hanc Epiſtolam ſcilicet 13. Kalend. Decembris Theodoſio 13. & Valentiniano III. Coſſ. ideſt 19. Novembr. anni Chriſti 430. Igitur ex alio inſtrumento aſſumendum eſt argumentum ad probandum Pontificem Romanum delegaſſe Sancto Cyrillo vices ſuas, ſeu Vicariam poteſtatem ut ſuo nomine Concilio Epheſino præſideret.

[a] Antiochenum. [b] Theſſalonicenſ. [c] Hieroſolymor. [d] Philippenſium.

Magis probabilem non tuetur Davidius opinionem, dum ait pag.851. hac Epiſtolâ delatam S. Cyrillo à Cœleſtino Papa poteſtatem convocandi hujuſce Concilij. Nemini enim homini dubium ſubolere poteſt quin hoc Conciliũ Imperatores Theodoſius & Valentinianus convocaverint die 19. Novembris anno 430. diemque dictam fuiſſe ad exordium Concilij, ſeptima Junij circa Pentecoſten poſt Paſcha anno Chriſti 431. & locum urbem Epheſum. Cui cùm Neſtorius non comparuiſſet ad ſexdecim dies comitia remiſſa ſunt: ſive ad 22. ejuſdem menſis eodem

anno

anno. Hæc omnia planiſſimè intelliguntur ex epiſtola Imperatorum ad ſanctum Cyrillum & alios Metropolitanos miſſa, qua Concilium convocaverunt relata 32.capite primæ partis actorum Concilij Epheſini; & ex aliis ejuſdem Concilij actionibus. Huc uſque animadvertimus Romanum Pontificem, fregiſſe ſocietatem communionis Eccleſiaſticæ qua cum Neſtorio conjunctus erat. Sed idem prorſus intelligimus de Sancto Cyrillo qui hac de re Sedis Apoſtolicæ Antiſtitem conſuluerat. Nullum autem deprehendimus judicium quo Neſtorius abdicatus ſit, hoc enim Epiſcopis in Concilio Epheſino congregatis reſervatum videbatur. Jam igitur inquiramus rationes quibus de hoc Epiſcopo quæſtionem habuerunt, & utrum tunc temporis in cogitationem venerint de exequendis legibus Concilij Sardicenſis.

Cum in unum congregari cœpiſſent Epiſcopi centum ſexaginta, cum Eccleſiæ Carthaginenſis Diacono cui nomen erat Beſſulæ, qui Capreolo epiſcopo Carthaginenſi litteras attulerat quibus abſentiæ ſuæ à Concilio epiſcopi Africani rationem reddebant, æſtimaverunt Patres inchoandam eſſe Concilij deliberationem à cauſis quæ ad fidem potiſſimè ſpectare videbantur, & quæ imperatoribus occaſionem dederant convocandi ejuſmodi Concilij. Quamobrem poſtquam locutus fuiſſet S. Cyrillus & ſignificaſſet hanc eſſe ſpeciatim Imperatorum voluntatem, Theodorus Epiſcopus Ancyranus dixit Neſtorium non debuiſſe ab hoc conventu abeſſe, ut omnia communi ſuffragio & conſenſu omnium Epiſcoporum concluderentur. Ex quibus intelligimus non adventaſſe Epheſum ut ad judicium quaſi reus ſe ſiſteret ad auſcultandam condemnationis ſententiam, quamvis ei à Papa eſſet communione interdictum; ſed ut ſuffragium ferret, & de rebus in deliberationem adductis & diſputatis conſultaret.

Porrò ex his colligimus Neſtorium non fuiſſe inter ſegregatos à communione numeratum; quippe cum non ſit certius communionis Eccleſiæ argumentum quàm in Concilium Epiſcoporum univerſæ Eccleſiæ admitti, locum ac Sedem ordini congruam occupare, & liberè ſuffragium ferre. Adeoque animadvertimus in Epiſtolâ quâ Imperatores Concilium coëgerunt, nullam Neſtorij mentionem fieri quamvis diu data; poſt denunciatam eidem à Cœleſtino Papa excommunicationem.

Deinceps quatuor Epiſcopi ſcilicet Hermogenes Rinocururum, Athanaſius Parœliæ, Petrus Parembolæ, & Paulus Lampæ certiores fuerunt Patres de admonito heſternâ die Neſtorio, ut ad Concilium adeſſet. Sed quoniam ſe ſiſtere ad judicium renuerat, quamvis Epheſum adveniſſet comitantibus Candidiano Imperatorum legato, & comite Irenæo, quicum multa familiaritas & neceſſitudo interceſſerat; (ut ex Epiſtolâ intelligimus quam ab Imperatoribus ad Concilium attulit Candidianus, qua eum præfecerat procurationi rerum exteriorum ad Concilij celebrationem requiſitarum) æſtimaverunt Patres iterum bis Neſtorio diem dicendum eſſe per plures Epiſcopos, quos ad id ſpeciatim deputavit Concilium, & revera quarta vice illum citaſſent ni ſatellites quibus circumſepta domus erat, quam incolebat obſtitiſſent. *Iuvenalis Hieroſolymorum epiſcopus dixit. Quamvis Eccleſiaſtica ſanctiones ſat eſſe ſtatuant ſi rei ad diluenda objecta crimina tertio citentur, nos tamen ex quadam benignitate religioſiſſimum Neſtorium quarta citatione admonere & provocare parati eramus. Verum quod ſatellitum turmis ædes ſuas undique obſeſſas habent, quodque nemini ſicut Epiſcopi inde redeuntes teſtati ſunt aditum ad ſe patefaciat, manifeſtum eſt conſcientiâ nequaquam pura ſancta hujus Synodi conſpectum recuſare.*

Poſteà opus eſſe cenſuerunt ulterius progredi, & quæſtionem

[a] Acta Cōcil. Epheſ. parte 2. pag. 172. & 173.

[b] Acta cōcil. Epheſ. parte 1. cap. 35.

Acta Cōcil. Epheſ. parte 2. pag. 174.

ſtionem promovere ad judicium de homine, & doctrinâ ejus ferendum.

Sic autem ſe geſſerunt. Primò, lectum eſt Symbolum Nicænum. Secundò, perlecta eſt Epiſtola S. Cyrilli ad Neſtorium relata actorum 1. part. cap. 8. Tertiò, deliberatum eſt, & interim lecta eſt Epiſtola Neſtorij ad S. Cyrillum quam omnes exeerati ſunt: Epiſtola Cœleſtini ad Neſtorium relata cap. 18. primæ partis actorum & literæ S. Cyrilli & Concilij Alexandrini ad Neſtorium relatæ cap. 26. Omnium votis approbata eſt Epiſtola S. Cyrilli, & Epiſtola Neſtorij exploſa. Ad confirmandam omnium Epiſcoporum ſententiam confecta eſt collectio locorum ex operibus Sanctorum Patrum aſſumptorum, qui Cyrillo anteceſſerant, & in quorum ſententiam ipſe de Virgine Deiparâ iverat. Et hæc collectio relata eſt in acta Concilij, ad quam acceſſit altera collectio blaſphemiarum & errorum Neſtorij, ex variis quaternionibus & ſchedis ejus, ferè ad vigeſimum numerum exſcriptorum, ut ex doctrinæ novitate cum antiquis Patribus collata de mendaciis ac figmentis Neſtorij nullus dubitandi locus relinqueretur.

Continuò lecta eſt Epiſtola Capreoli Carthaginenſis Epiſcopi, quam attulerat diaconus Beſſula, de qua jam mentionem fecimus. Ex qua intelligimus horrore injecto opinionis Neſtorij, quantum Africani perhorreſcerent, & perſpectas habemus rationes quas ſuæ abſentiæ attulerunt. Primam enim dederunt excuſationem mortis S. Auguſtini qua dolore non conſolabili jure merito fuerant affecti, & calamitatum Africæ quam Vandali populabantur. Secundam verò, quoniam Epiſtola Imperatorum duobus tantùm menſibus ante Concilij coactionem eis fuerat relata, adeo ut etiamſi congregationem provincialem habere liberè potuiſſent anguſtia temporis obſtitiſſet ne ex Eccleſiis ſuis deputatos eligerent.

Hæc epiſtola etiam in acta Concilij cum aliis relata eſt, & ab omnibus epiſcopis comprobata. Poſteaque judicium quo Sede Conſtantinopolitanâ ejectus eſt Neſtorius, atque amplitudine Epiſcopali ſpoliatus, conceptis verbis pronunciatum eſt. *Sancta Synodus dixit: Cum præter cætera impiiſſimus Neſtorius neque noſtræ citationi parere, neque Sanctiſſimos religioſiſſimoſque Epiſcopos à nobis deſtinatos admittere voluerit, non potuimus ad eorum quæ impiè docuit examinationem animum non adjungere.*

Deprehendentes itaque partim ex litteris commentariiſque ipſius publicè lectis, partim è Sermonibus quos nuperrimè in hac Epheſiorum metropoli habuit, quique teſtimoniis comperti ſunt, illum impiè ſentire & prædicare: coacti per Sacros Canones & Epiſtolam ſanctiſſimi Patris noſtri & comminiſtri Cæleſtini Romanæ Eccleſiæ Epiſcopi, lachrimis ſubinde perfuſi, ad lugubrem contra eum ſententiam neceſſariò venimus.

Igitur Dominus noſter Ieſus Chriſtus quem ſuis ille vocibus blaſphemis impetivit, per ſanctiſſimam hanc Synodum eundem Neſtorium Epiſcopali dignitate privatum, & ab univerſo Sacerdotum conſortio & cætu alienum eſſe definit.

Huic ſententiæ ducenti & ampliùs ſubſcripſerunt Epiſcopi, quæ poſteà Neſtorio his verbis ſignificata fuit. *S. Synodus juxta religioſiſſimorum Chriſtianorumque Imperatorum præſcriptum in Epheſiorum Metropoli per gratiam Dei congregata, Neſtorio novo Iudæ. Agnoſce te propter impias prædicationes tuas, & adverſum Canones contumaciam vigeſimo ſecundo die menſis Iunij præſentis juxta Eccleſiaſticarum ſanctionum decreta à ſancta Synodo depoſitum atque ab omni Eccleſiaſtico gradu alienum eſſe.*

Ejuſmodi fuit actio litis in Neſtorium illatæ Epiſcopum Conſtantinopolitanum, hæreſis crimine poſtulatum & convictum, de qua quidem lite multa ſunt animadverſione digna, multæque difficultates ſolvendæ & enucleandæ.

I. Hæc

I. Hæc omnia quæ mox retulimus, invictiſſimè demonſtrant, vera quæ propoſuimus hujus libri cap. 8. quo probavimus penes Concilia generalia jus exiſtere dirimendi Epiſcoporū cauſas primæ ac ſupremæ cognitionis judicio; quamvis ad ea deferre lites prætermiſſis Conciliis provincialibus, lege Concilij Conſtantinopolitani ſit prohibitum; ut obſervavimus ſuprà cap. 22. Enimverò conſtat palam & publicè ante Concilium Epheſinum, Neſtorium nec à Concilio provinciali, nec ab ipſo Romano Pontifice fuiſſe judicatum. altem inficiari nemo poteſt à Pontifice non fuiſſe abdicatum; quippè qui tantummodo minitatus erat ſegregationem à communione, niſi errores ejuraret, & ab hæreſi animum ad ſanam fidei doctrinam traduceret.

II. Conſtat Neſtorium de diſciplinâ Sardicenſi non cogitaſſe. Enimverò poſtquam depoſitus fuiſſet, quamvis ſuam cauſam juſtam & bonam æſtimaret, non ei in mentem venit rogare Pontificem recuperatorios judices ad ſui negotij recenſionem; nec appellare ad Synodum Sedis Apoſtolicæ. Sed omni appellatione poſtpoſitâ, ſententiam Concilij Epheſini executus eſt; ipſoque epiſcopatu ſpoliato die 22. Junij anno 431. alter Epiſcopus juſſu Imperatoris Conſtantinopoli in locum ejus ſuffectus eſt. In exilium miſſus eſt ab Imperatore, bona ejus Eccleſiaſtico fiſco addicta ſunt, & quamtumvis errores ejuraret ac palinodiam caneret, confeſſus Mariam Virginem eſſe Matrem Dei, ad has anguſtias redactus eſt.

Rebus in hunc modum confuſis ac perturbatis, inquit Socrates, *animadvertens Neſtorius contentionem uſque ad communionis perniciem deveniſſe, pœnitentiâ ductus Mariam Deiparam appellare cœpit, his verbis utens, dicatur ſi places Maria Deipara & ſimultas omnis conquieſcat. Verum licet mutata ſententia hæc diceret, nemo tamen illud admiſit; quippè etiamnum depoſitus & in exilium miſſus* Socr.l.7. hiſt.c.34.

Oaſim incolit. Maximianus alter epiſcopus Sedem ejus occupavit, & Neſtorio redire ad Eccleſiam Conſtantinolitanam non potis fuit.

III. Dicent nonnulli mirum non eſſe ſi Neſtorius à ſententiâ Concilij Epheſini non provocaverit ad Papam, quippè cum Cœleſtinus huic Concilio præfuerit, ope Sancti Cyrilli, cui vices ſuas delegaverat, ut ex actis intelligimus. *Cyrillo Alexandriæ qui & Cœleſtini quoque ſanctiſſimi ſacratiſſimique Romanæ Eccleſiæ Archiepiſcopi locum obtinebat.*

Verùm huic objectioni reſpondere non eſt valdè arduum. Dato enim non conceſſo, Papam Cœleſtinum huic Concilio præfuiſſe, non conſequitur Neſtorium Sede Epiſcopali pulſum fuiſſe autoritate Pontificis Romani potius quàm aliorum Epiſcoporum qui per ſe aut per Legatos ſuos huic Concilio aderant. In hoc enim caſu & Papa & alij orbis Epiſcopi, ex quibus Concilium œcumenicum exurgit univerſam Eccleſiam repræſentans, errori non ſunt obnoxij in his quæſtionibus dirimendis, quæ ad fidem ſpectant. Immò verò ejuſmodi Concilium eſt ultimum & ſupremum Eccleſiæ tribunal à quo nemini homini appellare licet. Inſuper nemo Catholicus dubitat autoritatem ſummi Pontificis nullis eſſe circonſcriptam limitibus cum acceſſionibus Concilij generalis: in quo vota ſeu ſuffragia coëpiſcoporum ex officio præſidis colligit, & ex eorum multitudine ſententiam ſeu judicium de rebus deliberatis pronunciat. In hoc enim caſu autoritas Pontificia Eccleſiæ autoritatem non corroborat, ſed immò potius Eccleſiæ autoritas Pontificiam firmat.

Verumenimverò huic Concilio Epheſino Cœleſtinus Papa nunquàm præfuit ope S. Cyrilli cui ſuas vices delegaverat. Nam vice Epiſcoporum Africæ non ſecus ac Cœleſtini Pontificis huic Concilio Cyrillus intererat, qui tamen præeſſe neutiquam cenſebatur, ut teſtificantur

Patres

Digitized by Google

Patres hujus Concilij relatione rerum geſtarum in hac Synodo, ad Imperatores miſſa per Palladium Magiſtrianum Kalendis Julij.

Quæ quidem Synodus omnes totius orbis ſanctiſſimos Epiſcopos unum idemque ſentientes habet. Nam & Magnæ Romæ Epiſcopus Synodo ſimul intereſt, neque deſunt Africani per piiſſimum Archiepiſcopum Cyrillum repræſentati, cum quo ſuam ſententiam conjunxerunt.

Reverà ex multis hujus Concilij inſtrumentis perſpicimus, tam ex Epiſtolâ Cœleſtini ad Conſtantinopolitanos, quàm ex litteris ejuſdem ad Neſtorium Pontificem Romanum ſuam poteſtatem delegaſſe ſancto Cyrillo, ut ſua vice & loco, Concilio adeſſet. Sed ex nullo intelligimus hanc facultatem datam fuiſſe, ut præeſſet.

Quippè adeſſe, & præeſſe, multam diſcrepantiam ac diſſimilitudinem habent. Nam S. Cyrillus non ſolus erat Legatus Pontificis Cœleſtini, ut patet actione 13. hujus concilij, ſed tres alij ſcilicet Philippus preſbyter, Arcadius & Projectus Epiſcopi, non ſecus ac S.Cyrillus vicariâ poteſtate Cœleſtini fungebantur. Attamen nemini homini in mentem incurrit eos Concilij Præſides conſtituere. Nec obſtat dicere unum tantum huic Synodo præfuiſſe; Nam dubium non eſt quin Memnon Epheſi Epiſcopus ita ut Cyrillus præfuerit, ut amplâ teſtificatione conſtat, ex mandato quod Sancta Synodus piiſſimis Epiſcopis injunxit, qui ab ea Conſtantinopolim miſſi ſunt ut cauſam contra Orientales dicerent, & exemplo relationis à Sancta Synodo miſſæ piiſſimis Imperatoribus per Juvenalem,Firmum,Flavianum,Arcadium,Theodoſium,Acacium,Evoptium, Epiſcopos,& Philippum preſbyteros; qui tamen Memnon nec Legatus Papæ fuit, nec locum ejus in Concilio occupavit. Igitur fateri neceſſe eſt potuiſſe hominem præeſſe Concilio non obtentâ vice Pontificis,& ſimiliter obtinere vicem ejus, ſeu eſſe Vicarium, & non

Action. 6. Concil. Epheſ. pag.302. & 303.

præeſſe

præeſſe. Et ſi Sanctum Cyrillum hæc duo ſimul conjunxiſſe contigerit, ſicut ex eo quod præfuerit, non conſequitur fuiſſe Legatum, ex eo quod Legatus fuerit non conficitur eum præfuiſſe. Præterea ſi habitâ ratione Legationis in ordine ſuo conſidebant Epiſcopi in Concilio, & ſi primas tenebat Cyrillus quia vice Romani Pontificis aderat, conſequitur & aliorum Epiſcoporum Legatos in ordine collocatos fuiſſe pro dignitate Epiſcoporum quorum vices gerebant. Interim hoc eſt à veritatis inſtitutis longè alieniſſimum. Nam ex actione prima hujus Concilij perſpicimus Flavianum Epiſcopum Philippi ordine quartum conſediſſe, & vice Rufi Epiſcopi Theſſalonicenſis adfuiſſe. An licet colligere quartam ſedem occupaſſe in hoc Concilio Flavianum, quia Vicarius erat Epiſcopi Theſſalonicenſis? Hoc ratiocinij genus inſulſum & abſurdum foret. Sed ſicut Flavianus quarto ſedebat loco propter ſuæ ordinationis antiquitatem, ſimili ratione primas tenebat S. Cyrillus, quamvis à viginti vix annis Epiſcopatum gereret, vel fortaſſe hanc Sedem occupabat ex votis & conſenſu Patrum Concilij qui hunc ei honorem habitâ ratione meriti ſingularis detulerant. Utcumque res ſint, dignitas qua exornabatur, legati Pontificis Romani & Epiſcoporum Africæ ad amplitudinem Præſidis Concilij velut additamentum accedere videbatur.

IV. Dicunt poſtquam littera Cœleſtini ad Concilium perlecta fuiſſet quam ejus Legati attulerant Philippus preſbyter, Arcadius & Projectus Epiſcopi, omnes Patres his vocibus exclamaſſe. *Hoc juſtum judicium, novo Paulo Cæleſtino, novo Paulo Cyrillo, Cæleſtino cuſtodi fidei, Cæleſtino cum Synodo concordi; Cæleſtino univerſa Synodus gratias agit. Unus Cæleſtinus, unus Cyrillus, una fides Synodi, una fides orbis terrarum.*

Act. Concil. Epheſ. part. 2. act. 2. pag. 235.

Ex his verbis colligere licet Concilium approbaſſe ſententiam

tentiam Cœleſtini, ſed ex his difficiliter conficitur huic Concilio Cœleſtinum præfuiſſe, & ſolum habitâ ratione vicariæ poteſtatis ac delegatæ Cyrillum primas tenuiſſe. Hæc enim exclamatio æquabili ratione honori & gloriæ utriuſque conducit. Ambo enim cum Sancto Paulo comparantur.

V. Confirmatur hæc objectio verbis Philippi Preſbyteri Legati Cœleſtini, relatis actione 2. quibus gratiis actis patribus pro hac exclamatione ait, *Non enim ignorat veſtra beatitudo totius fidei vel etiam Apoſtolorum caput eſſe beatum Apoſtolum Petrum. Proinde cùm noſtra mediocritas multis tempeſtatibus jactata & vexata ſerius acceſſerit, rogemus ut ea nobis pateſieri mandetis, quod ante adventum noſtrum in ſancta hac Synodo acta ſunt, quo juxta Beati Papa noſtri præſentiſque hujus ſancti cœtus ſententiam nos quoque confirmemus conformiter eorum definitioni.* Ex his autem nihil intelligimus, niſi legatos ad ſententiam Concilij & Pontificis voluiſſe ſe accommodare, cum in unam eandemque concurrere viderent.

VI. Ut probent Concilium Neſtorium abdicaſſe autoritate Pontificis Romani, dicunt habitâ quæſtione de Joanne Antiocheno qui ſe ad tuendas partes & hæreſim Neſtorij aggregaverat, non auſum eſſe Concilium ejus cauſam judicare, ſed ad Pontificem Romanum remiſiſſe. Ut patet actione quinta. *Indignitate itaque rei merito commoti, ejuſmodi in illum & in alios ſententiam legitur proferre deliberavimus cujuſmodi ipſe tulerat illegitimè contra eos qui de nullo crimine condemnati fuerant. Verum quo illius temeritatem longaminitate vinceremus, etiam ſi illam juſtiſſimè legitiméque ſubiviſſet pietatis tuæ judicio hoc reſervavimus.* Hæc ad Pontificem dimiſſio non contigit, injecto metu deficientis autoritatis ad hanc litem dirimendam, quippè cum juſſerit Concilium ei bis diem dici, ut ad judicium ſe ſiſteret. Ut perſpectum habemus

Act. Concil. Epheſ. part. 2. art. 5. pag. 254. in relat. ad Cœleſt.

S ſ ex

actione quartâ hujus Concilij pag. 244 245 & 246. quâ S. Cyrillus tertiâ vice Joanni prædicto diem eſſe dicendam decrevit, & ſi adeſſe ad judicium renueret, fore à Concilio judicandum. *Ipſum verò reverendiſſimum Ioannem tertia adhuc citatione accerſet. Quod ſi tertiò vocatus non comparuerit. Tunc demum ſancta & œcumenica Synodus Canones ſecuta, meritam ſententiam in illum feret.* Quis poteſt ex his verbis intelligere Patres Concilij Epheſini adeò dubitaſſe de ſuæ autoritatis amplitudine, ut Joannis Antiocheni cauſam ad Pontificem Romanum judicandam remittere debuerint ? Quid denique opus eſt inquirere hujuſce dimiſſionis ad Pontificem rationes, & cauſas undique venari, de quibus ipſum Concilium nullam facit mentionem ? Cum præſertim ex relatione Concilij ad Cœleſtinum intelligamus, veram hujuſce dimiſſionis cauſam fuiſſe patientiam Chriſtianam, cujus arte mirificâ Joannem ad meliorem frugem traducere ſibi perſuadebat Concilium. Quod quidem de ſuo jure ad judicium ferendum non dubitavit: quippè cùm ei communione interdixerit, & omnibus factionis conjuratis actione ſeptima licèt eum omnino diſturbare ac Epiſcopali Sede ejicere noluerit.

VII. Ut dubitandi locus nullus relinquatur quin è re & jure Romani Pontificis, neutiquam verò Concilij Epheſini fuerit, judicare cauſam Joannis Antiocheni: viri docti obſervant Juvenalem Epiſcopum Hieroſolymitanum dixiſſe actione quarta Concilij Epheſini pag. 244. *ad Apoſtolicam Magnæ Romæ Sedem morem eſſe ex Apoſtolico ordine & traditione, ut ipſa Sedes Antiochena dirigatur & ab ea judicetur.* Hoc argumentum videtur certiſſimum ac clariſſimum, ad probandam Pontificis Romani autoritatem adverſus Epiſcopos Antiochenos. Sed è contra non videtur eo loci Juvenalis reſpicere ad Apoſtolicam Romæ Sedem, aut de ea mentionem facere: ſed ad

Digitized by Google

ad Hierolymitanam, quam ipſemet Juvenalis occupabat. In eo culpat Joannem Antiochenum quod coram Epheſino Concilio non comparuerit, ac Sede Apoſtolicâ quæ aderat, ſcilicet S. Cyrillo vice Cœleſtini, & Apoſtolico obedientiam & honorem non detulerit, ſcilicet Epiſcopo Hieroſolymitano apud quem maximè mos erat ex Apoſtolico ordine & traditione ut ipſa Sedes Antiochena dirigeretur, & apud eum judicaretur. *Iuvenalis Hieroſolymorum Epiſcopus dixit oportebat quidem Ioannem Reverendiſſimum Antiochiæ Epiſcopum, hac ſanctâ & Magna & Oecumenica Synodo conſideratâ confeſtim occurrere, & de iis quæ illi objiciuntur ſe purgare: Et ad Apoſtolicam Sedem magna Roma nobiſcum conſidentem, & obedientiam & honorem deferre Apoſtolico Sanctæ Dei Eccleſiæ Hieroſolymorum apud quem maximè mos eſt ex Apoſtolico ordine & traditione, ut ipſa Sedes Antiochena dirigatur & apud eum judicetur.*

Cardinalis Perronius in iteratâ reſponſione ad Magnæ Britanniæ Regem cap. 30. contendit hanc verſionem quodam vitio laborare, & ultimam hujus periodi clauſulam referendam eſſe, non ad Sedem Hieroſolymitanam, ſed ad Romanam, ut reverà vertit Peltanus. Suſtinetque autorem verſionis Romanæ in errorem inductum, eo quod Verbum *obedire* ὑπακούειν caſum dativum regit & non animadvertit verbum *honorare*, ei adjunctum ejus regimen mutare. Adeoque cenſet doctiſſ. Cardinalis non legendum eſſe *& obedientiam & honorem deferre Apoſtolico ſanctæ Dei Eccleſiæ Hieroſolymorum apud quem maximè mos eſt, &c.* Sed potius & melius, *& ad Apoſtolicam Sedem Magna Roma (nobiſcum conſidentem, & cum Apoſtolico ſanctæ Dei Eccleſiæ Hieroſolymorum) obedientiam & honorem deferre, apud quem maximè mos eſt, &c. Ex Apoſtolico ordine & traditione ut ipſa Sedes Antiochena dirigatur, & apud eum judicetur.* Porrò textus græcus ſic habet

Ἰουβενάλιος ἐπίσκοπος Ἱεροσολύμων, εἶπεν ἐχρῆν μὲν Ἰωάννην τὸν εὐλαβέστατον ἐπίσκοπον Ἀντιοχείας ἐνθυμούμενον τὴν ἁγίαν καὶ μεγάλην καὶ οἰκουμενικὴν σύνοδον ταύτην, ἐνθέως εἰς ἀπολογίαν τῶν ἐπαγομένων αὐτοῦ δραμεῖν καὶ τὸν ἀποστολικὸν θρόνον συνεδρεύοντα ἡμῖν τῆς μεγάλης Ῥώμης, καὶ τῷ ἀποστολικῷ τῆς Ἱεροσολύμων ἁγίας τοῦ θεοῦ ἐκκλησίας ὑπακοῦσαι καὶ τιμῆσαι παρ' ᾧ μάλιστα ἔθος αὐτὸν τῶν Ἀντιοχείων θρόνον ἐξ ἀποστολικῆς ἀκολουθίας καὶ παραδόσεως ἰθύνεσθαι, καὶ παρ' αὐτῷ δικάζεσθαι. Quæ ſic ad verbum verbo reddi poſſunt. *Iuvenalis Epiſcopus Hieroſolymæ dixit oportebat quidem Ioannem piiſſimum Antiochiæ Epiſcopum conſiderantem ſanctam & magnam & univerſalem Synodum hanc confeſtim ad Apologiam objectorum ſibi accurrere, & Apoſtolicum thronum conſidentem nobiſcum Magnæ Romæ, Apoſtolico Hieroſolymorum Sanctæ Dei Eccleſiæ obedientiam deferre, & honorem apud quem maximè mos ipſum Antiochiæ Thronum ex Apoſtolico ordine & traditione dirigi, & apud ipſum judicari.*

Contendit Illuſtriſſimus Cardinalis niſi verſio Peltani aliis antecellit textus græci orationem congruam non videri; cùm nihil regere poſſit hunc caſum accuſativum τὸν ἀποστολικὸν θρόνον niſi verbum τιμῆσαι. Sed non difficile eſt animadvertere poſſe ab his duobus verbis ἐχρῆν ἐνθυμούμενον quæ antecedunt regi, & reverà ſi verbum τιμῆσαι regeret, conſtructio vitio non careret, propter interpoſitum ὑπακοῦσαι, quod dativum caſum regit. Hoc ſciunt, quibus *dant cruſtula blandi doctores, elementa velint ut diſcere prima.* Inſuper facile eſt hanc vitilitigationem extricare ſi dicamus ſive ex uſu dicendi Juvenalis, aut ſcribarum vitio, in hunc ſermonem irrepſiſſe figuram quam Rhetores ὑπερβατὸν appellant, quæ eſt, juxta Quintilianum, verbi tranſgreſſio, hoc eſt cum poſt verborum tractum, verbum ad calcem uſque transfertur. Enimverò ſi verbum ὑπακοῦσαι proximè ſequeretur nomen Ῥώμης & antecederet ἀποστολικῷ τῷ nulla ſupereſſet difficultas. **Lib. 8. c. 6.**

Ad

Ad hanc Peltani verſionem ſuſtentandam aſſerit obfirmato pectore Cardinalis, Epiſcopos Romanos, neutiquam verò Hieroſolymitanos recenſuiſſe judicia Conciliorum Antiochiæ ut patet exemplis Pauli Samoſateni & S. Athanaſij, ſed ut ipſe perperam non recenſeam ea quæ jam accuratè tractavimus, placeat Lectori iterum evolvere quæ diximus ſuprà capitibus 5. 9. & 13. hujus operis. Similiter & ad cap. 12. remitto: Ut ſe expediat à tertio argumento quo hanc lectionem Peltani confirmat Cardinalis: quod exurgit ex eo quod vitium contra Concilium Antiochenum objectum tempore S. Athanaſij non cenſebatur ortum ex abſentiâ Epiſcopi Hieroſolymitani; ſed Pontificis Romani & legatorum ejus.

Sed paulò difficilius eſt quartum Magni Cardinalis argumentum ſolvere. Aſſerit enim S. Hieronymum in contrariam prorſus ſententiam iviſſe; ſi verba Juvenalis Hieroſolymitani ſecundùm verſionem Romani interpretis legantur. Tantùm enim abeſt ut Epiſcopus Antiochenus fuerit obnoxius juriſdictioni Epiſcopi Hieroſolymitani, cum è contra Hieroſolymitanus obnoxius eſſet, pro primæ cognitionis judicio, Epiſcopo Cæſarienſi, & pro provocationis judicio, Epiſcopo Antiocheno, ut teſtificantur Concilium Nicænum & S. Hieronymus. S. Hieronym. Ep. ad Pammachium de errorib. Ioan. Hieroſolymit. pag 189. in fine.

Tu qui regulas quæris Eccleſiaſticas, & Nicæni Concilij Canonibus uteris: Et alienos clericos & cum ſuis Epiſcopis commorantes tibi niteris uſurpare: Reſponde mihi ad Alexandrinum Epiſcopum Palæſtina quid pertinet? & totius Orientis Antiochia. Aut igitur ad Cæſarienſem Epiſcopum referre debueras: cui ſpretâ communione tuâ, communicare nos noveras. Aut ſi procul expetendum judicium erat, Antiochiam potius litteræ dirigendæ. Sed novi cur Cæſariam, cur Antiochiam nolueris mittere. Sciebas quid fugeres, quid vitares. Maluiſti occupatis auribus moleſtiam facere, quàm debitum Metropolitano tuo honorem reddere. Sed hæc non

impediunt quominus Juvenalis S. Hieronymo contrarium dicere potuerit. Nam ætate S. Hieronymi nondum orta erat controverſia ſeu concurſatio, inter Epiſcopum Antiochenum & Hieroſolymitanum de juriſdictionis amplitudine, adverſum tres Palæſtinas Provincias.

Quamobrem jure merito conceptis ejuſmodi verbis alloquebatur Joannem Hieroſolymitanum, quoniam ejus ætate Cæſarea quæ intra limites ſecundæ Palæſtinæ comprehendebatur erat Hieroſolymæ Metropolis; & qui cauſâ ceciderant Cæſareæ, jus provocationis habebant nemine contradicente, ad Tribunal Antiochenum. Sed objectionem ejuſmodi ſuſtinere non potuit Juvenalis, cum occuparet Sedem Apoſtolicam, non ſecus ac Romæ, Antiochiæ & Alexandriæ Antiſtites. Adeoque continenti tempore, magnam hanc controverſiam intulit Maximo Antiocheno quam Concilium Chalcedonenſe definivit actione 7. In eo enim communi litigantium conſenſu ſtatutum eſt, fore duas Phœnicias & Arabiam ſub poteſtate Epiſcopi Antiocheni, & tres Paleſtinas in quarum ſecundâ erat Cæſarea, ſub poteſtate Epiſcopi Hieroſolymitani. Itaque nemini homini mirum videri debet, Juvenalem ab Hieronymi mente alieniorem fuiſſe, quem jura vindicata, atque amplificandæ juriſdictionis ſpes in diverſam ſententiam & conſilia contraria adduxerant. Quæ dicit S. Hieronymus conveniunt ordini ac diſpoſitioni rerum ſui temporis; Juvenalis verò decem poſt annis, loquitur ad mentem hominis litem alteri inferentis, qui jura nova ſibi vindicare conatur, & de ſuæ cauſæ juſtitiâ & æquitate non dubitat.

Quinto adhuc argumento verſionis Peltani accurationem confirmat Cardinalis Perronius. Quia ſcilicet Concilium Epheſinum coram ipſomet Juvenale cauſam Joannis Antiocheni ad Pontificem Romanum remiſit.

Sed

Digitized by Google

Sed, hanc dimiſſionem ſuprà num.6. hujus capitis explicavimus.

Deinde ſextum argumentum aſſumit ex Concilio Chalcerdonenſi : In quo coram Juvenale cenſuit Anatolius Epiſcopus Conſtantinopolitanus non debere Maximum in latrocinio Epheſino electum Epiſcopatu decedere. *Quoniam & ſanctiſſimus Leo Romanus Archiepiſcopus in communionem tum recipiens, praeſſe eum Antiochenſium judicavit Eccleſia.* Quæ cum ita ſint, non minus difficile eſſet probare Epiſcopum Antiochenum fuiſſe juriſdictioni Romani obnoxium. Enimverò verbum *judicavit*, non ſignificat Leonem Papam juridiciale de hac causâ tuliſſe judicium, ſed ſolùm admiſſo ad communionem Maximo, æſtimaſſe eum in Antiochenâ Sede placidè relinquendum. Non enim minus textui græco verſio Latina congrueret, ſi loco *judicavit* ſubſtitueretur *cenſuit*; Nam legitur in autographo *ἐδικαίωσε* à verbo *δικαιόω* quod ſignificat *juſtum & æquum cenſeo*, *æquè ac judico*. Hanc veritatem confirmat vehementer idem Anatolius, dum eadem Concilij Chalcerdonenſis actione 10. de negotio Ibæ Epiſcopi Edeſſæ deliberat ſeu juridiciale ſuffragium fert, atque de ejus in Epiſcopali Cathedrâ permanſione judicat ; quippè non utitur hoc verbo *δικαιόω* ut ſignificet *judico*, ſed hoc altero *κρίνω*, *καὶ ἄξιον αὐτὸν κρίνω τῆς ἐπισκοπῆς*. *Et dignum eum judico Epiſcopatu.* Ex quo intelligimus quantam diſcrepantiam ipſemet Anatolius recognoſceret inter juridiciale ſeu forenſe judicium, & judicium quod ſimplicem humanæ mentis actum ſeu cogitationem ſignificat. Ex eadem actione Concilij perſpicimus Stephanum Epiſcopum Epheſi hoc verbo etiam *δικαιόω* non uti, ut ſignificet *judico*, ſed hoc potiùs *δοκιμάζω*. Hanc obſervationem confirmabunt mirabiliter ea quæ dicturi ſumus infrà cap. 51. Sed utcumque res ſint, contendo Anatolium non ſolùm ratam habere electionem

nem Maximi pro Epiſcopatu Antiocheno quia cum eo communicaverat S. Leo Papa, ipſumque hac Sede dignum judicaverat, verumetiam quia eam in iverant ſententiam, omnes Concilij Chalerdonenſis Patres. Hoc enim luce meridianâ clariùs patet ex voto ſeu ſuffragio Stephani Epiſcopi Epheſini relato actione 10. hujus Concilij *Stephanus Reverendiſſimus Epiſcopus Epheſi dixit: Et ego judico ut quæ contra Canones in Epheſinâ Metropoli facta ſunt infringantur, exceptis his quæ geſta ſunt adverſus Dominum Antiochenæ civitatis Epiſcopum ob hoc quia ordinatio Dei amantiſſimi Epiſcopi Maximi facta pro eis Canonicè in Antiochenâ Metropoli à ſanctiſſimo Archiepiſcopo Leone, & hoc præſente ſancto & univerſali Concilio eſt ſuſcepta.* Quis enim ex his verbis non intelligit in Eccleſiâ Antiochenâ ſtetiſſe Maximum, non ſolum præſidio autoritatis Pontificiæ, verùm etiam totius Concilij in eandem cum eo ſententiam concurrentis? Cecropius non adeò Leoni Pontifici ſuo voto gratificatus eſt, ſed tantùm dixit, *Quod placuit ſancto Concilio de his quæ in Epheſo geſta ſunt, hoc mihi placet*, alij rem totam ad Imperatorem deferendam eſſe cenſuerunt. Itaque nihil magis à rectæ rationis inſtitutis alienum videtur, quàm ex hoc voto Anatolij colligere Antiochenum Epiſcopum fuiſſe Romani Pontificis juriſdictioni obnoxium.

Denique ſeptimum & ultimum argumentum aſſumit Cardinalis ex Concilio generali ſexto contra Monothelitas Conſtantinopoli celebrato anno Chriſti 681. ſcilicet ducentis annis poſt Epheſinum, cujus inter acta occurrit actione 18. Epiſtola Imperatoris Conſtantini Pogonati Synodo Sedis Apoſtolicæ Romanæ ſcripta, ex qua intelligimus Macarium Epiſcopum Antiochenum & multos alios magiſtratu Sacerdotali decedere in hoc Concilio coactos ad Romanum Pontificem remiſſos fuiſſe. *Hic quidem qui Antiochenſium factus eſt Præſul Macarius quem*

non

non oportet dicere Macarium, & qui cum ipſo de ordine Chriſti diſceſſerunt. Cujus univerſalis conventionis communi ſententiâ de Sacerdotali dignitate repulſi ſunt, & probationi Sanctiſſimi Papæ traditi ſunt. Hoc confirmat ejuſdem Imperatoris reſcriptum ad Leonem II. Pontificem eadem actione relatum.

Sed reſpondeo etiam ſi tempore Concilij Sexti generalis, jus penes Romanum Pontificem fuerit, judicandi cauſas Epiſcopi Antiocheni, non conſequi eodem jure jam potitum eſſe tempore Concilij Epheſini bis centum annis ante celebrati. Nam inficiari nemo poteſt tanto ducentorum annorum intercalarium ſpatio diſciplinam Eccleſiaſticam multis viciſſitudinibus obnoxiam fuiſſe, ac Romanos Pontifices in multarum rerum poſſeſſionem veniſſe quæ anteceſſoribus incogitabiles videbantur. Ideoque admonitum volui lectorem, hujus operis cap. 35. conſilium ac mentem meam non eſſe Synodis vindicare autoritatem ſupremam ad judicia cauſarum Epiſcopalium, ultra quinti ſæculi umbilicum, ſive ſancti Leonis Magni Pontificatum.

Itaque dicere non pertimeſco hoc argumentum Cardinalis Perronij ex Concilio ſexto aſſumptum, quo verſionem Peltani potiorem eſſe habendam Romanâ conatur comprobare, non aliis ejuſdem Cardinalis antecellere. Nunquam enim conſequi poteſt ex eo quod Antiochia fuit Romæ ſubjecta anno 681. debuiſſe pariter ei ſubjici anno 431.

VIII. Objectant quidam concepta verba ſententiæ adverſus Neſtorium pronunciatæ ut probent Concilium Epheſinum ex mandato & juſſu Pontificis Cœleſtini abdicaſſe Neſtorium. *Coacti per ſacros Canones & Epiſtolam ſanctiſſimi Patris noſtri Cæleſtini Romanæ Eccleſiæ Epiſcopi lachrymis ſubinde perfuſi ad lugubrem hanc contra eum ſententiam neceſſariò pervenimus.* Act. 1. Concil. Epheſ. pag. 204.

Digitized by Google

Sed hæc verba non magis probant abdicatum fuiſſe autoritate Pontificis, quàm Canonum. Immò magis credibile eſt Concilium morem gerere voluiſſe canonibus quam Pontifici: Quippè cùm inſtrumentum ſignificatæ hujus ſententiæ Neſtorio, de canonibus tantummodo mentionem faciat, neutiquã verò de Epiſtolâ Cœleſtini. Itaque dum Concilij Epheſini Patres, abdicarunt Epiſcopatu Neſtorium coacti per Epiſtolam ſanctiſſimi Cœleſtini non intelligendum eſt eis datam hanc vi hujus Epiſtolæ abdicandi facultatem fuiſſe; ſed ita ſe geſſiſſe, quia hæc Epiſtola juſtitiæ, æquitati, & diſciplinæ Canonum eccleſiaſticorum congruens, hanc eis neceſſitatem imponere videbatur. Enimverò incogitabile eſt hujus Concilij Patres ullum jus ex hac Epiſtolâ ſibi arrogare potuiſſe. Primò, cum ſcripta ſit ante coactionem Concilij Epheſini. Conſtat enim ex parte 1. actorum hujus Concilij cap.18. & 32. datam fuiſſe 3. Idus Auguſti anno 430. Concilium verò coactum fuiſſe 13. Kalend. Decembris ejuſdem anni. Secundò, cum etiam hæc Epiſtola ſcripta ſit Neſtorio, nullamque ei abdicationem minitetur, ſed ſolùm à communione Eccleſiæ ſegregationem niſi intra decem dies, ſuos errores ejurare velit.

At fortaſſe dicent Concilij Epheſini Patres non fuiſſe coactos abdicare, Neſtorium per Epiſtolam Cœleſtini Neſtorio inſcriptam, ſed toti Concilio Epheſino, cum advenerunt ejus Legati Arcadius & Projectus Epiſcopi, & Philippus Preſbyter quæ refertur 2. parte actorum actione 2. pag.233. quam poſtquam omnes Epiſcopos ad fidem tuendam & ſuſtentandam vehementer accendit, ſuos miſiſſe legatos renunciat. *Direximus pro noſtrâ ſollicitudine ſanctos fratres & conſacerdotes noſtros unanimes nobis & probatiſſimos viros, Arcadium & Projectum Epiſcopos, & Philippum Presbyterum noſtrum, qui iis quæ aguntur interſint, & quæ à nobis ante ſtatuta ſunt exequantur. Qui-*

bus

bus præſtandum à veſtrâ ſanctitate, non dubitamus aſſenſum, quando id quod agitur, videatur pro univerſalis Eccleſiæ ſecuritate decretum data 8. *Idus Maij Baſſo & Antioc. Coſſ.*

Verumenimverò quî potuerunt, quæſo, Concilij Epheſini Patres acceptam referre autoritatem abdicandi Neſtorij huic Epiſtolæ, quæ non niſi poſt abdicatum Neſtorium eis innotuit? Nemo enim dubitat Neſtorium fuiſſe abdicatum actione 1. Concilij Epheſini die 22. Junij, Epiſtolam verò Cœleſtini lectam & cognitam fuiſſe actione 2. 10. die Julij ſubſequentis, ſcilicet quindecim dies poſt abdicationom Neſtorij. Inſuper hæc Epiſtola mentionem nullam facit abdicationis. Dixit quidem Papa ſperare, fore *ut exequantur ea quæ à ſe ſtatuta ſunt, quibus ab eorum ſanctitate non dubitat præſtandum aſſenſum, quando id quod agitur videatur pro univerſalis Eccleſiæ ſecuritate decretum.* At verò de obedientiæ & ſubmiſſionis officiis, quibus eum colere debent, ne vocem quidem emiſit.

CAPUT XLVI.

S. Cyrillus Alexandriæ Archiepiſcopus & Memnon Epheſi Epiſcopus in Latrocinio Epheſino Sedibus pulſi anno Chriſti 431.

NESTORIUS Epiſcopatu decedere coactus, ut mox oſtendimus, non meliorem extricandi ſe tot anguſtiis ac difficultatibus artem inveniri poſſe ſibi perſuaſit, quàm ſi Epiſcoporum haberet conjurationem, qui ſuarum partium rationibus adjuncti cum eo alterum Concilium Epheſinum cogerent.

Digitized by Google

At verò cum Candidiani ab Imperatore miſſi præſidio uteretur, hoc ſchiſma conflare non fuit difficile. Joannes Antiochenus quicum amicitiâ ac neceſſitudine con unctus erat, quique violata fide conceptis verbis data, à Concilio Epheſino abfuerat hujus coïtionis princeps extitit. Dorotheus quoque Marcianopolis Epiſcopus, cujus procax concionandi libertas Eccleſiam miſcuerat, ad tuendam conjurationem mentem & voluntatem aggregavit. Sicque brevi tempore quadraginta trium Epiſcoporum conventus extitit quem verum eſſe Concilium Epheſinum contenderunt. Et cum miſſi ab Imperatore Candidiani opportuno præſidio non carerent, ne turpe foret ſanctiſſimum Cyrillum Epiſcopatu Alexandrino, & Memnonem Epheſino abdicare non ſunt veriti. Adeoque conceptis verbis Joannes Antiochenus conciliabuli Præſes ac Primipilus hanc ſententiam pronunciavit. *Ideo tu Cyrille Alexandrine, & tu Memnon hujus civitatis Epiſcope ſcitote vos depoſitos, & ab Epiſcopatu alienos atque omni Eccleſiaſtico miniſterio & functione eſſe amotos.*

Acta Cócil. Epheſ. parte 2. pag. 226.

Ab iiſdem conjuratis, poſtea omnibus Epiſcopis veræ fidei cultoribus qui Concilio Epheſino adfuerant Eccleſiæ communione interdictum eſt. Inſuper ſcripſerunt accuratas geſtorum ſeu facinorum ſuorum relationes, ad Imperatorem, Reginas, clerum, Senatum & populum Conſtantinopolitanum quibus ſe coactos per Sacros Canones ad abdicandum Cyrillum & Memnonem ſimulabant, ut officij vicem veri Concilij Epheſini patribus reddere viderentur. *Quare hos quidem tanquam malorum autores, deponere coacti fuimus, & ab Epiſcopatu omninò amovimus; cæteros autem qui eorum adjutores & adminiſtri fuerunt, excommunicationis vinculo ſubjecimus, pœnitentiam non denegantes, quin potiùs clementiæ oſtium ſubapertum eis relinquimus.* Hinc horribiles ortæ ſunt contentiones, adeoque invaluit miſerabilium ſchiſmaticorum conjuratio, ut

Epiſcopos

Digitized by Google

Epiſcopos Catholicos ad extremas anguſtias adduxerint, ut intell gimus ex Epiſtolâ S.Cyrilli ad Clerum Conſtanopolitanum relata 2. parte actorum Concilij Epheſini, pag.293. *Verſamur autem omnes in multâ conflictatione, eo quod cuſtodiamur à militibus etiam ante cubicula noſtra dormientibus, maximè verò nos. Reliqua autem Synodus univerſa defatigata eſt & laborat, & complures mortui ſunt. Iam verò & cæteri eo quod ſumptibus deſtituti ſint, res ſuas divendunt.* Ex altera parte S.Cyrillus, Memnon & alij Epiſcopi orthodoxi injuriam ſibi factam generoſo ac potenti animo fortiter propulſarunt. Plures ſcripſerunt litteras clero Conſtantinopolitano, miſeruntque epiſcopos ad Imperatores ſuam cauſam peroraturos. Nunquam tantus fuit jactandæ aut exaggerandæ autoritatis Romanæ locus; & ſi tunc temporis nemo dubitaſſet totam Concilij Epheſini autoritatem ex Legatis Sedis Apoſtolicæ eſſe deductam, certè ea uti non ſolum nunquam magis opus, verùm etiam neceſſe fuit.

Attamen Cyrillus, Memnon & alij Epiſcopi nunquam tot litteris hac de controverſia ſcriptis cauſati ſunt, aut dixerunt Pontificem Romanum non ſtare à partibus Orientalium per ſe aut per ſuos Legatos. Inſuper ſi hac ætate appellationes ad Romanam Sedem fuiſſent in uſu & conſuetudine poſitæ, cur S.Cyrillus & Memnon à conciliabulo Epheſino ad Papam Cœleſtinum non appellaverunt? Cur ſaltem non dixerunt hanc Synodum invito Romano Pontifice congregari, eique nec per ſe nec per ſuos Legatos adeſſe?

Denique ſi eum Neſtoriani Epiſcopi quorum dux ac Primipilus erat Joannes Antiochenus ſcripſerunt Rufo Theſſalonicenſi, qui per Flavianum epiſcopum Philippi, Concilio Epheſino adfuerat, & quartum Canonem Antiochenum citaverunt, *Si quis Epiſcopus à ſancta Synodo, aut presbyter vel Diaconus ab Epiſcopo ſuo depoſitus non ex-*

pectato Synodi judicio ſacris miniſteriis ſe ingeſſerit nullus; ſe expurgandi locuſne in alia quidem Synodo hinc relictus eſto. Nemo dubitaſſet Romanum Pontificem habere jus iteratâ cognitione recenſendi cauſas à Synodis jam judicatas, cur non reſpondiſſent ita ſe rem habere Epiſcopi Orthodoxi? cur non repoſuiſſent hunc Canonem Antiochenum fuiſſe ab Arianis confectum, & à Concilio Sardicenſi abrogatum? Hæc omnia luce meridianâ clarius demonſtrant Canones Sardicenſes hac ætate nequidem in mentem hominum incurriſſe, & appellationes ad Romanam Sedem valdè obſcuras & incognitas fuiſſe.

CAPUT XLVII.

De judicio contra duos Epiſcopos lato in Concilio Regienſi anno Chriſti 439.

CONCILIUM Regienſe, quod quatuordecim conſtitit Epiſcopis & uno preſbytero vicario Epiſcopi, mirabile nobis ſuppeditat argumentum, ad probandum penes Synodos Provinciales jus extitiſſe ultimæ cognitionis judicio dirimendi Epiſcoporum cauſas, etiam inconſulto Romano Pontifice.

Hoc Concilium juſſu Imperatoris coactum intelligimus ex præfatione *cum in voluntate Domini apud Regienſem Eccleſiam conveniſſemus.* Cauſamque illius congregandi fuiſſe perſpicimus ex Canone 3. ordinationem diſſolutam Armentarij Epiſcopi Ebrodurienſis confectam, *abſque trium Epiſcoporum præſentiâ abſque comprovincialium litteris ſine Metropolitani autoritate.* Id eſt violata & peſſumdata diſciplina Eccleſiaſtica ſancita Canone 4. Concilij Nicæni.

Tom. 1. Concil. Gall. Sirmondi.

Porrò

Porrò hac occaſione datâ patres hujuſce Concilij quæ ſequuntur decreverunt.

I. Miſericordia affecti erga duos Epiſcopos qui citiùs Armentario manus impoſuerant, quique excuſationem dederant ignorantiæ regularum Eccleſiaſticarum ſic ſtatuunt. *Itaque eos qui tam incondita ac tam inſtabilia uſurparunt, placuit miſericordiæ & charitatis occurſu ita in communionem dilectionemque recipi, ut ſcirent ſecundum recentem & ſaluberrimam Taurinatenſis Synodi definitionem ad perpetuam vitæ iſtius ſuffuſionem nullis ſe de cætero ordinationibus, nullis ordinariis interfuturos eſſe Conciliis: Quia nihil ſalubre ab illis ſtatuendum expectaretur qui tantæ corruptionis tam deteſtanda exempla præbuerunt.* Eorum epiſcoporum nomina nobis incognita ſunt. Sed utcumque res ſint, conſtat in Concilio Provinciali judicatos fuiſſe cauſam cum peroraſſent ſuam.

II. *Itaque ordinationem quam Canones irritam definiunt, ipſi quoque evacuandam cenſuerunt, in qua prætermiſſa trium præſentia nec expetitis Comprovincialium litteris, Metropolitani quoque voluntate neglecta prorſus nihil quod Epiſcopum faceret oſtenſum eſt. Itaque placuit in voluntate Domini amoto eo qui perperam aſſumptus eſt Epiſcopus, fieri omninò conſtitutionem Eccleſiaſticâ traditione ſervatâ.*

III. Sed quoniam Armentarium habebant confitentem reum, qui Eccleſia Ebrodunenſi decedere ac magiſtratu Epiſcopali ad quem violatis canonibus pervenerat ſe abdicare non renuebat, eundem condemnare noluerunt. *Velut innocentem eundem præterire Sacerdotes Domini qui huic Concilio aderant damnatione vacuum maluerunt.* Juſſerunt tantummodò exequi leges Canone 8. Concilij Nicæni ſancitas. *Quod ergo in quibuſdam ſchiſmaticis magis quàm hæreticis recipiendi Nicænum Concilium ſtatuit per territoria ſua hoc etiam præſens Conventus in hoc ſtatuit ab omnibus debere ſervari.*

CAPUT

CAPUT XLVIII.

Cauſa Eutychetis Archimandritæ & preſbyteri depoſiti in Concilio Conſtantinopolitano ſub Flaviano ejuſdem Eccleſiæ Archiepiſcopo anno Chriſti 448.

QUAMVIS cauſa Eutychetis ad argumentum in quo hæc verſatur lucubratio ſpeciatim pertinere non videatur, quoniam non Epiſcopus, ſed ſimplex preſbyter erat, & Archimandrita ſive Abbas & Monachorum præfectus: verumtamen cum ejus exemplum in medium protulerit Davidius, & ſingularem compoſuerit articulum ſui libri, ut eo, ætate ſancti Leonis Papæ I. appellationes ad Romanam Sedem tritas & uſitatas eſſe comprobaret: de hoc negotio quæſtionem habere neceſſe eſſe puto. Cum præſertim fluxu temporis occaſionem dederit congregandi quarti Concilij generalis, ex quo multa poſſumus aſſumere quæ veritati confirmandæ vehementer conducunt: Cujus tuendæ ac ſuſtentandæ gratia ad hoc opus ſcribendum animum appulimus.

David. pag. 285.

At verò intelligimus ex actis hujus Concilij quæ ſuperſunt habiti Conſtantinopolitani Zenone & Poſtumiano Coſſ. 6. Idus Novembris id eſt die octavo hujus menſis anno Chriſti 448. Et in quo Eutyches Sacerdotali ordine ejectus & Archimandritæ dignitate ſpoliatus fuit, hæreſis crimine accuſatum fuiſſe ab Epiſcopo Dorilei cui nomen erat Euſebio; & poſt multas contentiones & diſputationes convictum fuiſſe coram patribus Concilij, ad quorum judicium poſt juridiciales citationes adfuerat.

Præcipuum autem hæreſis caput defixum erat in eo quod

Chriſtum

Chriſtum Dominum ſuæ matri ſecundum carnem conſubſtantialem fuiſſe inficiaretur, adeóque conſecutione neceſſaria tenebatur duas in Chriſto naturas negare; & licet Chriſtum ex duabus naturis compoſitum intelligeret, ſibi perſuadere non poterat poſt unionem in filij Dei perſonâ factam, has naturas habere quandam diſcrepantiam aut diſſimilitudinem. Quamobrem vehementius urgente Euſebio Dorilei reſpondebat Eutyches: *Confiteor ex duabus naturis fuiſſe Dominum noſtrum ante adunationem, poſt adunationem verò unam naturam confiteor.* Acta Concil. Conſtant. relat. act. 1. Cōcilij Chalced. pag. 88. 89. 90. 91. 92. & 93. Ibidem pag. 92.

Hæc erat hæreſis & opinio Eutychetis quæ ſemper omnium hominum, intelligentiam ſuperavit; Quippe cum comprehendi ac percipi cogitatione non poſſit ex divina natura nulli viciſſitudini obnoxia, & ex humanâ tertiam exurgere quæ nec divina nec humana natura ſit. Vel naturam humanam eſſe in divinam tranſmutatam, aut divinam in humanam converſam. Utcumque res ſint hanc fuiſſe mentem & opinionem Eutychetis acta jam citata Concilij Conſtantinopolitani teſtificantur: adeoque Flavianum Epiſcopum non potuiſſe comperendinare, & ſententiam condemnationis procraſtinare. *Sanctiſſimus Archiepiſcopus dixit: Per omnia Eutyches quondam presbyter & Archimandrita ex his quæ antea acta ſunt, & nunc propriis ejus confeſſionibus Valentini & Apollinaris perverſitate repertus eſt ægrotare, & eorum blaſphemias incommutabiliter ſequi, qui nec noſtram reverens perſuaſionem atque doctrinam, rectis voluit conſentire dogmatibus. Unde lacrymantes & gementes perfectam ejus perditionem decrevimus per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum ab eo blaſphematum extraneum eſſe ab omni officio Sacerdotali, & à noſtrâ communione & primatu Monaſterij. Scientibus hoc omnibus qui poſtea colloquentur ei & ad eum convenerint, quoniam rei erunt & ipſi pœna excommunicationis, ut qui non declinaverint confabulationes ejus.* Act. 1. Cōcil. Chalced. pag. 92. & 93.

Huic ſententiæ deinceps unus & triginta epiſcopi ſubſcripſerunt, inter quos primus fuit S. Flavianus, & viginti tres presbyteri Archimandritæ. Hæc omnia perſpecta habemus ex actis Concilij Conſtantinopolitani quæ in ſecundo Concilio, ſeu latrocinio Epheſino lecta ſunt; in quo decreta & inſtituta Flaviani Dioſcorus abrogavit & revulſit, & relecta deinceps in Concilio Chalcedonenſi in quo penitùs confirmata ſunt.

Concil. Chalc. act. 1.

Jam verò nobis ſunt inquirenda. Primò utrum poſt condemnationem à Concilio Conſtantinopolitano Eutyches ad aliud tribunal appellaverit. Secundò, an ad Pontificem Romanum Leonem I. ut contendit Davidius capitis ſexti art. 2. Si ipſi Eutycheti fidem adhibere velimus non potis eſt recuſare quin appellaverit ad aliud Concilium.

David. pap. 285.

Quippè cum conceptis verbis dicat in libello confeſſionis fidei quem ſecundo Epheſino Concilio obtulit, cujus acta referuntur actione 1. Concilij Chalcedonenſis. Hæc ſunt verba. *Ego verò timens prævaricari prolatam definitionem à ſancta Synodo* (ſcilicet Epheſinâ 1.) *quæ hic Dei voluntate prius congregata eſt, & ea quæ definita erant de fide à ſanctis patribus qui in Nicæa convenerunt, rogabam innoteſcere ſancto veſtro Concilio, ut his quæ à vobis approbarentur acquieſcerem præparatus in his manere. Et hæc dicenti ſubitò contra me longè ante ſcripta, ut ipſi videbatur damnatio legebatur, & ſecretò jam poſteà aliquæ ipſorum voces ac profeſſiones meæ & aliæ allegationes, & maximè ſapere confitebar, in monimentum ſerie mutabantur, ſicut poſteà ſcriptis acta ex mea ſupplicatione & juſſione piiſſimi & Chriſtianiſſimi Imperatoris noſtri oſtendunt, nullum verbum faciente de appellatione mea ad veſtram ſanctitatem Reverendiſſimo Epiſcopo Flaviano, neque meos erubeſcente canos, in præliis contra hæreticos & pietatis confeſſione ſeneſcentis; ſed ſicut poteſtatem habens*

omnia de fide ſolus agere, & nihil veſtræ ſanctitati de talis æquitate judicij reſervare, condemnavit me.

Eadem perſpicimus ex actis comitiorum quæ haberi juſſit Imperator Conſtantinopoli paulò poſt Concilium in quo abdicatus fuit Eutyches: Ad inquirendum utrum ſcribis fidelitas non defuerit, in exſcribendis rei geſtæ actis, & mentionem fecerint reſponſionum Eutychetis ad accuſatores ſuos, quibus interpoſitis abdicari à & communione ſegregari non deſtiterat.

Acta Cócil. Conſtant. poſt Eutychetis depoſitionem in Epheſo lecta ſub Dioſcoro & Chalcedone relecta pag. 95

Quippè ex his actis intelligimus Conſtantinum quendam monachum & diaconum, qui ſe ad tuendum Eutychetem aggregaverat teſtificatum eſſe dum ſententia condemnationis legeretur Eutychetem appellaſſe ad Concilium Romani Epiſcopi, Alexandrini, Hieroſolymitani, & Theſſalonicenſis. *Conſtantinus reverendus diaconus dixit: Eutyches dum legeretur damnatio, appellavit ſanctum Concilium ſanctiſſimi Epiſcopi Romani & Alexandrini & Hieroſolymitani & Theſſalonicenſis*, qua de re in actis nulla mentio.

Et hæc in geſtis non ſint inſerta.

Reverà ex actis ipſis intelligimus finito Concilio Eutychetem clam & ſubmiſsâ voce dixiſſe Patricio ſe appellare ad Concilium Romanum, Alexandrinum & Hieroſolymitanum, ſed neutiquam declaraſſe in Concilio hanc eſſe ſuam mentem, & Epiſcopum quendam cui nomen erat Baſilio aſſeruiſſe prædictum Eutychetem dixiſſe ſe paratum eſſe obtemperare mandatis Epiſcopi Romani, & Alexandrini, ſed hoc non dixiſſe quaſi appellaviſſet à ſententiâ in Concilio Conſtantinopolitano pronunciatâ. *Magnificentiſſimus Patricius dixit: turba facta & diſſoluto conventu, dixit ad me ſilenter appellans Romanum & Ægyptium & Hieroſolymitanum Concilium: Et ego arbitratus indecens eſſe, latere hoc ſanctiſſimum & reverendiſſimum Archiepiſcopum Flavianum, abſcedens dixit ei. Baſilius*

reverendiſſimus Epiſcopus dixit: Iam in veritate dico adhuc ipſo conventu ſedente & proponente hoc ſancta Synodo, ut diceret eſſe duas naturas inſeparabiles & inconfuſas in uno Domino, & poſt adunationem ſcio quia dixit religioſus Archimandrita Eutyches, ſi præceperint mihi Patres Romanus & Alexandrinus, dico hoc ipſum. Hoc autem non quaſi appellans dixit ſed dicens non ſum auſus dicere propter Patres.

Denique omnes qui aderant huic conventui Epiſcopi idem teſtificati ſunt & Eutychetem neutiquam appellaviſſe aſſeruerunt.

Acta Concil. Calc. pag. 115. continent hæc Acta. *Magnificentiſſimus Patricius dixit ſi cognoverunt appellantem virum religioſum monachum, cæteri ſanctiſſimi Epiſcopi dicant Iulianus reverendiſſimus Epiſcopus dixit: Coram Deo dico: nihil tale ab Eutyche Monacho audivi in conſeſſu. Seleucus reverendiſſimus Epiſcopus dixit: Dum eſſet Concilium & interrogatio proveniret, nihil tale cognovimus dictum ab Archimandrita Eutyche de appellatione à reverendiſſimis Epiſcopis dictum eſt & nos eadem confitemur.* Itaque duo ex his apertiſſima colligi poſſunt. Primò, Eutychem contendiſſe ſe appellaviſſe ad aliud Concilium à ſententiâ quam adverſus ſe tulerat Flavianus in Concilio Conſtantinopolitano. Secundò, Eutychem fuiſſe mendacem, & revera non appellaſſe, quia auſus non erat. *Hoc autem quaſi appellans dixit, ſed dicens non ſum auſus dicere propter Patres.*

Interim tamen Davidius cum Eutyche veram fuiſſe appellationem defendit, non quidem ad aliud Concilium, ſed ad ſanctum Leonem Papam. Hoc autem jam inveſtigare juvat.

David. c. 6. art. 2. pag. 285. & 286. „ I. Huic numero, inquit Davidius, appellationum ad „ Apoſtolicam Sedem adſcribo appellationem Eutychetis, „ hæc enim veritas maximè intelligitur ex litteris S. Leo„ nis Papæ, qui conceptis verbis; ait Epiſtola 8. ad Flavianum

vianum Eutychetis judicem Epiſcopum Conſtantino- "
politanum, ſe hujus presbyteri condemnati libellum ap- "
pellationis admiſiſſe. "

Hoc non dicit S. Leo; ſed ait ſolummodò cum Imperatoris litteris acceperit rumores Conſtantinopoli excitatos, ſe vehementer admirari Flavianum de iis nihil reſcripſiſſe & admonuiſſe ut certiorem faceret de ejuſmodi rerum eventu, quoniam ab Eutyche libellum acceperat quo vehementer conquerebatur de injuſtâ pœna ſegregatiotionis à communione Eccleſiæ, ſibi impoſitâ, ob falſas criminationes quibus adverſus eum Euſebius Epiſcopus uſus fuerat. *Cùm Chriſtianiſſimus Imperator pro Eccleſia Catholica pace ſollicitus ad nos ſcripta tranſmiſerit, de his qua apud vos perturbationis ſtrepitum moverant, miramur fraternitatem tuam quicquid illud ſcandali fuerit nobis ſilere potuiſſe & non potiùs procuraſſe, ut primitus nos inſinuatio magis tua relationis inſtrueret, ne de rerum geſtarum poſſemus fide ambigere. Accepimus enim libellum Eutychetis presbyteri qui ſe queritur accuſante Euſebio Epiſcopo communione privatum.*

Appello jam ipſe ad conſcientiam Davidij, poteſtne ejuſmodi libellus appellatio nuncupari? Et ſi adeò tritus ac communis fuiſſet appellationum uſus eâ ætate, ut propugnat Davidius, an credibile eſt conqueſtum eſſe Pontificem de ſibi ejuſmodi nuntiis non reſcriptis? Quæ nec melius, nec enucleatiùs intelligere poterat quàm ex litis inſtrumentis quæ palam proferri atque in manibus collocari debuerant ut de re totâ ſupremæ cognitionis judicium pronuntiaret.

II. Præconceptam opinionem Davidius perſequi- " tur. Enimverò, inquit, his vocibus libellum appellatio- " nis, hic Pontifex intelligit inſtrumentum provocatio- " nis, neutiquam verò querimonias ſolas Etychetis, " ut patet Epiſtolâ quæ antecedit ex qua inter appella- " **David. pag. 286.**

 "tionem

„ tionem & querimonias diſſimilitudinem perſpectam ha-
„ bemus.

Nemini homini his auditis dubium ſubolere poteſt quin Davidius hujus Epiſtolæ verba concepta proferat, ex quibus omnes palam & publicè intelligant hanc diſcrepantiam ſive appellationis & querimoniæ diſſimilitudinem. Verumtamen hoc nequidem videtur in mentem Davidij incurriſſe. Nihil enim ad hanc rem citat, præter hæc verba Epiſtolæ ſeptimæ S. Leonis ad Imperatorem *per libellum doloris ſui querimoniam miſerit.* Et ait ex hac voce, *libellum*, intelligendum eſſe inſtrumentum appellationis, & ex his *doloris ſui querimoniam* rationes juridiciales appellationis. Non aliud prodit Davidius argumentum ut probet hoc inſtrumentum appellationis à querimoniis eſſe diverſum.

David. pag. 286. „ III. Hæc appellatio iterum probatur, inquit Davi-
„ dius, eadem Epiſtolâ 8. in qua S. Leo conceptis verbis ait
„ Eutychetem appellaſſe, dum patres Concilij Conſtanti-
„ politani ejus cauſam indicarent. *Adeo ut in ipſo judicio*
„ *libellum appellationis ſuæ ſe aſſerat obtuliſſe*, nec tamen
„ fuiſſe ſuſceptum, *qua ratione compulſus ſit ut conteſta-*
„ *rios libellos in Conſtantinopolitana urbe proponeret.*

Dicit quidem S. Leo, ut ex his verbis intelligimus, Eutychetem aſſerere, ſe appellaſſe dum judicaretur, ſuamque appellationem admiſſam non fuiſſe. Sed conceptis verbis non dicit appellaſſe, immò verò ſcripſit ſancto Flaviano ut ab eo reſciret an appellaverit necne. *Vt primitus nos inſinuatio magis tuæ relationis inſtrueret, ne de rerum geſtarum poſſemus fide ambigere.*

Verum enimverò ut certò ac securè intelligamus, an verè vel falsò Eutyches appellaverit reſponſio Flaviani ad ſanctum Leonem ſatis eſſe videtur. At ex ea habemus Epiſtolam ab Eutyche ad ſanctum Leonem ſcriptam eſſe falſis ac mendaciis plenā, hunc hæreticum eſſe mendacem,

&

& nunquam ad Apoſtolicam Sedem appellaſſe, & ſancto Leoni animo fallendi ſcripſiſſe ut ſanctitatem ac religionem ejus ludificaret. *Sed his ita geſtis littera nobis data ſunt veſtra ſanctitatis per admirabilem comitem Panſophium per quas ſumus edocti quia idem Eutyches libellos direxit vobis plenos omni fallaciâ atque calliditate, dicens judicij tempore libellos ſe dediſſe appellationis, & nobis & hic convenienti ſancto Concilio & appellaſſe veſtram ſanctitatem: quod nequaquam ab eo factum eſt. Sed etiam & in hac parte mentitus eſt, tanquam per fallaciam mendacij ſubrepere ſe ſanctis veſtris auribus putans.*

Porrò hujus reſponſionis inſtrumentum habetur inter acta Concilij Chalcedonenſis part. 1. cap. 41.

Prætereà quid ſubjici, quid reſponderi poteſt ad relationem rerum geſtarum in comitiis juſſu Imperatoris habitis Conſtantinopoli, poſt celebrationem Concilij, in quo abdicatus fuerat Eutyches : quam initio hujuſce capitis citavimus, & quæ palam teſtificatur Eutychem non fuiſſe ſtabilem ſeu ſuos aſſenſus non firmè ſuſtinuiſſe quoniam rejectionem quam facere meditatus erat judicum Concilij Conſtantinopolitani, appellationem nuncupaverat? *Quoniam verò ante paucos dies littera ſanctiſſimi Archiepiſcopi Romanorum Leonis inſinuata ſunt nobis, continentes quia accuſavit reverendiſſimus Archimandrita Eutychez, & appellavit in tempore examinationis veſtram audientiam per dationem libelli, & ideo poſt damnationem cum Archimandritam renominarent, quomodo nunc inſtans & dicens de fide eſſe libellum apud ſanctiſſimum Romanorum Epiſcopum recuſationem in Synodo appellationem nominavit, & hinc doceri debetis, quoniam non eiſdem permanet reverendiſſimus Archimandrita.* Acta Côcil. Chalced. p. 109.

I V. Reverà etiam, inquit Davidius, Flavianus con- « feſſus eſt Eutychem appellaſſe à judicio quod ipſe tule- « rat, at poſtquam hæc appellatio ad notitiam ſuam per- « venit David. pag. 286.

„ venit. Hoc eſt omnino falſum: nam hæc appellatio *Eutychetis* innoteſcere debuit S. Flaviano in comitiis poſt exactum Concilium Conſtantinopoli habitis, in quibus da hac appellatione quæſtio habita eſt. At certum eſt in his comitiis Flavianum & reliquos Epiſcopos omnes, unanimi conſenſu nullam inveniſſe appellationem Eutychetis, ſed ejus condemnationem iteraſſe, nulla habita ratione eorum quæ dixerat Monachus Conſtantinus ut ei gratificaretur.

Igitur falſum eſt unquam confeſſum eſſe Flavianum Eutychem appellaſſe à judicio, quod adverſus eum ipſe tulerat poſtquam ejus appellatio ad ſuam notitiam pervenit, pariterque falſum unquam hanc appellationem ad notitiam Flaviani perveniſſe,quæ in ſola mente Eutychetis & Davidij extitit.

David pag. 286. circa finé.

„ V. Adhuc conſtat ipſum Flavianum animo non intendiſſe derogare juriſdictioni ſummi Pontificis, cùm „ ex eadem Epiſtola intelligamus rogaſſe Pontificem ut „ judicium contra hæreticum Conſtantinopoli latum „ confirmaret. Ex hac enim agendi ratione præſumere „ maximè videbatur admiſſam ab Apoſtolicâ Sede Eutychetis appellationem.

Hoc eſt etiam à veritate alieniſſimum ex hac enim Epiſtola quam citavimus num. 3. nihil perſpicimus, niſi Flavianum rogaſſe Leonem Papam ut ſe ab aliis epiſcopis non disjungeret, ſed cauſam Eccleſiæ communem, ſuam faceret, fidemque Imperatoris corroboraret: poſtquam ipſe Flavianus mendacij Eutychem ob jactitatam appellationem arguerat. Deinde prædictus Flavianus revera dixit Pontifici, Eccleſiæ dolorem, ejus conſolatione plurimum indigere ac favore, quo pacem conciliet ac Concilij actionem rejiciat, de quo jam rumor increbuit, ſcilicet conciliabuli Epheſini, in quo ſuis machinationibus tot damna veræ fidei cultoribus intulit Dioſcorus.

Sed

Digitized by Google

Sed etiam in hac parte mentitus eſt Eutyches tanquam per fallaciam mendacij ſubrepere ſe ſanctis veſtris auribus putans. Commotus itaque ſanctiſſime Pater, in his omnibus quæ ab eo præſumpta ſunt, & ob ea quæ in nos & ſanctiſſimam Eccleſiam facta ſunt atque fiunt pro conſuetâ fiduciâ fiducialiter age ſecundum quod Sacerdotio competit, propriamque faciens communem cauſam & ſanctarum Eccleſiarum diſciplinam, ſimul decernere damnationem adverſus eum regulariter factam, & per propria ſcripta dignare, confortare autem & piiſſimi & Chriſto deditiſſimi noſtri Imperatoris fidem. Cauſa enim eget ſolummodo veſtro ſolatio atque defenſione qua debeatis conſenſu proprio ad tranquillitatem & pacem cuncta perducere. Sic enim hæreſis, quæ ſurrexit, & turbæ quæ propter eam facta ſunt, facillimè deſtruentur, Deo cooperante, per veſtra ſacratiſſimas litteras; removebitur autem & Concilium quod fieri divulgatur quatenus nequaquam ubique ſanctiſſimæ turbentur Eccleſiæ. Inter acta Concil. Chalced. parte 1. cap. 4. pag. 6.

Verumenimverò quis putet S. Leonem æſtimaſſe Eutychem appellaſſe, ſeque cauſæ ejus ut ſupremum judicem geſſiſſe cum omnibus compertum ſit eodemmet ipſo tempore miſiſſe ad ſecundum Concilium Epheſinum ſuos legatos (quamvis negotium ſatis magni ponderis eſſe non ſentiret ad coactionem Concilij iſtudque Concilium primâ fronte ut ſupervacaneum rejiceret) ſcripſiſſeque Epiſtolam Imperatori Theodoſio qua rogavit eum coactionem Concilij in Italiâ, ut has diſſenſiones ultimâ terminatione compeſceret. *Vnde ſi pietas veſtra ſuggeſtioni ac ſupplicationi noſtræ dignetur annuere, ut intra Italiam haberi jubeatis Epiſcopale Concilium citò, auxiliante Deo poterunt omnia ſcandala quæ in perturbationem totius Eccleſiæ ſunt commota reſecari.* Denique paulò attentiùs rationes ponderanti, quibus adductus S. Flavianus miſit ſancto Leoni relationem rerum geſtarum in Cócilio Conſtantinopolitano facilè perſuadebunt Conſtantinopo-

Xx litanum

litanum non reſcripſiſſe Epiſcopo Romano tanquam ſupremo Judici, ſed tanquam fratri, quicum poteſtatis conſortione conjunctus erat, adeoque jura Eccleſiæ tueri ac propugnare tenebatur, quam Eutychis hæreſes apertè oppugnabant.

Enimverò Flavianus non rogat S. Leonem ut judicet, aut quæſtionem habeat de jure vel injuriâ confectâ ſententiâ adverſus Eutychem, ut in amplitudinem preſbyteri & Archimandritæ eum reſtituat, denique pronuntiatam adverſus hominem hæreticum in hoc Concilio ſententiam infirmet vel confirmet. Sed ait tantummodo ſe miſiſſe litteras quibus ei renunciabat Eutychem ordine preſbyteri ejectum, præfectura monachorum abdicatum, ac denique Eccleſiaſticâ communione ſegregatum, ut ſuæ jurisdictioni ſubjectis Epiſcopis hujuſmodi hominis impietatem ac malevolentiam ſignificet ne fortè litteris aut aliis modis cum eo ita ut cum Epiſcopo Orthodoxo communicent. *Miſimus ad beatitudinem veſtram litteras, quibus litteris docuimus & presbyterio illum eſſe nudatum, quia ſic captus eſt, & juſſimus eum cum monaſteriis nullam habere rationem, & excluſimus eum à communione noſtrâ, ut ſanctitas veſtra hoc cognoſcens quod circa illum actum eſt, omnibus Epiſcopis ſub beatitudine veſtrâ degentibus manifeſtare dignetur illius impietatem ne neſcientes aliqui quid ille ſenſerit, quaſi ad Orthodoxum, vel per litteras vel per aliquam conjunctionem loquantur.*

Reſcriptũ S. Flaviani cap. 4. ad Leonem Papam inter Epiſtolas Leonis 8. & 9.

Hæc igitur omnia quæ ſcripſit S. Flavianus S. Leoni Papæ aſſumi poſſunt ad concludendum, ipſum S. Flavianum, non ſicut ſupremum judicem ſuſpexiſſe ſanctum Leonem, ſed ad eum confugiſſe, ut procuraret executionem conſultationis habitæ in Concilio Conſtantinopolitano & judicij contra Eutychem pronunciati.

David. pag. 287.

VI. Denique Davidius ſibi perſuadet nullum dubitandi locum relinqui de appellatione Eutychis ad Pontificem

ficem Leonem, ponderatis tribus obſervationibus quas ad hoc negotium efformavit. Obſervat 1. ex Epiſtolis S.Leonis poſt judicium Concilij Conſtantinopolitani, prædictum Eutychem miſiſſe Leoni Papæ præſcriptiones, ex quibus intelligere poſſet crimina quibus eum accuſaverat Euſebius Epiſcopus Dorilei, atque unà rationes quibus ſe his criminationibus expurgaret: quæ omnia hujuſce litis inſtrumenta & documenta erant. Sed reſponſio facilis eſt Eutychem, dum conquereretur cum Papa Leone de injuriâ ſibi illatâ, ſaltem debuiſſe ei explicare crimina quibus poſtulabatur, ac reſponſa quibus ejuſmodi criminationes diluebantur. Adeoque ex his præſcriptionibus Leoni miſſis, nihil aliud conſequitur, niſi Eutychem totis viribus contendiſſe ut ad rationes ſuarum partium tuendas S.Leonem adjungeret. At verò dubitare nemo poteſt prædictum hæreticum non miſiſſe S. Leoni omnia documenta litis ſibi intentatæ. Cum ipſe S. Leo conceptis verbis ei dixerit ſe non poſſe accuratè diſcernere quid cauſæ fuerit tot perturbationibus Conſtantinopoli excitatis; propter quas à Flaviano communione Eccleſiæ Eutychi interdictum fuerat. Quoniam libello accuſationis adverſus eum ab Euſebio Dorilei oblato allegata crimina non erant ſatis probata. *Quid autem in Conſtantinopolitana Eccleſia perturbationis acciderit, quod ita fratrem & coëpiſcopum noſtrum Flavianum potuerit commovere? ut Eutychem preſbyterum communione privaret, nondum potuimus evidenter cognoſcere. Quamvis enim prædictus presbyter ad Sedem Apoſtolicam per libellum doloris ſui querimoniam miſerit, breviter tamen aliqua prælibavit, aſſerens ſe Nicænæ Synodi conſtituta ſervantem fruſtrà in fidei diverſitate culpatum. Euſebij autem Epiſcopi accuſatoris ejus libellus cujus exemplaria ad nos presbyter prædictus miſit, de objectionis evidentiâ nihil habebat.*

S. Leo Ep. 7. ad Theodoſium Auguſtũ.

VII. Obſervat 2. Davidius Flavianum & Eutychem

„ pro ſua quemque partè res ſuas judicio Sedis Apoſtolicæ
„ detuliſſe efflagitante Eutyche abrogationem judicij con-
„ tra ſe lati, & è contra Flaviano ejuſdem judicij confirma-
tionem poſtulante. Hæc obſervatio merum eſt delirantis cerebri figmentum, nam primò falſum eſt pro ſuâ quemque parte res ſuas judicio Sedis Apoſtolicæ detuliſſe Flavianum & Eutychem. Enimverò rerum Conſtantinopoli geſtorum relationem miſit Flavianus S.Leoni ut procuraret executionem ſententiæ contra eum pronuntiatæ; neutiquam vero ad impetrandam ejuſdem ſententiæ confirmationem. Ut ſuprà oſtendimus numero 5. Secundò Flavianus non erat adverſarius Eutychis ſed Euſebius Dorilei qui dè hoc negotio nihil ad Romanum Pontificem reſcripſit. Ipſe Flavianus judex fuerat Eutychis, ac præſes Concilij Conſtantinopolitani in quo fuerat condemnatus. Tertiò, revera intelligimus conqueſtum eſſe Eutychem cum S. Leone, ac plus contendiſſe quam poſuit, ut ejus voluntatem ad tuendos errores ſuos aggregaret; ſed nullum argumentum proferri poteſt ad probandum rogaſſe Eutychem ſanctum Leonem ut juridiciali ſententiâ Concilij Conſtantinopolitani judicium infirmaret aut irritaret. Quartò, Nunquam etiam in mentem venit Flaviani, ut ejuſdem judicij confirmationem rogaret S.Leonem. Davidius hæc placita nullo argumento fulcire potuit, & quidem eum provocare non pertimeſco ad proferendum ullum hujus ſecundæ obſervationis argumentum, quod umbram probabilitatis habere videatur.

VIII. Denique obſervat. 3. Davidius ex relatione rerum geſtarum in Concilio Chalcedonenſi ſancto Leoni ſcripta, intelligi hunc Papam dignitate Sacerdotali Eutychem ſpoliaſſe: ex quo neceſſaria conſecutione colligitur hunc hæreticum prius ad Apoſtolicam Sedem appellaſſe. *Dioſcorus Eutychem pro ſua impietate damnatum ſua tyrannidis decretis innoxium ſtatuit, & dignitatem quà à veſtrâ illi*

Digitized by Google

illi ablata fuerat ſanctitate, quippè ut ab eo qui hac gratia erat indignus ille reſtituit.

Sed cum ex actis quæ toties laudavimus planiſſimè conſtet Eutychem neutiquam appellaſſe, nec potis ſit proferre abdicationis judicium ab hoc Pontifice adverſus hunc hæreticum pronuntiatum, nemo dubitat quin Epiſcopi Concilij Chalcedonenſis dùm ſcripſerunt Leoni à ſanctitate ſua ablatam Eutychi dignitatem ſignificare voluerint eum iviſſe in ſententiam patrum Concilij Conſtantinopolitani, qui revera hanc illi dignitatem abſtulerant. Crimen ergo quod Patres Concilij Chalcedonenſis exprobrant Dioſcoro, eſt ipſa Eutychetis reſtitutio in priſtinam dignitatem, poſt ſcriptam S.Leonis ad Flavianum Epiſtolam, qua errores hæretici condemnabantur, & quam Patres Concilij Chalcedonenſis approbaverant propter conformationem doctrinæ cum Conciliis Nicæno, Conſtantinopolitano & Epheſino. Quamobrem hæc eorum verba ad S.Leonem *& dignitatem quæ ei*, ſcilicet Eutychi, *à ſanctitate veſtrâ ablata eſt reſtituit Dioſcorus:* non ſignificant hæreticum eundem ſua dignitate ſpoliaſſe, vi ſolitariæ autoritatis Pontificiæ, ſed hujus quidem autoritatis vi, poteſtati Concilij Conſtantinopolitani adjunctæ, ad cujus doctrinam ab Eccleſiæ fide nulla ratione diſcrepantem, tuendam; voluntatem ſuam aggregavit. Quamobrem Concilij Chalcedonenſis Patres non ſemper ejuſmodi verbis, Dioſcori impetus, & intemperantiam expreſſere. Enimverò legimus in Epiſtola quam ſcripſerunt ad Imperatores Valentinianum & Martianum, crimen Dioſcori defixum eſſe in violentâ reſtitutione Eutychis in ſuam dignitatem, quam quidem non dicunt illi à Romano Pontifice ablatam; ſed ablatam ante decretum Synodi, cum ſanctiſſimus Leo per litteras convenientia decreviſſet, & ſceleſtam Eutychis in ſcriptis damnaſſet perfidiam. *Secundò verò qui Eutychi ægrotanti impietate*

Relatio Sanctæ Synodi ad Papam Leonem 3.part.act. pag 350. litt.F.

Action. 2. Concil. Chalced. pag. 215. lit. D. *Manichæi, & legitimè abdicato tam Sacerdotum quàm Monachorum principatum ante decretum Synodale irregulariter reddidit, & hæc cum ſanctiſſimus Magnæ Romæ Archiepiſcopus Leo per eaſdem litteras convenientia decreviſſet, & ſceleſtam Eutychis in ſcriptis damnaſſet perfidiam.*

Sed etiamſi fateremur cum Davidio S. Leonem autoritate Pontificiâ, ſpoliaſſe Eutychem dignitate presbyteri & Archimandritæ, non hinc neceſſe eſſet colligere id contigiſſe poſt appellationem Eutychis ad Apoſtolicam Sedem: Quippè cum dubitandi locus non ſit, quin potuerit ſanctus Leo ſuâ dignitate ſpoliare hunc hæreticum, ad procurandam executionem Concilij Conſtantinopolitani, poſtquam in eo res geſtas ampla relatione reſciverit. At verò quis mentis compos homo ſibi perſuadere poteſt Eutychem appellaſſe, cum præſertim omnes Concilij Conſtantinopolitani Patres & ipſe S.Flavianus teſtes fraudum ac mendaciorum ejus omni exceptione majores teſtificentur, ipſum jactitaſſe ſuam ad Pontificem Leonem appellationem, ut eum ad hæreſim ſuam tuendam, & conjurationem rimis undique dehiſcentem ſuſtentandam alliceret, ut ſuprà oſtendimus.

CAPUT XLIX.

S. Flavianus Archiepiſcopus Conſtantinopolitanus & Euſebius Dorilei ſedibus ejecti; in conciliabulo Epheſino circa annum Chriſti 449.

QUANTÒ magis hi duo epiſcopi fidem Catholicam in Concilio Conſtantinopolitano defenderant, tanto magis

magis inſultationibus & injuriis Eutychianorum fuerunt obnoxij. Chriſaphius hoſtis acerrimus S. Flaviani, quia invitâ conjuratorum manu in locum Procli Epiſcopi Conſtantinopolitani ſuffectus fuerat, omnem machinam movit apud Imperatorem Theodoſium Juniorem, ut Concilium cogeret, in quo negotium Eutychis iteratâ diſceptatione recenſeretur. Adeoque proceſſit hujus hominis induſtria, ut conciliabulum Epheſi haberetur cui præeſſet Dioſcorus. Dies ad inchoandum Concilium indicta fuit, 6. Idus Auguſti, poſt conſulatum Zenonis & Poſtumiani ideſt octavâ hujus menſis anno Chriſti 449.

S. Leo Papa qui de hujuſce Concilij congregandi neceſſitate non dubitabat, multaque rogatione amplificaverat litteras ad Imperatorem, quibus ejuſmodi coactionem in Italia poſtulaverat; huic Concilio tres legatos miſit Julianum Epiſcopum, Renatum presbyterum, & Hilarium Diaconum cum Notario cui nomen erat Dulcitio. Si acta hujus Concilij in Cõcilio Chalcedonenſi relecta, non mera eſſent mendacia, & ab Epiſcopis Concilij Chalcedonenſis omnino rejecta, multa nobis ad litis horum Epiſcoporum intelligentiam & enucleationem neceſſaria & opportuna ſpeciatim ſuppeditarent, ſed quod apud omnes certum atque indubitatum eſt ex his tantùm aſſumere juvabit. At verò ex his certò intelligimus horribilem in omnes bonos Dioſcorum excreviſſe crudelitatem, truculentorum Monachorum, ganeonum & ſatellitum, armatâ manu qui ſuæ conjurationi nomen dederant, ſicque S. Flavianum & Euſebium Dorilei Epiſcopatu decedere coactos fuiſſe; Flavianum carceri mancipatum, ac denique violenta manu monachi Barſumæ interfectum fuiſſe, & Eutychem omni culpâ ac crimine hæreſis liberum declaratum fuiſſe.

Epiſtola S. Leonis inter acta Concil. Chalc. part. 1. cap. 19. & 20.

Hujus ſententiæ habemus inſtrumentum in fine actorum hujus Concilij Epheſini relatorum actione 1. Concilij

cilij Chalcedonenſis pag.142. His verbis expreſſum *unde & nos Flavianum & Euſebium ab omni Sacerdotali & Epiſcopali dignitate eſſe judicamus alienos.*

David. pag.294. Contendit Davidius cap. 6. art. 3. S. Flavianum ab hac ſententiâ appellaſſe ad S. Leonem Papam I. an ita ſe res habuerit jam inveſtigare expedit. Sed priùs obſervare duo non ſolùm opus, verum etiam neceſſe eſt. Primò, cum S. Leo huic Concilio Legatos miſerit ad recenſendum negotium Eutychis, quod tamen ipſe jam judicaverat ad ſuum tribunal per appellationem delatum, ut contendit Davidius, incogitabile eſt Pontificem Romanum ſibi arrogaſſe jus ſupremi judicis & ultimæ cognitionis. Secundò, & cum de Flaviani negotio interata quæſtio ſeu diſceptatio habita ſit in Concilio Chalcedonenſi ut infrà explicabimus, non minus incredibile videtur hunc Pontificem ſibi vindicare voluiſſe jus ſupremi judicis, & ultimæ cognitionis, ad dirimendum ejuſmodi negotium, etiamſi vera eſſet ſententia Davidij, nec dubitandi locus ſupereſſet de appellatione Flaviani à judicio Dioſcori contra ſe in Concilio 2. Epheſino pronuntiato. Immò magis veriſimile eſt hunc Pontificem æſtimaſſe Concilium generale eſſe ultimum ac ſupremum juriſdictionis Eccleſiaſticæ tribunal.

David. pag.295. §.1. „ I. Enimverò, inquit Davidius, cum S. Leo ſcribit „ Flavianum appellaſſe, ſeu libellum appellationis obtu- „ liſſe legatis Sedis Apoſtolicæ, qui pſeudo-Synodo Ephe- „ ſinæ aderant, *quia & noſtri*, inquit, *fideliter reclamarunt* „ *& eiſdem libellum appellationis Flavianus Epiſcopus de-* „ *dit*, nunquid non appellationem ad Papam conceptis „ verbis ſignificat?

Si prætereà nihil ex hac epiſtolâ S. Leonis intelligeremus, incredibile non videretur S. Flavianum ad Apoſtolicam Sedem appellaſſe à judicio pſeudo-Synodi Epheſinæ, immò eſſet veriſimile. Sed placuit Davidio expungere

gere

Digitized by Google

gere continua S. Leonis verba, quæ prorſus contrarium ſignificant. Enimverò ſi Flavianus ad Papam appellaviſſet neutiquam ad aliud Concilium, debuerat reſpondere Imperatori S. Leo aut ſe jam judicaſſe hoc negotium aut quamprimùm ſine comperendinatione judicaturum. Sed è contra quoniam libellum appellationis in manus legatorum ſuorum S. Flavianus reſignavit quoad ejus fieri poteſt Imperatorem rogat coactionem Concilij generalis, ut hoc negotium diſceptetur omnia dubia removeantur de fide, omnes ad Eccleſiæ unitatem revertantur, denique ejuſmodi negotium ultimæ ac ſupremæ cognitionis judicio dirimatur. Hæc enim omnia non difficiliter intelliguntur ex continuis Epiſtolæ S. Leonis verbis quæ Davidio prætermittere placuit.

Et quia & noſtri fideliter reclamarunt, & eidem libellum appellationis Flavianus Epiſcopus dedit generalem Synodum jubeatis intra Italiam celebrari, qua omnes offenſiones ita aut repellat aut mitiget, ne aliquid ultra ſit vel in fide dubium, vel in charitate diviſum convenientibus utique Orientalium provinciarium Epiſcopis, quorum ſi qui ſuperati minis atque injuriis à veritatis tramite deviarunt ſalutaribus remediis in integrum revocentur, ipſique quorum eſt cauſa durior, ſi Conciliis melioribus acquieſcant, ab Eccleſia unitate non diſcedant. Igitur ex his verbis nihil aliud colligi poteſt niſi S. Flavianum appellaſſe ad aliud Concilium, neutiquam verò ad Papam. Niſi fortè quis adeo de poteſtate mentis exiverit, ut inter appellationem ad Concilium generale & ad Papam nullam diſcrepantiam aut diſſimilitudinem agnoſcat, aut intelligat, ex eo quod Romanum Pontificem eſſe viſibile caput Eccleſiæ, proindeque & Concilij generalis omnes Theologi perlibenter fateri videantur.

Epiſt. S. Leonis 23. ad Imperat. Theodoſ.

Nemini enim homini dubitandi locus relinquitur, quin ab omni errore liber & immunis ſit ſummus Pontifex,

Digitized by Google

dum res Eccleſiæ cum Synodi generalis conſenſu gerit; quippè cum Concilium generale univerſam Eccleſiam repræſentet, nulli errori obnoxiam ſponſam Chriſti non habentem maculam neque rugam, nec aliquid ejuſmodi. Quamobrem ſi placeat Davidio vindicare ſummo Pontifici jus dirimendi cauſas epiſcoporum ſupremæ cognitionis judicio, & appellationes admittendi à Synodis provincialibus, eo ſolitario tempore quo generali & œcumenico Concilio præeſt, ſeu primas tenet, exiſtimo hoc jus non poſſe illi ſine errore graviſſimo denegari.

David pag. 295. & 296. Quærit Davidius quo jure hi Legati libellum appellationis Flaviani acceperint, an vt Legati, vel ut homines privati: Et concludit hoc jus debere vindicari dignitati Legati, neutiquam verò homini privato. Et ex his conſecutione neceſſariâ colligit, non poſſe denegari ſummo Pontifici jus dirimendi cauſas epiſcoporum, ad Apoſtolicæ Sedis tribunal appellationis viâ devolutas.

Ego verò reſpondeo jure legationis admiſiſſe appellationem Flaviani non quidem ut ipſi nomine Pontificis judicarent vel ipſemet Pontifex litem dirimeret, ſed ut procurarent apud Imperatorem Concilij generalis coactionem, ad cujus judicium appellaverat Flavianus.

Hæc eſt quidem tam perſpicua veritas, ex his quæ mox diximus, ut nulla res infirmare poſſit. Quippè Pontifex rem non judicavit, ſed Imperatorem rogavit coactionem Concilij in Italia, ut omnino dirimeretur. Scilicet ut inſtitueret tribunal in quo ſupremæ cognitionis judicio poſſet concludi & terminari. At verò nemini dubium ſupereſſe poteſt quin Flavianus ad aliud Concilium appellaverit, cum ejuſmodi appellatio cauſa ſit ſolitaria convocandi Concilij quam Imperatori Pontifex Leo adfert. *Et quia & noſtri fideliter reclamarunt & eiſdem libellum appellationis Flavianus Epiſcopus dedit, generalem Synodum jubeatis intra Italiam celebrari.*

III. Objicit

Digitized by Google

III. Objicit Davidius S. Leonem citare Canones Sardicenſes ſub nomine Nicænorum, juxta morem antiquum; ex quo colligit hanc appellationem fuiſſe ad Sedem Petri juxta legem Concilij Sardicenſis. *Quam autem poſt appellationem interpoſitam hoc neceſſariè poſtuletur Canonum Niceæ habitorum decreta teſtantur.* David pag.296. Epiſt. S.Leonis 23.

Reſpondeo Sanctum Leonem eo loci minimè citare Canones Concilij Sardicenſis: Idque juſtis ac multis de cauſis aſſeverare non pertimeſco. Enimverò Primò Concilium Sardicenſe quinque tantummodo obſervanda præſcripſit de Epiſcoporum cauſis, quorum nullum ſervatur in negotio Flaviani 1. Epiſcopi qui Epheſi Flavianum judicaverunt Pontifici Romano non ſcripſerunt 2. recuperatorios judices Papa non nominavit ad examinandum utrum negotium eſſet iteratâ diſceptatione recenſendum. 3. Non expectatum judicium Pontificis antequam alter Epiſcopus in locum Flaviani ſuffectus ſit. Quartò, Epiſcopi provinciæ à Pontifice Romano non acceperunt litteras. Quintò Papa non miſit à latere ſuo preſbyteros ut de hoc negotio cum Epiſcopis provinciæ cognoſcerent, & omnia ſecundum prudentiæ leges gererent. Ergo Concilij Sardicenſis Canones ibi non citat S. Leo II. Canones Sardicenſes ad aliud Concilium negotia Epiſcoporum non remittunt, quod tamen præſcriptum erat Canonibus quos citat S. Leo. Igitur neutiquam citat Canones Sardicenſes. Tertiò, Non poſſunt dici Canones Sardicenſes citati ſub nomine Nicænorum juxta antiquum morem; niſi Canones ejuſmodi inter Sardicenſes occurrant, neutiquam inter Nicænos. At hic prorſus è contra res evenit.

Nam Canones à Sancto Leone citati occurrunt inter Nicænos, neutiquam inter Sardicenſes.

Revera enim S. Leo citat eo loci Canonem quintum Concilij Nicæni qui ſupremam autoritatem Synodis ad-

Digitized by Google

verſus epiſcopos adſcripſerat, ut oſtendimus ſuprà cap. 6. & 7. hujus operis. Quamobrem cùm S. Leo conceptis verbis laudet Concilium Nicænum, & Sardicenſis nullam mentionem faciat perperam tot ratiociniis & argumentis, quoad ejus fieri poteſt deprælíatur Davidius, ut S. Flavianum ad Apoſtolicam Sedem appellaſſe comprobet.

IV. Inquit Davidius ſi Pontifex Leo mentem ſuam eo loci paulo obſcuriùs aperuit, lucem ſuppleviſſe Valentinianum Imperatorem perſpicuis ſuæ Epiſtolæ verbis ad Imperatorem Theodoſium quibus ſignificat Flavianum non ſolum appellaſſe, verumetiam appellaſſe ad S. Leonem Papam. Ait enim hunc Epiſcopum Conſtantinopolitanum, ad hunc Romanum appellaſſe, juxta morem antiquum. *Hujus itaque rei gratia ſecundum ſolemnitatem Conciliorum & Conſtantinopolitanus Epiſcopus eum per libellos appellavit.*

Reſpondeo revera Flavianum appellaſſe ad Pontificem Romanum, ſed non ſolitarium, aut aliorum Epiſcoporum conſortione liberum. Primò, quia hoc non dicit Valentinianus Imperator. Secundò, Imperatrix Galla Placidia conceptis verbis contrarium profert Epiſtolâ quam ſcripſit fratri Theodoſio. Ait enim S. Flavianum ſuæ appellationis libellum non ſolum miſiſſe ad Romanum, verum etiam ad omnes occidentis Epiſcopos per legatos Pontificis Romani quibus illum obtulerat. *Flavianum eo quod libellum ad Apoſtolicam Sedem miſerit, & ad omnes Epiſcopos harum partium per eos qui directi fuerunt ad Concilium à Reverendiſſimo Epiſcopo Romæ.*

Davidius hanc reſponſionem ſeriò conſpicatus, & animadvertens quam difficile ſit defendere appellationem Flaviani ad Sedem Romanam, ſatis ſibi eſſe putat dicere „ ad Papam appellaſſe, & ad Concilium Sedis Apoſtoli„ cæ. Quoniam, inquit, omnibus ſemper incredibile vi„ ſum eſt deberi cauſas ad Apoſtolicam Sedem per appellatio

pellationem delatas, à ſolitario Pontifice Romano in- "
conſulto Concilio ſuo judicari. Hæc Davidij verba "
multâ quidem animadverſione digna ſunt quamvis captioſa viris ingenij perſpicacioris fortaſſe videantur: Qui mentem & animum, quo librum ſuum compoſuit non difficiliter intelligunt. Quamobrem ab eo libenter duo inquirere vehementer averem. Primò ſi, dum ait omnibus incredibile viſum fuiſſe, à Pontifice ſolitario, & inconſulto Concilio ſuo *deberi* cauſas per appellationem ad Romanam Sedem delatas judicari, intelligat incredibile viſum fuiſſe cauſas *poſſe* judicari à ſolitario Pontifice, & an ſibi perſuadeat Pontificem Romanum peccaturum ſolùm contra decentiæ ac cultus officioſi leges ſi cauſam epiſcopi inconſulto Concilio ſuo dirimeret, aut uſurpaturum, & arrogaturum ſibi jus, aut autoritatem alienam. Enimverò ſi omni fraude poſtpoſitâ intelligit *non poſſe cauſas judicari à ſolitario pontifice*, ſequor libenter ſententiam Davidij, & cooptari volo numero eorum, quibus ſemper incredibile viſum eſt debuiſſe cauſas per appellationem delatas ad Apoſtolicam Sedem à ſolitario Pontifice judicari. At verò ſi intelligit violaturum ſolummodo Pontificem, leges decentiæ & officioſi cultus, ſi inconſulto Concilio epiſcopum abdicaret, de ſententiâ Davidij totis viribus decedo, & injecto timore ejuſmodi figmenti perhorreſco cum Sacrâ Theologorum Pariſienſium facultate, qui non putant penes Pontificem Romanum exiſtere jus abdicandi Epiſcopos contra Canones 2. percontarer à Davidio an per Concilium Pontificis intelligat Concilium particulare: quo enim Canone ejuſmodi ſententiam tueretur intelligere difficile eſt. Nullus enim Canon aut in mentem aut in manus meas unquam incurrit, quo jus epiſcopos judicandi ſummo Pontifici cum Concilio particulari omni appellatione remota adſcriptum ſit & vindicatum.

Art. 4. declarat. Sacræ Facultatis Pariſ. ad Regem Chriſtianiſſ. menſe Majo 1663.

Yy 3 Præterea

Præterea ſupervacaneum, & abſurdum eſſet dicere Flavianum appellaſſe ad Concilium particulare. Cum conſtet appellaſſe ad illud Concilium cujus coactionem S. Leo Imperatorem rogaverat, quod erat generale Concilium in Italiâ. At verò ſi Davidius per Concilium ſummi Pontificis intelligit generale & œcumenicum, jam æquata eſt ſalebrarum ac difficultatum planities; nec doctiſſimum Launoyum Theologum Pariſienſem ætatis noſtræ Ariſtarchum ſacrum, ſtomachoſioribus ſcriptis laceſſere opus erat; quippè ab ejuſmodi ſententiâ non alieniorem; nunquam enim dubitavit Launoyus ſummum Pontificem præſidem Concilij generalis habita Patrum prædicti Concilij conſultatione, eſſe omnium rerum Eccleſiaſticarum ſupremum judicem.

David. pag. 199.

V. Contendit Davidius mentem Flaviani longè alieniſſimam fuiſſe ab appellatione ad Concilium generale. Quippè cum opus eſſe non putaret Concilio, ad tam levis ponderis cauſam: adeoque citat Epiſtolam Flaviani, quam in hanc rem admodum eſſe ſibi perſuadet. *Cauſa eget ſolummodò veſtro ſolatio atque defenſione, qua debeatis conſenſu proprio ad tranquillitatem & pacem cuncta perducere, ſic hæreſis quæ ſurrexit, & turbæ quæ propter eam facta ſunt facillimè deſtruentur, Deo cooperante per veſtras ſanctiſſimas litteras, removebitur autem Concilium quod fieri divulgatur.*

Acta Concil. Chalced. part. 1. cap. 4.

Hæc verba, Flaviani negotium non ſpectant, ſed Eutychis. Quod ſatis ſuperque diſceptatum fuiſſe ſentiebat Flavianus in Concilio ſecundo Epheſino, nec tanti ponderis, ut Concilij generalis coactione egeret. Hæc etiam erat mens S. Leonis, qui multis ſuarum Epiſtolarum locis apertè ſignificat non valde neceſſe fuiſſe Imperatori Theodoſio iſtiuſmodi convocare Concilium. Sic enim ſcribit Flaviano. *Clementiſſimus Imperator pro Eccleſiæ pace ſollicitus Synodum voluit congregari: quamvis evidenter appareat*

reat rem de qua agitur nequaquam Synodali indigere tractatu. Et Imperatori Theodoſio, *rationabilibus de cauſis à Synodo fuiſſet abſtinendum.*

Parum igitur refert, quod Davidius ait, idem eſſe negotium Eutychis & Flaviani, adeoque cum negotium Eutychis dignum Concilij coactione non putaret, ſuum quoque non tanti momenti æſtimaſſe. Licet enim hæc duo negotia in capite fidei diſcrepantiam non haberent: Dubitare nemo poteſt hujuſce litis omninò mutatam eſſe rationem, poſt exactam pſeudo-Synodum Epheſinam. Quæſtio erat ante Concilij celebrationem, de abdicando Monacho, aut ſimplici preſbytero, at verò poſt Concilium, de Archiepiſcopo Conſtantinopolitano, de jure coërcenda ac reprimenda crudelitate Dioſcori. Quæſtio fuit exacto Concilio de tuenda ac ſuſtentanda fide quam habet Eccleſia de humanitate Jeſu Chriſti, cujus condemnationi minis ac terroribus coacti Epiſcopi Orthodoxi, inviti ſubſcripſerant. Eam ob rem S.Leo qui ante Concilium, Concilio opus eſſe non putaverat, mutatâ ſententiâ illius coactionem in Italiâ Imperatorem rogavit. Quoniam atrocia crimina Dioſcori, ac dignitas eorum de quibus habenda erat quæſtio, rei ſtatum omninò mutaverant. Hoc mirabiliter confirmat Epiſtola S. Leonis 23. *Et quia noſtri fideliter reclamarunt & eiſdem libellum appellationis Flavianus Epiſcopus dedit generalem Synodum jubeatis intra Italiam celebrari.* Non erat à ſententiâ Leonis alienior Flavianus, cum ad aliud Concilium appellandum duxerit à judicio contra ſe lato, in pſeudoſynodo Epheſina. Si verò textum proferre non poſſimus quo id ipſe conceptis verbis ſignificet, ita eveniſſe non dubito, quia ſcribere homini in pedore carceris, ac tandem à conjuratis Dioſcori interfecto non licuit.

David. pag. 299.

Quamobrem nemini mirum videri debet, ſi nullum ſuperſit nobis inſtrumentum, ex cujus teſtificatione intelligamus

telligamus, ipſum cenſuiſſe opus eſſe Concilij generalis coactione; ad ſuum negotium dirimendum. Utcumque res ſint, nullum eſſe poteſt hujuſce ſententiæ certius teſtimonium, quam Flaviani in eo ſe gerendi & agendi ratio. Nihil enim magis probat cenſuiſſe Flavianum eſſe appellandum ad Concilium generale quam quod revera appellaverit, & appellationis libellum Legatis Pontificis Romani obtulerit.

David. pag. 307. Acta Concil. Chalced. part. 1. cap. 25. pag. 23.

VI. Objicit Davidius Epiſtolam Valentiniani ſcriptam Theodoſio, de qua jam mentionem fecimus numero 4. qua dicit efficere debere, *quatenus beatiſſimus Romanæ Civitatis Epiſcopus: cui principatum Sacerdotij ſuper omnes antiquitas contulit locum habeat ac facultatem de fide & Sacerdotibus judicare, Domine ſanctiſſime Pater & venerabilis Imperator. Hujus enim rei gratia ſecundum ſolemnitatem Conciliorum & Conſtantinopolitanus Epiſcopus eum per libellos appellavit.*

Si verba ſequentia non prætermiſiſſet Davidius ſuæ objectionis ſolutionem inveniſſet. Ex his enim perſpexiſſet non difficiliter, dum ait Valentinianus Theodoſio oportere beatiſſimum Romanæ Civitatis Epiſcopum locum habere ac facultatem de fide & Sacerdotibus judicare; intelligendum eſſe, cum acceſſione Concilij generalis, in quo primas tenet Papa. Nam Flavianus appellaverat ad ſanctum Leonem Concilij generalis præſidem, ſeu Concilio generali adjunctum. Porrò de hòc dubitandi locus nullus relinquitur. Quippè cùm hujus appellationis occaſione annuens rogationibus Flaviani, Theodoſium rogat Valentinianus ut ex omnibus orbis partibus convocet ad Concilium generale in Italiâ Epiſcopos ad hanc cauſam ultimæ ac ſupremæ cognitionis judicio finiendam. *Huic itaque poſtulanti & conjuranti ſalutem noſtram communem annuere non negavi, quatenus ad tuam manſuetudinem meam petitionem ingererem ut prædictus Sacerdos*

Inter Acta Concil. Chalced. part 1. cap. 25. pag. 23.

congre

congregatis ex omni orbe etiam reliquis Sacerdotibus intra Italiam omni præjudicio ſubmoto, à principio omnem cauſam quæ vertitur ſollicita probatione cognoſcens ſententiam ferat quam fides & ratio vera divinitatis expoſtulat. Enimvero ſi ad ſolitarium Pōtificem Romanum,aut ſuo Concilio particulari adjunctum appellaviſſet Flavianus,non credibile eſt ipſum rogaſſe Imperatorem coactionem Cōcilij generalis. Satis enim erat implorare juſtitiam S. Leonis,& ipſum enixè rogare ut quamprimū de hoc negotio judicium ferret.

VII. Objicit Davidius Epiſtolam Gallæ Placidiæ ad Imperatorem Theodoſium Juniorem fratrem ſuum, qua ipſum ſollicitat ad remittendum hoc negotium Flaviani, coram Synodo Sedis Apoſtolicæ. *Illæſo manente per omnia Flaviano ad Concilium Apoſtolicæ Sedis judicium tranſmittatur in qua primus ille qui cœleſtes claves dignus fuit accipere, principatum Epiſcopatus ordinavit.* Inter acta Concil. Chalced. part. 1. cap. 26. pag. 24.

Si Davidius integrum locum citaſſet, & verba antecedentia non omiſiſſet, hæc difficultas leve faſtidium ei peperiſſet. Facile enim erat animadvertere Gallam Placidiam non contendiſſe à Fratre Theodoſio Juniore ut negotium ad Sedem Apoſtolicam ſolùm remitteretur, ſed plures alios Antiſtites, ad quos non ſecus ac ad Romanum Flavianus appellaverat, *eo quod libellum ad Apoſtolicam Sedem miſerit Flavianus, & ad omnes Epiſcopos harum partium:* id eſt ad generale Concilium ut ſuprà obſervavimus hujus capitis numero 4.

VIII. Ejuſdem Gallæ Placidiæ altera poteſt objici Epiſtola ad Pulcheriam, qua ipſum inſtigare conatur uti ſuam voluntatem aggreget, ad efficiendum ut Epiſcopatus cauſa ſive negotium Flaviani, ad Sedis Apoſtolicæ judicium referatur. *Vt omnibus integris permanentibus, ad Apoſtolicæ Sedis judicium in qua primus Apoſtolorum beatus Petrus qui etiam claves regni cæleſtis ſuſcipiens; Sacerdotii principatum tenuit Epiſcopatus cauſa mittatur.* Adeò le- Acta Cōc. Chalced. part. 1. cap. 28. pag. 25.

Zz vem

vem hanc æſtimavit objectionem Davidius, ut eam penitus omiſerit. Verumtamen huic reſponſionem prætermittere non oportet. Dico igitur hanc vocem, *judicium*, in margine tantum reperiri additam à Binio, neutiquam verò in textum irrepſiſſe, qui vacuo quodam laborat, quod facile eſſet hac voce, *Concilium*, explere juxta epiſtolam antecedentem ejuſdem Gallæ Placidiæ ad Imperatorem Theodoſium, de qua ſuprà mentionem fecimus. Enimverò cum conſtat hac priori Epiſtola Gallam Placidiam loqui voluiſſe de Concilio generali ad quod Flavianus appellaverat. Certè hac poſteriore nihil aliud ſignificare velle videtur, nec aliud rogare quam quod Theodoſium rogaverat. Davidius fortaſſe hanc Epiſtolam prætermiſit, quoniam falſam & ſuppoſititiam æſtimat, & quidem ea de cauſa iurgij cauſam ei inferre nollem.

IX. Objiciuntur tandem acta Concilij Epheſini ſecundi, relata actione 1. Concilij Chalcedonenſis pag. 142. Ex quibus intelligimus pronunciata abdicationis ſententiâ contra Flavianum à Dioſcoro, prædictum Flavianum reſpondiſſe *Apello à te*. Sed hanc objectionem diluere non eſt valde difficile. Primò, hæc verba ſimplicem appellationem ſignificant, nec ſpeciatim ad Pontificem Romanum, aut Concilium definiunt. Secundò hæc verba occurrunt tantum in verſione latinâ, quæ quidem vetuſtiſſima eſt, quippè initio quinti ſæculi ſcripta circa annum 420. Editio græca hæc præ ſe fert παραιτοῦμαί σε. Eſt verbum circumflexum quod nunquam ſignificavit *Appello*. Sed potiùs, *recuſo*, *veniam exoro*, *deprecor*, *accerſor*, *repudio*. Ætate ſecundi Concilij Epheſini non ſolebant uti ſcriptores hoc verbo παραιτιῶμαι ad ſignificandum *Appello*. Sed hoc altero ἀποκαλέω, ut perſpicimus ex Epiſtolâ Valentiniani ad Theodoſium Patrem relata prima parte actorum Concilij Calcedonenſis cap. 25. pag. 23. Κωνσταντινουπόλεως ἐπίσκοπος αὐτὴν ἐπικαλέσατο διὰ λιβέλλου.

Porrò

Porrò quantumvis hæc verſio Latina propter antiquitatem commendatione digna ſit, textui græco jure non poteſt anteferri, quem non ſemper interpres accuratè vertit, vt patet initio actionis decimæ Concilij Chalcedonenſis, in qua hæc verba leguntur *præſidentibus magnificentiſſimis & glorioſiſſimis judicibus*, quæ aſſumere poſſent ætatis noſtræ hæretici, ad probandum judices ſæculares ab Imperatore miſſos, præfuiſſe Concilio Chalcedonenſi, niſi ope textus græci eorum refigeretur audacia περικατεζομένων τῶν αὐτῶν μεγαλοπρεπεστάτων καὶ ἐνδοξοτάτων ἀρχόντων, ſignificantis, *circumſidentibus magnificētiſſimis & glorioſiſſimis judicibus*. Hac ætate non erat uſu receptum verbum περικατεζομένων ad ſignificandum *præſidentibus*, ſed iſtud προεδρευόντων ut patet ex Epiſtolâ Imperatorum ad Palladium præfectum prætorio, relatâ tertia parte actorum Concilj Chalcedonenſis pag. 363. quæ ſic Latinè ſcripta eſt de græcis. *Præſidentibus Cæleſtino Romanæ urbis & Cyrillo Alexandrinæ Civitatis Epiſcopis* προεδρευόντων Κελεστίνου τε τοῦ τῆς Ῥωμαίων καὶ Κυρίλλου τοῦ τῆς Ἀλεξανδρέων πόλεως.

a καθίζομαι.
b προσεδρεύειν.

CAPUT L.

De Cauſa Theodoreti Epiſcopi Cyri in ſecundo Concilio Epheſino abdicati & appellatione ejus, ſeu perfugio ad S. Leonem I. Papam.

QUAMVIS ex actis Concilij ſecundi Epheſini intelligamus tantummodò, ab Imperatore Theodoſio interdictum fuiſſe Theodoreto Cyri Epiſcopo ab ingreſſu Concilij, nemo tamen eſt quin ſciat, conjuratione Dioſcori coactum fuiſſe de Epiſcopatu decedere, ac contra eum judicium latum fuiſſe quamvis abſentem & indictâ

Epiſtola Theodoſij Imper. ad Dioſcorū Act. 1. Cōcil. Chalc. pag. 43.

cauſâ. Hanc veritatem ipſemet mirificè confirmat Theodoretus Epiſtola 113. ad Leonem Papam cujus auxilium implorabat. *Nos autem hic in legibus divinis enutritus triginta manſionibus diſtantes condemnavit ut voluit neque nunc tantùm hoc fecit, ſed anno etiam ſuperiore cum eo profecti eſſent duo viri Appollinaris morbo infecti, & calumnias in nos tenuiſſent, conſurgens in Eccleſiâ nos anathemate confixit, idque cum ad eum ſcripſiſſem, & quæ ſentirem per litteras expoſuiſſem.* Et infrà expoſitis ſuis omnibus de republicâ Eccleſiaſticâ meritis, ait: *Et poſt tantos labores ac ſudores indictâ causâ condemnatus ſum.* Idem repetit Epiſtolâ 139. Aſpari conſuli & Patricio, *indictâ enim causâ ſumus & abſentes condemnati Regiiſque litteris Epheſum adire prohibiti.* Et Epiſtola 116. ad Renatum.

David. pag. 317.

Ab hoc judicio contendit Davidius appellaſſe Theodoretum ad S. Papam Leonem I. à quo ſuam in Sedem Epiſcopalem reſtitutus eſt hoc jam ſcrutari atque examinare juvat.

Profert Epiſtolam 113. Theodoreti S. Leoni Papæ ſcriptam, in qua poſtquam de injuſta condemnatione conqueſtus eſt, ait ſe expectare judicium Sedis Apoſtolicæ. *At ego Apoſtolicæ veſtræ Sedis expecto ſententiam, & oro atque obteſtor ſanctitatem tuam, ut mihi rectum ac juſtum tribunal veſtrum invocanti opem ferat, jubeatque ad vos venire, & doctrinam meam Apoſtolicis veſtigiis inhærentem oſtendere.* Ego verò multis de cauſis ac juſtis contendo ex his non poſſe intelligi appellationem ad Apoſtolicam Sedem, ſed ſolùm Theodoretum ejus imploraſſe præſidium, ut ſe ab Anguſtiis extremis liberaret, ad quas à Dioſcoro & conjuratis Eutychis adductus fuerat.

I. Cum vox *appellationis* in hac Epiſtolâ non occurrat, fateri neceſſe eſt conceptis verbis Theodoreti appellationem non poſſe demonſtrari, ſed inductionibus ſeu probabili

probabilitatibus quæ à rectæ rationis inſtitutis alieniores videntur.

II. Cum Theodoretus ait *Apoſtolicæ veſtræ Sedis expecto ſententiam:* Non intelligit ſententiam juridicialem, ſed votum ſeu opinionem & mentem Pontificis, rogatque Pontificem uti ſe Romam accerſere velit, ut Pontifex libentius voluntatem aggreget ad tuendam cauſam Theodoreti, & ipſe locum habeat ad explicandam mentem ſuam, & probandam non eſſe ab inſtitutis Apoſtolorum alienam. Itaque Theodoretus hoc in caſu conſilium petit à Romano Pontifice quem ſibi propitium efficere conatur. Enimverò vocabulum græcum quod interpres vertit in *ſententiam*, juridicialem ſententiam non ſemper exprimit ἐγὼ δὲ ἀποστολικοῦ ὑμῶν θρόνου περιμένω τὴν ψῆφον. Sed votum vel ſuffragium hoc enim nomen ψῆφος propriè ſignificat calculum quo fertur ſuffragium in omnibus Dictionariis. Ipſe verò Thodoretus de juridiciali ſententiâ mentionem faciens, non hoc utitur vocabulo ipſamet Epiſtolâ 113. ſed eo κριτήριον ut paulò inferiùs eadem Epiſtola teſtificatur ἀλλὰ μενῶ τὸ ἀκλινὲς τοῦ θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν κριτήριον *ſed rectum Dei Salvatoriſque noſtri judicium expectabo.*

III. Si Theodoretus ad Papam appellaviſſet, non eſt veriſimile aliud poſtulaſſe ad dirimendam ſuam cauſam præter judicium Romani Pontificis, & eodem tempore ad alios Epiſcopos ſeu ad aliud Concilium provocaſſe.

Verumtamen ita ſe geſſiſſe Theodoretum intelligimus ex Epiſtolâ 119. ad Patricium Anatolium. *Magnitudinem tuam obteſtor hanc à Victore Auguſto gratiam petat ut in occidentem veniam, ibique à Deo cariſſimis, ſanctiſſimiſque Epiſcopis judicer. Ac ſi vel minimum à fidei regulâ deflectere videar, in medium maris profundum dejiciar.* Et Epiſtolâ 138. ad eundem Anatolium, *ad hæc Deo dilectam illorum ſublimitatem obteſtamini, ut rectè inſtitutis finem im-* Theodor. Ep. 119.

Zz 3 *ponant,*

ponant, & Synodum convocent. Et Epiſtolâ 139. Aſpari conſuli & Patricio. *Ad hoc etiam ab eis poſtulandum, ſcilicet Imperat Magnitudo veſtra flecti ſe ſinat, ut Eccleſiæ tempeſtati perfectum finem imponant, & Synodum congregari jubeant*, & epiſtola 140. Vincomalo. *Illorumque potentiam exoretis, ut firmam Eccleſiæ pacem efficiat, & Synodum congregare jubeat.*

Igitur dubitandi locus nullus relinquitur Theodoretum confugiſſe ad S. Leonem Papam, ut ejus auxilium imploraret, & conſilium peteret, quo ſe ab extremis anguſtiis liberaret, ad quas Dioſcorus eum adduxerat. Similiter dubium ſupereſſe non poteſt quin idem Theodoretus cum ſe ſuſpicione culpæ & crimine liberare ad normam juris voluit, in cogitationem non venerit de tribunali ſummi Pontificis ſine acceſſione Concilij generalis. Quippè cum ad hujuſmodi Concilij coactionem Imperatorem ſollicitaverit, ejuſque auxilium imploraverit. Non enim æſtimat dubio procul, Davidius, ad coactionem Synodi Sedis Apoſtolicæ, ſeu Archiepiſcopi magnæ Romæ & comprovincialium epiſcoporum, opus eſſe convocatione Imperatoris: ipſumque Pontificem, cum inconſulto Concilio ſuo deliberare ac judicare non poſſit, ipſomet fatente Davidio, toties quoties licentiâ Imperatoris indigere; adeoque uti manibus, ſæcularis poteſtatis nutu, colligandis aut ſolvendis.

Pag. 318. „ Davidius hac difficultate perceptâ, conqueritur pag. „ 318. de iis qui ſibi perſuadent rem per appellationem „ ad Papam devolutam, non poſſe continuo tempore in „ Concilio judicari, ideoque ait nunquam contendiſſe „ habere ſolitarium Papam dirimere litem Epiſcopi con- „ demnati ad ſuum tribunal appellantis.

Si Davidius mentem ſuam explicare vellet, & conceptis verbis dicere ſe nunquam contendiſſe poſſe Papam ſolitarium inconſulto Concilio judicare cauſam Epiſcopi ad

ad ſuam Sedem per appellationem delatam, finita eſſet noſtra controverſia, nec inter nos diſputationi locus ſupereſſet. Explicet igitur, quæſo, mentem ſuam, ac renuntiet nobis an dum Pontifici Concilium adjungit ſive agglomerat, velit Pontificem neceſſariò indigere acceſſione Concilij, aut illius conſultatione uti liberè, ut ſuum judicium ſtet ac valeat.

Si Reſpondeat & dicat, apertè, ſine tergiverſatione, Concilium provinciale epiſcoporum eſſe neceſſarium ut ſtet & non ſit irritum judicium ſummi Pontificis: Ego contendo & propugno hoc judicium non fore ſupremum, ſed adhuc reſtare ſuperius tribunal Concilij ſcilicet generalis univerſæ Eccleſiæ quod poſſet irritare ſeu abrogare ſententiam à ſummo Pontifice in Concilio Provinciali promulgatam, juxta mentem S. Auguſtini ut oſtendimus ſupra hujus operis cap. 5. *Ecce putemus illos Epiſcopos qui Romæ judicarunt, non bonos judices fuiſſe, reſtabat adhuc plenarium Eccleſiæ univerſæ Concilium ubi etiam cum judicibus cauſa poſſet agitari.* Porrò hanc veritatem ipſemet recognoſcit Davidius certam & extra omnem dubij aleam poſitam. Enimverò licèt Theodoretus ad S. Leonem appellaverit, & Sedis Apoſtolicæ Concilium, & ejus autoritate in Sedem Epiſcopalem Cyri fuerit reſtitutus: inficiari nemo poteſt hanc cauſam fuiſſe iteratâ diſceptatione recenſitam ac ſupremo judicio definitam in Concilio Chalcedonenſi. Id enim apertè intelligimus ex actione octavâ hujus Concilij, in qua quadam contentione habitâ poſtquam Theodoretus conceptis verbis dixiſſet anathema Neſtorio, & contra Eutychem S. Leonis Epiſtolæ ſubſcripſiſſet quam bene explicare fidem Eccleſiæ Concilium Chalcedonenſe æſtimaverat. Cum etiam dubitaret nemo Pontificem Leonem eum ad communionem Eccleſiæ admiſiſſe, nulluſque dubitandi locus de fidei ejus integritate relictus fuiſſet, æſtimaverunt in ejuſmodi negotio

gotio nihil agendum ſupereſſe præter pronuntiationem ſententiæ ac ſupremi judicij, cujus vigore in Sedem reſtitueretur. *Glorioſiſſimi judices dixerunt. Omnis jam dubitatio de Theodoreto reverendiſſimo Epiſcopo eſt ſoluta, quippè & Neſtorium coram nobis anathematizavit, & à ſanctiſſimo ac Dei amantiſſimo Archiepiſcopo ſenioris urbis Romæ Leone ſuſceptus eſt & definitionem fidei à religioſitate veſtrâ prolatam libenter ſuſcepit, & inſuper Epiſtolæ memorati ſanctiſſimi Archiepiſcopi Leonis ſubſcripſit. Deeſt igitur ut ſententia proferatur à Reverentia veſtra ut Eccleſiam ſuam recipiat ſicut & ſanctiſſimus Leo Archiepiſcopus judicavit.*

Acta 6. Concil. Chalced. pag. 274.

Equidem ſcio Davidium contendere hæc omnia eſſe ſigna cultus & obſervantiæ Concilij Chalcedonenſis erga Sedem Apoſtolicam.

Sed ſi in hoc in caſu ſuæ tantùm obedientiæ ſategiſſet, Concilium Chalcedonenſe erga Pontificem Leonem, non videbatur è re ejus eſſe hoc negotium poſt iteratam diſceptationem dirimere, nihil enim judicio obnoxium ſupererat, ſatiſque erat morem gerere decreto ſummi Pontificis. Verumtamen his rationibus poſtpoſitis, organo Legatorum S. Leonis qui præerant, Concilium ſententiam ultimæ cognitionis ſeu judicium ſupremum de hoc negotio ex normâ juris pronunciavit: quod aſſenſu ſuo omnes Epiſcopi comprobarunt. *Paſchaſinus & Lucentius Reverendiſſimi Epiſcopi, & Bonifacius Reverendiſſimus presbyter inſuper & Iulianus Reverendiſſimus Epiſcopus Coanſis habentes locum Apoſtolicæ Sedis dixerunt ſanctiſſimum & venerabilem Epiſcopum Theodoretum, ſanctiſſimus & beatiſſimus univerſæ Eccleſiæ Epiſcopus urbis Romæ Leo dudum in communionem ſuſcepit ita ſicut litteræ ab eo ad noſtram humilitatem directæ teſtantur. Si igitur fidem Catholicam in proprio libello direxit, & noſtræ inſuper humilitati alio dato libello monſtravit quoniam & Neſtorium & Eutychem non ſolum ſcripto, ſed & ſub præſentiâ totius*

Digitized by Google

totius conſeſſus ore proprio anathematizavit, hoc judicio ſanctiſſima & reverendiſſima Synodus, inſuper verò & noſtra humilitas reddi eis Eccleſiam propriam definivit. Epiſcopi omnes qui in hoc Concilio ſuffragium tulerunt, non locuti ſunt ita ut viri ſui cultus & obedientiæ ſummo Pontifici teſtimonia exhibentes, ſed judices, qui pro ſuo jure conſultant, rem controverſam æquâ lance librant, & ſupremo judicio definiunt. Id meridianâ luce clariùs patet ex eorum votis relatis actione 8. Concilij quam hîc excribere non neceſſe eſt, ne longitudo operis lectoribus ſatietatem pariat.

CAPUT LI.

Examinantur argumenta quibus Davidius probat judicium Concilij Chalcedonenſis de Cauſa Theodoreti eſſe teſtificationem cultus & ſubmiſſionis Patrum erga Sanctum Leonem Papam.

I. PRIMUM Argumentum aſſumit Davidius ex initio actionis 8. Concilij Chalcedonenſis: ex qua intelligimus ipſummet Theodoretum poſtulaſſe ſuæ cauſæ diſceptationem, ac ſollicitaſſe ad obtinendam à Patribus Concilij audientiam. *Theodoretus reverendiſſimus Epiſcopus tranſiens in medium dixit; Ecce preces obtuli diviniſſimo & piiſſimo Imperatori, & libellos obtuli Reverendiſſimis Epiſcopis agentibus locum reverendiſſimi Archiepiſcopi Leonis, & ſi vobis videtur, legantur coram vobis ut ſicut ſapio cognoſcatis.* Sed ex eo loco colligere poſſumus duo manifeſtè contraria menti Davidij. Primò cùm Pag. 326.

Aaa Thedore

Theodoretus audientiam à Concilio poſtularet, ipſum non æſtimaſſe Romanum Pontificem fuiſſe negotij ſui ſupremum & ultimæ cognitionis judicem. Secundò, cum Concilium de hoc negotio cognoſcere non recuſaret, & judicium pronuntiare ut ei finem imponeret, hoc jus quoque Romano Pontifici non adſcripſiſſe.

Inſuper à veritatis tramite longè alieniſſimum eſt dicere Theodoretum ſolitarium, poſtulaſſe diſceptationem ſeu examen ſui negotij. Reverà enim hoc in deliberationem adduxerunt Patres Concilij, poſtulantes ut anathema diceret Neſtorio. Quod quidem dixit altâ voce, antequam rogaret Patres lectionem ſive auditionem rationum quibus accuſatores refutabat. *Reverendiſſimi Epiſcopi clamaverunt, Theodoretus modo anathematizet Neſtorium.* Igitur nihil magis à vero alienum eſt quàm quod ait Davidius in hac [a] cauſa Theodoretum ſolum aggreſſorem fuiſſe. Sed dato non conceſſo, ſolum Theodoretum ſuam cauſam Concilio detuliſſe & petitoris perſonam ſuſcepiſſe; quid inde conſequitur niſi æſtimaſſe Concilium eſſe ultimum tribunal Eccleſiæ à quo juris ſui tuitionem ac defenſionem ipſe poterat ſperare, non ſecus ac multi alij præſules qui à Concilio Chalcedonenſi audientiam poſtulaverunt, ut lites quas habebant ultimâ concluſione finirentur.

Action. 8. Concil. Chalced. pag. 274.

[a] Pag. 326.

Nunquid non conqueritur Baſſianus Epiſcopus Epheſi actione 11. de ſibi vi illata, poſtulatque ne magiſtratu Epiſcopali decedere cogatur? Actione 13. Eunomius ad tuenda privilegia Eccleſiæ Nicomedienſis, cujus Epiſcopus & Metropolitanus erat, conqueritur de Anaſtaſio Epiſcopo Nicæno, actione decima quarta, Sabinianus Epiſcopus Perrhæ ſimiliter audientiam poſtulat Concilij, ut ſuam cauſam adverſus Athanaſium de Epiſcopatu contendentem peroret? Quis ſibi perſuadeat in ejuſmodi negotiis Concilium voluiſſe, cultum & obedientiam tan-

tùm

tùm erga Romanum Pontificem, teſtificari? Hoc dicere non audet Davidius quod quippè nequidem umbram probabilitatis habet.

Itaque incogitabile mihi videtur ex hac circonſtantiâ litis Theodoreti aſſumpſiſſe argumentum ad probandum, fuiſſe hanc cauſam à ſummo Pontifice ſupremo judicio finitam, & ad Concilium Chalcedonenſe delatam ad exhibendam obedientiam & ſubmiſſionem Concilij erga Romanum Pontificem.

II. Secundum argumentum aſſumit Davidius ex eo quod Theodoretus non petiit à Concilio ſuam in Sedem reſtitutionem, ſed declaravit ſe paratum eſſe ad diluendam injuriam ſibi publicè illatam, ac probandam palam ſuæ fidei integritatem ac ſinceritatem. Pag. 326.

Prius ſatisfacio vobis, inquit Theodoretus Concilio, *quia neque de civitate cogito, neque honore opus habeo, neque ob hoc adveni, ſed quia calumniam jam paſſus ſum veni ſatisfacere me eſſe orthodoxum.* Concil. Chalced. actione 8. pag. 274.

Si hoc argumentum probat Theodoretum non poſtulaſſe reſtitutionem in ſuam Sedem à Concilio, ſimiliter à Papa Leone neutiquam poſtulaſſe Davidius fateatur neceſſe eſt. Quippè cum idem prorſus ſcribat Epiſtola 113. ſuperiore capite laudatâ. *Me quidem teſtis eſt Dominus honoris & gloriæ cura non tangit, ſed ſcandali quod injectum eſt; quia multi ex ſimplicioribus atque ij maximè qui ex adverſis hæreſibus opera noſtra emerſerunt, Sedem illorum qui condemnaverunt attendentes hæreticos nos fortaſſe exiſtimabunt.*

Sed hæc omnia vehementer demonſtrant dignitatum Eccleſiaſticarum Theodoretum non intemperanter cupidum ac tenacem, levem habuiſſe curationem ad ſuam Sedem tuendam, dummodo fidem ſuam ac famam omnibus calumniis & vituperiis liberaret.

Enimverò ante qualecumque judicium à S. Leone in

gratiam Theodoreti latum eadem enucleatè reſcripſerat Anatolio Patricio Epiſtola 38. qua illum rogavit enixè ut Imperatorem ſollicitaret ad coactionem Concilij in quo poſſet de negotio ejuſmodi quæſtio haberi. *Hac autem à Magnificentia veſtra flagito non quod Cyrum iterum videre deſiderem, novit enim Magnitudo veſtra civitatula ſolitudinem cujus nos deformitatem quoquomodo diverſorum ædificiorum magnis ſumptibus obteximus, ſed ut pateat, & cum Apoſtolicis dogmatibus illa convenire quæ prædicamus, & adverſariorum inventa ſpuria eſſe & adulterina.*

Denique ſi Theodoretus à Concilio Chalcedonenſi ſuam reſtitutionem non impetraſſet, quo jure iſtud Concilium reſtituiſſet? cur viri Illuſtres qui aderant ab Imperatore miſſi audientes dicentem Anathema Neſtorio, nemine jam de fide ejus dubitante dixiſſent; *deeſt igitur ut ſententia proferatur à reverentia veſtra & Eccleſiam ſuam recipiat ſicut & ſanctiſſimus Leo Archiepiſcopus judicavit?* Cur denique Concilium ſententiam in gratiam ejus pronuntiaſſet his verbis expreſſam quam ſuprà citavimus.

Acta Concil. Calc. action. 8. pag. 275.

III. Tertium argumentum obedientiæ Concilij Chalcedonenſis erga ſummum Pontificem deducit Davidius ex eo quod Patres Concilij noluerunt relegi inſtrumenta ulla litis agitatæ Romæ coram S. Leone Papa, idque confirmat conceptis verbis Epiſcoporum relatis actione 8. *Nihil relegi volumus, modo anathematiza Neſtorium.*

David. pag. 327.

Hæc objectio juſtis de cauſis mihi videtur facile friabilis. Primò, falſum eſt Patres Concilij noluiſſe relegi inſtrumenta ulla litis agitatæ Romæ coram S. Leone, hoc enim nunquam poſtulavit Theodoretus: ſed eos ſolum ſollicitavit ad lectionem libellorum ſupplicum quos obtulerat Imperatori, & aliorum quos dederat Legatis Pontificis

Digitized by Google

ficis Romani qui Synodo aderant, ut ex his ſuæ fidei integritatem perſpectam haberent. Hæc enim magnam diſſimilitudinem habent cum inſtrumentis litis Romæ agitatæ. *Theodoretus reverendiſſimus Epiſcopus tranſiens in medium dixit, & preces obtuli diviniſſimo & piiſſimo Imperatori & libellos obtuli reverendiſſimis Epiſcopis agentibus locum reverendiſſimi Archiepiſcopi Leonis; Et ſi vobis videtur, legantur coram vobis, ut ſicut ſapio cognoſcatis. Reverendiſſimi Epiſcopi clamaverunt nihil relegi volumus, modo Anathematiza Neſtorium.* Secundò, non eſt credidibile Theodoretum rogaſſe lectionem inſtrumentorum litis Romæ agitatæ, cum nulla revera Romæ fuerit agitata, nulla inſtrumenta prolata, nullum judicium ad normam juris à Sancto Leone pronunciatum. Revera intelligimus ex Epiſtolis Sancti Leonis potiſſimè 113. Theodoretum confugiſſe ad Sedem Apoſtolicam & conqueſtum eſſe, ſed nullum invenimus pronuntiatum à Pontifice judicium cum acceſſione Concilij ſeu in Concilio, ad cujus coactionem ſollicitabat, ut patet ex Epiſtolâ 138. ſuprà laudata.

Objicies fortaſſe viros illuſtres ab Imperatore miſſos ad Concilium, dixiſſe judicio Leonis Theodoretum in Sedem fuiſſe reſtitutum. Action. 8. Concil. Chalc. pag. 275.

Deeſt igitur ut ſententia proferatur à reverentia veſtra, & Eccleſiam ſuam recipiat ſicut ſanctiſſimus Archiepiſcopus Leo judicavit. Sed hoc verbum *judicavit* non ſignificat judicium in tribunali juſtitiæ pronuntiatum, ſed ſolum hanc fuiſſe mentem & conſilium S. Leonis. Vera enim hujus verbi græci ἐδικαίωσεν quo uſi ſunt hi Magiſtratus Imperatorij interpretatio eſſet *æquum & juſtum cenſuit.* Adeoque eo verbo ἐδικαίωσεν non uſi ſunt Patres Concilij Chalcedonenſis, dum ex jure reſtituendum eſſe Theodoretum definierunt, ſed hoc altero ὥρισεν & verſio non habet *hoc judicio Synodus reddi ei Eccleſiam judicavit.*

Sed *reddi ei Eccleſiam definivit* : ταύτῃ τῇ κρίσει ἁγιωτάτη καὶ σεβασμία σύνοδος ἔπι τε καὶ ἡ ἡμετέρα ταπεινότης ἀποδοθῆναι αὐτῷ τὴν ἰδίαν ἐκκλησίαν ὥρισεν. *Hoc judicio ſanctiſſima & venerandiſſima Synodus; inſuper verò & noſtra humilitas reddi ei propriam Eccleſiam definivit.* Porrò ex his ſatis patet diſcrepãtia inter judicium S.Leonis,& judicium Concilij Chalcedonenſis. Eodem & pari ſenſu accipi debent verba eorumdem magiſtratuum, dum inchoante Concilio quidam Epiſcopi obſiſtebant ne admitteretur Theodoretus. *Glorioſiſſimi judices & ampliſſimus ſenatus dixerunt, ingrediatur & Reverendiſſimus Epiſcopus Theodoretus, & ſit particeps Synodi, quia & reſtituit ei Epiſcopatum ſanctiſsimus Archiepiſcopus Leo.* Quis enim mentis compos homo, ſibi perſuadere poteſt, Theodoretum fuiſſe in Sedem juridiciali ſententiâ S.Leonis Papæ reſtitutum; quem conſtat non fuiſſe ad Concilium admiſſum niſi ea lege & conditione, ut omnia diſceptarentur quibus poſtulabatur, & ſimiliter ea quibus & ipſe alios criminabatur? *Præjudicium enim ex perſonâ Reverendiſſimi Theodoreti epiſcopi nulli generabitur reſervata, videlicet poſt hoc omni accuſatione & vobis & illi quæ invicem exercere volueritis.* Quod tandem actione 8. confectum eſt, qua poſtquam nemini dubium de integritate fidei ejus relictum fuiſſet, omnibuſque contentionibus cum eo finitis in Sedem Eccleſiæ Cyri fuit reſtitutus ſupremæ & ultimæ cognitionis judicio, ut ſuprà animadvertimus.

David. pag. 329.

IV. Argumentum profert Davidius ad confirmandam hanc Concilij Chalcedonenſis judicio Summi Pontificis obedientiam, ex diverſa ratione qua cauſæ ſeu negotia Ibæ epiſcopi Edeſſeni & Theodoreti tractata ſunt in hoc Concilio. Illi enim duo Epiſcopi ſimiliter poſtulabantur crimine hæreſis. Sed quia negotium Ibæ in Concilio Beryti examinatum fuerat, omnia litis inſtrumenta relecta ſunt antequam judicaretur.

Quoniam

Quoniam vero negotium Theodoreti ad Pontificem Romanum delatum fuerat, nihil omnium relectum eſt. Contendit igitur Davidius non aliam eſſe hujuſce diſcrepantiæ ſeu diſſimilitudinis in agendi ratione cauſam, præter obedientiam ſeu cultum Summo Pontifici delatum in negotio Theodoreti, quo non erat opus in negotio Ibæ, de quo quæſtionem non habuerat pontifex, ſed Concilium Beryti.

Sed vehementer hallucinatur Davidius, revera enim in Concilio Chalcedonenſi non ſunt relecta ac recenſita inſtrumenta litis Theodoreti Romæ agitatæ. Quia revera nulla erant, nec lis unquam ei Romæ fuit intentata, nec unquam Romæ coram Pontifice cauſam peroravit, licet conqueſtus ſit, confugerit & imploraverit ejus auxilium & præſidium in Concilio, ad cujus coactionem multis rogationibus Imperatores inſtigaverat, ut tandem aliquando ſuum negotium ultimâ terminatione concluderetur. Porrò jam libenter quærerem à Davidio cur in Concilio Chalcedonenſi non relecta ſunt inſtrumenta ſeu actiones cauſarum plurium Epiſcoporum qui non ſecùs ac Theodoretus in ſuas Sedes reſtituti ſunt, impoſitâ neceſſitate tantùm dicendi anathematis Neſtorio & Eutychi? cur de negotiis Sophronij Conſtantinæ Epiſcopi, Joannis Epiſcopi Germaniciæ, Amphilochij Epiſcopi Sidæ, nihil relectum eſt? cur aliam quam cum Ibâ agendi rationem patres ſecuti ſunt cum iis tribus Epiſcopis?

Reſpondebit fortaſſe Davidius hos fuiſſe inſtar Theodoreti in ſuas Sedes à S. Leone reſtitutos, ſed cum ejuſmodi reſponſio nullo ſit probabili fulta ratiocinio aut teſtimonio, ipſum fateri neceſſe diſcrepantiam ſeu diſſimilitudinem in agendi ratione erga Theodoretum & Ibam, non exurgere ex obtemperatione ac cultu Concilij Chalcedonenſis erga Summum Pontificem.

Denique dicere non pertimeſco S. Leonem Papam nunquam

quam ſibi perſuaſiſſe rationem agendi Concilij Chalcedonenſis erga Theodoretum eſſe obedientiam & obtemperationem ſuo decreto, nec unquam ſibi arrogaſſe jus hanc cauſam ſupremo judicio dirimendi. Sed immò ſemper ab ejuſmodi cogitationibus alieniorem fuiſſe potiſſimè intelligimus, ex Epiſtolâ, quam exacto Concilio Chalcedonenſi ſcripſit Theodoreto, qua gratulatur de victoriâ quam una ſcilicet Leo & Theodoretus, de hæreſi Neſtorij & Eutychis reportarunt. Multaque gloriâ ac prædicatione jure merito ſeipſum effert Leo; eo quod ea quæ Deus ſuo miniſterio prius definierat, Concilij Chalcedonenſis irretractabili aſſenſu ſeu ſupremo judicio firmata ſunt. *Remeantibus ad vos fratribus & conſacerdotibus noſtris quos ad ſanctum Concilium Sedes beati Petri direxit agnovimus dilectionem tuam ſuperno adjutorio nobiſcum tam Neſtorianæ impietatis quam Eutychianæ veſaniæ extitiſſe victricem. Vnde gloriamur in Domino cum propheta canentes adjutorium noſtrum in nomine Domini qui fecit cælum & terram, qui nullum nos in noſtris fratribus detrimentum ſuſtinere permiſit, ſed quæ noſtro prius miniſterio definierat univerſæ fraternitatis irretractabili firmavit aſſenſu, quodque prius à primâ omnium Sede formatum totius Chriſtiani orbis judicium recepiſſet ut in hoc quoque capiti membra concordent, in quo acceptior nobis in hac re ſit gaudendi materia dum & tanto magis ſe pertulit inimicus, quanto contra Chriſti miniſtros ſævius inſurrexit.*

S.Leonis Epiſt. 61.

Porrò hæc omnia luce meridianâ clariùs demonſtrant, etiamſi S. Leo in gratiam Theodoreti ante Concilium Chalcedonenſe judicium tuliſſet, non æſtimaſſe hoc judicium ſupremum, adeoque rationem agendi erga eundem Theodoretum Concilij Chalcedonenſis, non habuiſſe quaſi obtemperationem & obedientiam ſuæ autoritati ac decreto ab eodem Concilio delatam.

CAPUT

CAPUT LII.

Dioſcorus Epiſcopus Alexandrinus in Concilio Chalcedonenſi abdicatus anno Chriſti 451.

NUNQUAM Patres antiqui regulas juris Canonici veſtris conſtitutas accuratiùs ſequuti ſunt quam in quæſtione habitâ de Dioſcoro. Hic Epiſcopus Alexandrinus conjurationi Eutychis addictiſſimus, cui armatâ manu culpæ liberationem ſeu abſolutionem in Concilio 2. Epheſino obtinuerat. Primum verbo, deinde ſcripto accuſatus fuit ab Euſebio Dorilei multis criminibus atrocioribus coram Chalcedonenſi Concilio: actione tertia circa tertium Idus Octobris, id eſt 13. hujus menſis anno Chriſti 451.

Hæc autem fuerunt præcipua crimina quibus circumventus erat. Primò, hæreſis Eutychiana, Secundò, manus violentæ omnibus Concilij 2. Epheſini Patribus illatæ. Tertiò, ſpoliatio epiſcoporum & violenta eorum abdicatio. Quartò, Interdictum omni defenſione ſancto Epiſcopo Flaviano, Quintò, Coactio epiſcoporum violenta ad ſubſcribendum membranis puris nullo ſcripto exaratis, ut eos teſtes falſos ac ſignatores commodaret, ***omnem enim iniquitatem operatus eſt contra ipſam pietatem & contra divinas regulas & contra legum conſequentiam.***

Plura teſtimonia adverſus ejuſmodi hominem audita ſunt, quibus non ſolum crimine hæreſis convincebatur, ſed aliis multis, verbi gratia, empti tritici ab Imperatoribus ad conficiendam Euchariſtiam in Lybiam miſſi ubi non excreſcit, ut charius venderet. Diſtributionis pecu- (Concil. Chalced. act. 3. pag. 175.)

niæ ad meretrices & hiſtriones quam nobilis matrona Romana Periſteria, monaſteriis, xenodochiis & pauperibus Provinciæ Ægypti legaverat. Arguebatur etiam ingreſſus obſcæni in balnea cum muliere famoſa, cui nomen erat Pauſophiæ, multorum homicidiorum ac crudelitatum quas occaſione datâ exeruerat incendij villarum ad monaſteria pertinentium. Denique infinitum eſſet narrare omnia vitia ac crimina quæ apud Dioſcorum flagrabant, quæ ad Concilium Chalcedonenſe ſcripto detulerunt non ſolum Euſebius Dorilei, verumetiam Theodoretus & Iſiſcyrion Diaconi, Athanaſius preſbyter Eccleſiæ Alexandrinæ S.Cyrilli ſororis vel fratris filius, & Sophronius quæ ex actione tertia hujus Concilij intelliguntur.

Ex eadem actione habemus tribus vicibus diem dictum fuiſſe Dioſcoro ut ad judicium ſe ſiſteret; ſed nunquam comparuiſſe, adeoque judicatum & abdicatum fuiſſe. *Phaſchaſinus Epiſcopus dixit, cognovit Deo amabilis & beatiſſima Synodus quoniam tertio vocatus per Dei amantiſſimos, Francionem, Lucianum, & Ioannem Dioſcorus Epiſcopus ad reſpondendum ſuis accuſationibus ſciens ſe eſſe obnoxium, venire contempſit.* Et inferius poſt multos ſermones & amplam teſtificationem cultus & officij quo Legatos S.Leonis qui Concilio præerant Epiſcopi proſequebantur verbis conceptis hæc ſententia pronunciata eſt. *Vnde ſanctiſſimus & beatiſſimus Archiepiſcopus magnæ & Senioris Romæ Leo per nos & per præſentem ſanctam Synodum unà cum ter beatiſſimo & omni laude digno beato Petro Apoſtolo qui eſt petra & crepido Catholicæ Eccleſiæ & rectæ fidei fundamentum, nudavit eum tam Epiſcopatus dignitate, quam etiam & ab omni Sacerdotali alienavit miniſterio.*

Hæc ſententia unanimi epiſcoporum conſenſu confecta ſcripto fuit Dioſcoro ſignificata, & clero Alexandrino. Nihil deinceps in mentem Epiſcoporum venit præter ejus executionem, ad quam magnâ cum curâ incubuerunt.

Enim

Digitized by Google

Enimverò omnes ei libenter ſubſcripſerunt, præter Epiſcopos Ægypti, qui ſuam cauſati conſuetudinem non ſubſcribendi niſi poſt Archiepiſcopum Alexandrinum; obtinuerunt à Concilio comperendinationem uſque ad electionem novi Archiepiſcopi. Quippè tunc temporis univerſa Eccleſia rationem habere non dubitavit teneritatis conſcientiæ eorum, qui religioni habebant violare conſuetudinem, & ab ea tranſverſum unguem diſcedere temeritate ſubſcriptionis. Porrò ex his duo certiſſima colligenda videntur. Concil. Chalced. Act.4.

I. Concilium generale quale erat Chalcedonenſe primæ cognitionis quæſtionem habuiſſe de cauſis epiſcoporum, cum Dioſcorus non ſit in jus vocatus ad aliud judicium quam Cōcilij Chalcedonenſis. Hoc judicium fuiſſe ſupremum, nec potuiſſe altero judicio irritari aut abrogari: quippe cum omnes epiſcopi ei ſubſcribere tenerentur, & ſi qui fortè recuſabant, excuſationem appellationis non dabant.

Dices fortaſsè ita ſe rem habuiſſe, quia Legati Pontificis Romani huic Concilio non ſolùm aderant, verùm etiam præerant; ſed utcumque res ſint, dubitat nemo epiſcopos hujus Concilij ſummâ cum libertate conſultaſſe, ſeu ſuffragium tuliſſe, & Legatos nihil niſi ex votorum multitudine concluſiſſe. *Iterùm dico quid placet beatitudini veſtræ.* His utebatur verbis Paſchaſius dum urgebant patres ut ſententiam contra Dioſcorum pronuntiaret. Hanc ſummam conſultorum patrum libertatem mirificè demonſtrant vota omnium Epiſcoporum relata act. 3. hujus Concilij ex his enim perſpicimus, quamvis ij Antiſtites irent in ſententiam Romani Epiſcopi æquabili ratione teſtificari ſe amplecti ſententiam Anatolij Epiſcopi Conſtantinopolitani. Quamobrem ſi quis ex hac Epiſcoporum agendi ratione erga S.Leonem ejus autoritatem amplificare velit, Anatolij & Sedis Conſtantinopolitanæ autoritatem amplificet neceſſe eſt, quod inſulſum & abſurdum eſt. Actio 5. Concil. Chalced. pag. 152.

Denique non eſt credibile epiſcopos hujuſce Concilij auſos eſſe examinare ſententiam S.Leonis, antequam eam approbarent, & amplecterentur, ſi à ſupremo judice pronuntiatam, & ſibi præſcriptam æſtimaſſent. Attamen apertè conſtat ex actione quartâ hujus Concilij S.Leonis Epiſtolam ad Flavianum ſcriptam contra Eutychem fuiſſe examinatam. Hoc examen teſtificantur omnia conſultorum vota: ex quibus perſpicimus hanc epiſtolam fuiſſe approbatam & confirmatam à patribus, non propter urgentem autoritatem Summi Pontificis, ſed conformationem ad fidem Nicænam, Conſtantinopolitanam & Epheſinam. Hoc eſt, Concilium approbaſſe definitionem Summi Pontificis, quoniam ad antecedentium Conciliorum decreta accommodaverat. Tantum igitur abeſt ut ex geſtis in Concilio Chalcedonenſi quicquam colligi poſſit ad amplificandam Romani Pontificis autoritatem, cum immò ex his concludere neceſſe ſit Conciliorum autoritatem eſſe Pontificiâ ſuperiorem.

CAPUT LIII.

Tempore Concilij Chalcedonenſis nondum invaluerat uſus appellationum ad Apoſtolicam Sedem. Epiſcoporum cauſæ in Conciliis ſupremæ cognitionis judicio dirimebantur.

IAM verò poſthabitis omnibus, quæ capitibus ſuperioribus diximus, de negotiis Theodoreti & Dioſcori. Acta Concilij Chalcedonenſis nobis omni exceptione majora teſtimonia ſuppeditant, ex quibus non difficiliter convin

convincimus ad Pontificem Romanum non fuiſſe delatas epiſcoporum cauſas, ut eas ſupremo judicio definiret, ſed primum ad Synodos particulares & deinceps appellationum inſtrumentis, ad generalia & œcumenica Concilia verè ſumma & ultima rerum Eccleſiaſticarum omnium tribunalia.

I. Habemus actione 5. judicium in cauſa quam obtinuit Photius Epiſcopus Tyri adverſus Euſtatium Epiſcopum. Beryti. Conquerebatur Photius de multis Eccleſiis ſuæ Metropoli ſubjectis, quas Photius uſurpaverat, & de multis Epiſcopis, ad ſimplicis preſbyteri miniſterium ſeu functionem redactis, quibus ſibi vindicato jure Metropolitico manus impoſuerat. Defendit jus ſuum Euſtatius ex eo quod hac cauſa jam ceciderat Photius in Concilio Conſtantinopolitano, cui præfuerat Anatolius, ſcilicet in conventu Epiſcoporum qui principis Aulam conſectabantur. Et ſecundum hujus ætatis uſum aut abuſum, res Eccleſiaſticas dirimere ſolebāt. Neutrum videmus ad Pontificem Romanum confugiſſe, ſed utrumque ſuam cauſam coram Concilio Chalcedonenſi libenter peroraſſe, quod in gratiam Photij judicavit, ſententiam Epiſcoporum aulicorum irritavit, & grande piaculum æſtimavit, & ſacrilegium Epiſcopos ad preſbyteri miniſterium reducere ejuſmodi abuſu ſpeciali lege interdixit, & in ſuas dignitates epiſcopos reſtituit, quibus Photius manus impoſuerat.

II. Actione ſeptima Juvenalis Hieroſolymitanus, & Maximus Antiochenus tandem finitis contentionibus & icto fœdere quo duæ Phœniciæ & Arabia Epiſcopi Antiocheni juriſdictioni obnoxiæ fuerant, tres verò Paleſtinæ Hieroſolymitani, poſtulaverunt à Concilio initæ concordiæ approbationem, omiſſo omni ad Romanum Pontificem perfugio, quod in mentem eorum nequidem incurrit.

III. Actione 9. & 10. Ibas Epiſcopus Edeſſæ Sede ab-

dicatus & crudeliter à Dioſcoro exceptus in 2. Concilio Epheſino; cauſâ accuratiùs diſcuſsâ juſſu Imperatoris in Concilio Beryti, poſtulat à Concilio Chalcedonenſi reſtitutionem in Sedem, quod quidem ejus votis annuens eum reſtituit in propriam Eccleſiam ne verbo quidem de autoritate Romani Pontificis emiſſo.

IV. Actione 11. & 12. auditis Baſſiani querelis de Stephano quem vi ac violentiâ ſibi abripuiſſe epiſcopatum Epheſinum contendebat ambo de ſpe ac conatu depulſi ſunt, tertium jubet eligi Concilium litigantibus verò annum cenſum, ſeu penſionem ex bonis hujus Eccleſiæ conſtituit ſervata Epiſcopali dignitate.

V. Actione 13. cauſa quæ inter Euvonium Epiſcopum Nicomediæ, & Anaſtaſium Nicææ interceſſerat de jure Metropolitico in Eccleſiam Baſilinopolitanam dirimitur, quam Anaſtaſius obtinuit.

VI. Denique actione 14. auditis querimoniis Sabiniani Perrhæ Epiſcopi de Athanaſio in locum ſuum vi ac violentia Dioſcori ſuffecto, quamvis in Concilio Antiocheno ſub Domno celebrato abdicatus fuerit; Concilium Chalcedonenſe præfatum Sabinianum in Sedem reſtituit, & quoniam Athanaſius ad judicium ſe ſiſtere coram Concilio Antiocheno renuerat, & deſerti vadimonij condemnatus fuerat juſſit cauſam ejus iteratâ diſceptatione intra octo menſes coram Maximo epiſcopo Antiocheno in Concilio recenſeri.

Cauſas verò illatas ei examinandas eſſe decernimus apud ſanctiſſimum Epiſcopum Antiochiæ Maximum, & Concilium quod cum eo eſt. Decrevit eum de Sede Epiſcopali decedere, ſi reus ſit, ſi verò à culpâ liber in eandem reſtitui. Sabiniano verò annuum cenſum ſeu penſionem ex reditibus ejus Eccleſiæ ad Victum, ſervata Epiſcopi dignitate, conſtituit ſive adſcripſit. *Si verò intra hoc tempus non agatur adverſus eum, neque convincatur ſicut prædictum eſt, Athana*

Athanaſius quidem Epiſcopatum ejus recipiat civitatis & Eccleſiam per ſanctiſſimum epiſcopum Maximum. Sabinianus verò Reverendiſſimus Epiſcopus & dignitatem Epiſcopatus habeat & ſubſtitutus ſit & paſcatur ſicut Reverendiſſimus Epiſcopus Antiochenorum Maximus ſecundum facultatem Perrhenorum ſanctiſſimæ Eccleſiæ diſpoſuerit. Concil. Chalced. Act. 14. pag. 325.

Jam percontarer libenter Davidium, cur hi omnes Epiſcopi ad ſummum Pontificem non appellaverint à judiciis Conciliorum particulariorum, in quibus eorum cauſæ agitatæ fuerant? Et ſi jam ætate S. Cypriani Epiſcopus Magnæ Romæ, ut contendit Davidius, ſupremæ cognitionis judex erat epiſcoporum, quî fieri poteſt Antiſtites tot miſeriis exagitatos, & ad extremas anguſtias redactos ad Apoſtolicam Sedem non confugiſſe; ſed potiùs ad Imperatorem, ut Concilio in Chalcedonenſi rerum ſuarum recenſionem obtinerent? Denique cur ille invaluit uſus ut Conciliari autoritate potiùs quàm Pontificiâ pulſi Sedibus Epiſcopi reſtituerentur? Niſi ex iis qui ad ſummum Pontificem aliquando confugerunt, intelligamus, imploraſſe auxilium, petiiſſe Concilium, neutiquam verò præſtolatos eſſe cauſarum ſuarum omni appellationo remotâ judicium.

Jam verò tot argumentis comprobatam veritatem obfirmato pectore perſequi non pertimeſco. Adeoque contendo tempore Concilij Chalcedonenſis uſum nondum invaluiſſe ut Epiſcoporum cauſæ primæ aut ultimæ cocognitionis judiciis à Romano Pontifice dirimerentur; ſed univerſam Eccleſiam æſtimaſſe, ſupremæ & omnis appellationis expertia Synodorum judicia in cauſis Epiſcoporum, priſcamque diſciplinam fuiſſe, ut omnis ſpes reſtitutionis adimerentur epiſcopo ſemet Concilij ſententia juridiciali abdicato. Certiſſima nobis non deſunt hujuſce veritatis argumenta. Quæ ut bene intelligantur, ſcire neceſſe eſt, tempore Concilij Chalcedonenſis Eccle-

ſiam

ſiam univerſam, utendum habuiſſe codicem, in quo plurium Conciliorum Canones erant deſcripti, ex quibus quaſi ex priſco jure lites ſub judice occurrentes ſolebant definiri. Hunc uſum fatetur invaluiſſe Davidius in cunctis orientis Eccleſiis; Ego verò in univerſa Eccleſia contendo. Quoniam cùm in Concilio Chalcedonenſi citatus eſt hic codex ex orientis aut occidentis Epiſcopis aut ex legatis ſummi Pontificis, nemo contradixit, quamvis ejus eſſe maximè videretur huic codici vehementer obſiſtere, ſi juxta mentem Davidij tunc temporis eſſet poſita Romana Sedes jure admittendi appellationes epiſcoporum.

David. Pag. 103.

Quippè cum hoc codice diſciplina præſcripta ſit omninò contraria definitioni Concilij Sardicenſis. Quæ cum ita ſint, non difficile eſt nobis probare tempore Concilij Chalcedonenſis Eccleſiæ univerſæ diſciplinâ & conſuetudine conſtitutum fuiſſe, ut Epiſcopo ſemel in Concilio abdicato omnis ſpes reſtitutionis in altera Synodo adimeretur. Id enim clariſſimè perſpectum habemus ex Canone hujus codicis citato actione 5. Concilij Chalcedonenſis in cauſa Caroli & Dorothei Monachorum Eutychis ſectatorum, qui conceptis verbis ſic ſe habet. *Si quis Epiſcopus à Synodo depoſitus, aut Presbyter aut Diaconus, aut omnino qui eſt ſub regulâ à proprio Epiſcopo auſus fuerit amplius aliquid ſacri miniſterij gerere, ſive Epiſcopus, juxta ſuperiorem conſuetudinem, ſive Presbyter ſive Diaconus poſtea non liceat ei ne in alterâ quidem Synodo ſpem reſtitutionis nec ſatisfactionis locum habere. Sed omnes qui ei communicant ejiciantur ex Eccleſiâ, & maximè ſi poſtquam cognoverint ſententiam in prædictos latam iis communicare auſi fuerint.*

Equidem ſcio Davidium plus contendere quàm poteſt, ut probet ejuſmodi codicem quo utebatur Concilium Chalcedonenſe non debere univerſæ Eccleſiæ codicem

appellari,

appellari. Sed hanc quæſtionem tractare non opus eſt, ſatis eſt enim univerſam Eccleſiam non obſtitiſſe, nec contradixiſſe codici citato, ſed paſſam eſſe eoſdem Canones vocari divinas ac ſacras regulas, *poſt lectionem autem divinarum ac ſacrarum regularum.* Non contendo pariter hunc codicem Concilij Chalcedonenſis publici juris factum fuiſſe à Juſtello, quamvis de hoc non dubitem, hoc non attinet veritatem ad quam tuendam animum appuli. Satis enim mihi eſt Canonem quem mox citavi ex quovis codice aut Concilio excerptum, à Concilio Chalcedonenſi fuiſſe receptum, & neminem interceſſiſſe, ut ex eo colligam univerſam Eccleſiam in hoc Concilio generali non dubitaſſe quin Epiſcoporum lites à Synodis ſupremæ cognitionis ſententiâ judicarentur. Quamobrem non ſum valde ſollicitus de Concilio ex quo hic Canon exſcriptus eſt, ſive ſit Antiochenum ſive non. Enimverò ſi ad Antiochenum pertinet, fateri neceſſe eſt Canones Antiochenos poſt mortem S.Chryſoſtomi fuiſſe in codicem inſertos, quem Concilium Chalcedonenſe approbavit: Si verò non pertinet quia revera ſub hoc nomine citatus non eſt, parum refert dummodò recuſare nemo velit quin hic Canon in codice concluſus ſit, quo libenter uſa eſt Eccleſia univerſa in Concilio Chalcedonenſi. Ego verò libentiſſimè aſſentior iis quæ dicit Davidius pag.106. cap.2.art.6.lineâ 114.ſcilicet de Canonibus citatis in Concilio Chalcedonenſi omiſſo nomine Concilij Antiocheni " à quo excerpti videbantur fas eſſe dicere Patres Chalce- " donenſes etiam dum approbant his Canonibus ſanci- " tam diſciplinam potuiſſe ignorare in Concilio Antioche- " no confectos fuiſſe, & eas admittendo regulas Conci- " lium quo fuerant præſcriptæ rejicere. Placetque mihi " vehementer ex relatione rerum geſtarum in Concilio Chalcedonenſi colligere cum Davidio, prædictum Concilium recognoviſſe quaſdam leges Eccleſiaſticas Concilio

Concil. Chalced. Act. 5. pag. 242.

Pag. 106.

Antiocheno vindicatas æquitati ac juſtitiæ congruas: eamque potiſſimè quæ ad Epiſcoporum judicia ſpectat cum eam iſtud Concilium generale approbaverit. Spontè etiam fateri non pigebit nunquam Concilium Chalcedonenſe generatim Concilium Antiochenum approbaſſe. Non enim eo devolvitur noſtræ quæſtionis caput. Sed tantummodò quærimus, an Concilium Chalcedonenſe, approbato codice, quo continetur Canon qui Synodis ſupremam autoritatem in judicandis Epiſcoporum cauſis adſcribit, mentem ab hoc Canone alieniorem habere potuerit. Hoc enim incogitabile homini qui de poteſtate mentis non exiverit videatur neceſſe eſt.

CAPUT LIV.

Origo appellationum ad Apoſtolicam Sedem cauſa Chelidonij Hilarij Arelatenſis & Lupicini.

Jam verò neminem eſſe puto quin ſibi perſuadeat appellation im originem ab ætate S.Leonis alieniſſimam fuiſſe. Incredibile enim videtur offenſos Epiſcopos ad eum confugiſſe,ut in Sedes quibus Conciliorum autoritate deceſſerant reſtituerentur. Verùmtamen cùm ad tantulum opus animum appulerim, veritatis amore vehementer accenſus inficiari non poſſum S. Leonem Romanorum Pontificem primum hoc jure & hac poteſtate adverſus epiſcopos eſſe potitum, ac primulum properaſſe exequi conſilia anteceſſorum Sozimi, Bonifacij, & Cœleſtini. De hoc enim dubitandi locum non relinquit rerum geſtarum narratio in cauſa Chelidonij, quem Epiſcopum Veſontionenſem plerique credunt.

Porrò hanc cauſam intelligimus ex duobus antiquitatis non

non ignobilibus inſtrumentis : ſcilicet vitâ S.Hilarij Epiſcopi Arelatenſis, cujus autorem putant viri Docti Honoratum Maſſilienſem Epiſcopum, vel Ravennium ſancti Hilarij in Eccleſiâ Arelatenſi ſucceſſorem , & Epiſtolâ S.Leonis 89. relata primo tomo Concil. Galliæ R. Patris Sirmondi pag.79. Hæc autem nos docent hunc Epiſcopum duplici peccato fuiſſe accuſatum, quod Epiſcopali amplitudine indignum arguebat, nec tantam perſonam recipiebat.

Dicebatur eum duxiſſe uxorem viduam antequam Sacerdotio initiaretur, & adfuiſſe judicio cauſarum capitalium.Juſtiſque his de cauſis adducti S.Hilarius & S.Germanus, habito plurium Epiſcoporum Concilio Chelidonium abdicarunt.Si hujus vitæ ſcriptor verum dixit, hoc juſtum judicium fuit. *Conveniunt , inquit, ex aliis locis probatiſſimi Sacerdotes : res omni ratione prudentiâque diſcutitur, accuſatio teſtimoniis confirmatur ; adhibetur vera ſimplexque definitio, ut quem Scripturarum regulæ removebant voluntate propria ſe removere deberet.*

Inſuper S.Hilarius Arelatenſis & S.Germanus Antiſſiodorenſis viri ſunt pietatis ac ſanctitatis fama adeo illuſtres, ut eos injuſtè judicaſſe prorsùs incredibile videatur.

Verumtamen ab eorum mente alieniſſimus fuit S.Leonis animus. Cum enim ad eum confugiſſet Chelidonius, *ille urbem credidit expetendam, ibique ſe injuſto rigore adſtruit condemnatum*, coacto Concilio à Pontifice Romano Hilarius & Chelidonius cauſam perorarunt ſuam, litem obtinuit Chelidonius, in Sedem audacter reſtitutus eſt, ab omni culpâ liber renunciatus. Judicium verò à Concilio latum, cui S.Hilarius præfuerat, penitùs fuit abrogatum & irritum. Hæc omnia pleniſſimè intelligimus ex tam laudatâ S.Leonis Epiſtolâ. *Quæ igitur apud nos in cauſâ Chelidonij Epiſcopi geſta confecta ſunt, & quæ Hilarius dixerit, dum cum eodem præſente ſupra dicto Epiſcopo audiretur,*

Gennad. de viris illuſtr.

Vita S.Hilarij tom. 1. Concil. Gall. pag. 79.

Tom. 1. Concil. Gallic. pag. 81.

indictus Chartis rerum ordo demonſtrat ubi poſtquam Hilarius rationabile quod in ſanctorum Concilio Sacerdotum poſſet reſpondere non habuit, ad ea ſe occulta cordis ipſius tranſtulerunt, quæ nullus laicorum dicere, nullus Sacerdotum poſſet audire. Doluimus fateor fratres & hunc ejus mentis tumorem medelis patientiæ noſtræ curare tentavimus. Nolebamus enim ea illi exacerbare vulnera, quæ ſuæ animæ inſolentibus ſubinde ſermonibus infligebat: Et quem ſuſceperamus ut fratrem delinire, magis quamvis ipſe ſuis reſponſionibus innodaret, quam contriſtare noſtris interlocutionibus nitebatur. Abſolutus eſt Chelidonius Epiſcopus, quoniam ſe injuſte Sacerdotio fuiſſe dejectum manifeſta teſtium reſponſione, ipſo etiam præſente monſtraverat: Ita ut quod Hilarius nobiſcum reſidens poſſet opponere non haberet. Remotum eſt ergo judicium, quod prolatum in hac ſententiâ legebatur, quod tanquam viduæ maritus Sacerdotium tenere poſſet, quod nos quidem ſervantes legalia conſtituta ſollicitius voluimus cuſtodiri non ſolum circa Sacerdotes, ſed circa clericos quoque minoris officij, ne ad ſacram militiam hi permittantur accedere, quibus ſit tale conjugium ut contra Apoſtolicam diſciplinam non unius tantum uxoris viri fuiſſe monſtrentur. Sed ſicut eos quos factum ſuum non poteſt excuſare aut non admittendos, aut ſi admiſſi fuerint, decernimus removendos: Ita quibus aut falſo objicitur habita neceſſe eſt excommunicatione purgemus, & ſuum officium perdere non ſinamus. Manſiſſet namque in illum prolata ſententia ſi objectorum veritas extitiſſet. Redditus itaque eſt Eccleſiæ ſuæ, & huic quam amittere non debuit dignitati, Coëpiſcopus noſter Chelidonius ſicut geſtorum ſeries & poſt decurſam cognitionem ſententia quæ à nobis eſt prolata teſtatur.

Dubitandi ergo locus nullus relinquitur, quin hoc negotium jam judicatum in Concilio incerti loci fuerit Romæ in altero Concilio recenſitum. Supervacaneum foret etiam contendere Chelidonium non appellaſſe ad Romanam

manam Sedem : ſed ſolum querelam detuliſſe, ut à ſummo Pontifice auxilium & præſidium imploraret. Hoc enim abſurdi & inſulſi convincunt concepta verba S. Leonis, quæ ſpeciatim formulas juris in hoc judicio ſervatas ſignificant.

Inſuper hoc etiam mirificè confirmat initium. Epiſtolæ 89. quam ſcripſit epiſcopis provinciæ Viennenſis, poſtquam Româ diſceſſiſſet Hilarius Arelatenſis; ait enim antiquam eſſe conſuetudinem appellare ad Apoſtolicam Sedem, & eam conſulere. *Nobiſcum itaque veſtra fraternitas recognoſcat Apoſtolicam Sedem pro ſui reverentiâ, à veſtræ etiam provinciæ Sacerdotibus innumeris relationibus eſſe conſultam, & per diverſarum quemadmodum vetus conſuetudo poſcebat appellationem cauſarum aut retractata aut confirmata fuiſſe judicia.* Igitur dubitare non poſſumus mentem Sancti Leonis fuiſſe, lites Epiſcoporum, poſtquam fuerant in Concilio judicatæ, poſſe libello appellationis ad Apoſtolicam Sedem delato iterum in altero Concilio recenſeri & dirimi, ſive confirmando, ſive infirmando ſententiam Concilij provincialis. Præterea S.Hilarius cum tantæ humilitatis ſignificatione Romam profectus, ſeque geſſit coram Pontifice, cum tantæ modeſtiæ & obedientiæ teſtificatione; audita querimonia Chelidonij adverſum ſe delata, ut mihi facile perſuadeam à mente S. Leonis Hilarium alieniorem non fuiſſe. Porrò hoc refert autor vitæ. *Quod ubi comperit vir beatus pedibus iter aggrediens Romam ſine equo, ſine ſagmario feſtinus intravit Apoſtolorum Martyrumque occurſu peracto. Beato Leoni Papæ illico ſe præſentat, cum reverentiâ impendens obſequium, & cum humilitate depoſcens ut Eccleſiarum ſtatum more ſolito ordinaret: Adſtruens aliquos apud Gallias publicam merito excepiſſe ſententiam, & in urbe ſacris altaribus intereſſe. Rogat atque conſtringit ut ſibi ſuggeſtionem ſuam libenter excepit ſecreto jubeat emen-*

 dari,

Digitized by Google

dari, ſe ad officia non ad cauſam veniſſe proteſtandi ordine, non accuſandi quæ ſunt acta ſuggerere; Porrò autem ſi aliud velit non futurum eſſe moleſtum.

His rationibus adductus, fateor libenter S. Leonem Romanorum Pontificem primum judicaſſe cauſam Epiſcopalem ad Apoſtolicam Sedem per appellationem delatam à judicio Concilij. Licet enim dicat *quemadmodum vetus conſuetudo poſcebat.* Certum eſt, ut toto hoc libro probavimus uſque ad Pontificatum Leonis neminem Canonum Sardicenſium executionem procuraſſe: Ipſumque Leonem hanc conſuetudinem priſcam appellandi ad Romanam Sedem ſubjeciſſe, fortaſſe quia Anteceſſores Sozimus, Bonifacius & Cœleſtinus eam inſtaurare voluerant; ſatis contenti deſiderio & ſpe rei, quam primus Leo ſummâ cum ſolertiâ & prudentiâ executus eſt.

Nam Primò, ſolitarius Pontifex hanc cauſam non judicat, ſed cogit Concilium ut patet ex hujus Epiſtolæ num. 1. *Vbi poſtquam Hilarius quod in ſanctorum Concilio Sacerdotum poſſet reſpondere non habuit.* Secundò, judicium profert in gratiam Chelidonij, eum enim culpâ liberat, & in Sedem reſtituit: Optimum ſtabiliendæ autoritatis artificium: Hilarium verò Arelatenſem, quamvis ita ut hominem ambitioſum defricet, qui alienam autoritatem uſurpaverat, illum tamen abire epiſcopatu non coëgit. Tertiò Imperatoriam implorat Majeſtatem, ut intelligimus ex novella Valentiniani tertij qua tria Epiſcopis Galliæ occaſione hujuſce cauſæ Hilarij præſcribuntur. Primò, non violare antiquam conſuetudinem inconſulto Romano Pontifice. Secundò, pro lege habere quicquid Sedes Apoſtolica decreverit. Tertiò, cogere Epiſcopos adeſſe ad judicium Romani Pontificis, qui evocati adeſſe neglexerint. *Hoc perenni ſanctione decernimus ne quid tam Epiſcopis Gallicanis quàm aliarum provinciarum contra conſuetudinem*

veterem

Digitized by Google

veterem liceat ſine venerabilis Papa urbis æterna autoritate tentare, ſed illis omnibuſque pro lege ſit quicquid ſanxit vel ſanxerit Apoſtolica Sedis autoritas. Ita ut quicquid Epiſcoporum ad judicium Romani Antiſtitis evocatus venire neglexerit, per moderatorem ejuſdem provinciæ adeſſe cogatur. Quid enim neceſſe erat Imperatorem hanc condere legem ſi Romam ire ad obtinendum judicium uſu & conſuetudine aſſueverant Epiſcopi? An credibile eſt S. Hilarium huic conſuetudini obſtitiſſe, ſi quæ in vita ejus referuntur vera ſunt? Igitur non alia ratione ita ſe geſſit S. Leo, niſi quia cum ſe Epiſcoporum, jure judicem æſtimaret, avebat autoritatem ſtabilire, & omnia impedimenta amoliri.

Hæc Epiſtola S.Leonis ad Epiſcopos Provinciæ Viennenſis nobis adhuc ſuppeditat querelam à Projecto Epiſcopo delatam ad Apoſtolicam Sedem adverſus eundem Hilarium de Epiſcopo in locum Projecti ſuffecto cui manus impoſuerat Hilarius. Ex hoc tamen certiſſimum aſſumimus argumentum, ad probandum Summum Pontificem etiam primæ cognitionis judicium ſibi vindicaſſe; quippè cum hæc cauſa Projecti nullo anteriori Concilio exagitata fuerit. Igitur animo falli poſſe non videbimur, ſi ſponte fateamur, & ingenuè, tempore S.Leonis appellationes ad Apoſtolicam Sedem originem habuiſſe, vel ſaltem hunc Pontificem omnium primum non dubitaſſe, judicare Epiſcopos, & hoc jus occaſione commoda & idonea ſibi vindicare.

Hanc veritatem mirificè confirmat negotium Attici Metropolitani Epiri veteris; quod intelligimus ex Epiſtolâ 84. S.Leonis ad Anaſtaſium Epiſcopum Theſſalonicenſem. Hic erat vicarius S.Leonis non ſecus ac multi anteceſſores S.Leonis anteceſſorum vicarij fuerant. *Quoniam ſicut præceſſores mei præceſſoribus tuis, ita etiam ego dilectioni tuæ priorum ſecutus exemplum vices noſtri mei moderaminis delegavi*

legavi, ut curam quam univerſis Eccleſiis principaliter ex divinâ inſtitutione debemus imitator noſtræ manſuetudinis effectus adjuvares; & longinquis ab Apoſtolicâ Sede provinciis præſentiam quodammodo noſtræ viſitationis impenderes. Hac dignitate fultus, delegatâ autoritate Apoſtolicâ intemperanter abuſus ſummâ injuria Atticum Epyri veteris Metropolitanum effecerat, qui graviori culpa carere videbatur: quippè cum Theſſalonicam ad mandatum ejus venire neglexerit malâ valetudine præpeditus, hinc S. Leo auditis hujus Epiſcopi querelis, arripuit occaſionem ſcribendi Epiſtolam objurgatoriam Anaſtaſio. *An fortè aliquod facinus tibi fratris innotuerat, & Metropolitanum Epiſcopum novi apud te pondus urgebat? At hoc quidem alienum ab illo eſſe, etiam tui nihil abjiciendo confirmas. Sed etiam ſi quid grave intolerandumque, geſſiſſet, noſtra erat expectanda cenſura. Vt nihil prius ipſe decerneres quàm quid nobis placeret agnoſceres; vires enim noſtras ita tuæ credimus charitati; ut in partem ſis vocatus ſollicitudinis non in plenitudinem poteſtatis.* Et infra hujus Epiſtolæ cap. 7. habetur, decretum quo jubet Pontifex majores epiſcoporum cauſas ad Apoſtolicam Sedem referri, ut ab ea ſupremæ cognitionis ſententiâ judicentur. *De Conciliis autem Epiſcopalibus non aliud indicimus quam ſancti Patres ſalubriter ordinarunt. Vt ſcilicet bini conventus per annos ſingulos habeantur, in quibus de omnibus querelis quæ inter diverſos Eccleſiæ ordines naſci adſolent, judicetur. At ſi fortè inter eos qui præſunt de majoribus (quod abſit) peccatis cauſa naſcatur quæ provinciali nequeant examine definiri: fraternitatem tuam de totius negotij qualitate Metropolitanus curabit inſtruere, & ſi coram poſitis partibus nec tuo res fuerit ſopita judicio, ad noſtram cognitionem quidquid illud eſt transferatur.*

Epiſt. S. Leon. 84.

Epiſt. S. Leon. 84. cap. 7.

Interim tamen Epiſtola 87. ad Epiſcopos Mauritaniæ ejuſdem S. Leonis nobis injicit ſuſpicionem de non tam faciliter

faciliter inſtitutis ejuſmodi judiciis adverſus Epiſcopos Africæ. Licet enim vicarios mitteret, ut de Eccleſiarum ſtatu inquirerent,& ex eorum relationibus Canonum executionem procuraret. Attamen intelligimus habitâ quæſtione de duobus Epiſcopis ſcilicet Aggaro & Tyberino diſſolutè ordinatis,quia ex laicis ad preſbyteratum per ſaltum, ut loquuntur Juriſconſulti, pervenerant, captatâ occaſione tumultus : Remiſiſſe ejuſmodi negotium ad judicium epiſcoporum Africæ, ut relatâ fide apud eos habiti examinis de ſupradictis epiſcopis quid ſtatuendum ſit ſcire poſſet. *De Aggaro & Tyberino quorum à cæteris qui ex laicis ordinati ſunt in hac cauſa diverſa eſt, quod eorum ordinationi atroces tumultus & ſævæ ſeditiones memorantur eſſe famulatæ, veſtro judicio cuncta commiſimus ut relata habiti apud vos examinis fide quid de ſupradictis ſtatuendum ſit ſcire poſſimus.* Ex eadem Epiſtolâ intelligimus Lupicino cuidam Epiſcopo ad Apoſtolicam Sedem appellanti, communionem quidem non denegaſſe, immo & vehementer eos vituperaſſe, qui ei ſucceſſorem omni jure violato inſtituerant, nondum productis teſtibus, & antequam ad judicium adfuiſſet, cauſam verò non judicaſſe, ſed omnino excutiendam & judicandam ad Africanos Epiſcopos remiſiſſe. *Cauſam quoque Lupicini Epiſcopi illic jubemus audiri cui multum & ſæpius poſtulanti communionem hac ratione reddidimus, quoniam ad noſtrum judicium provocaſſet, immerito eum, pendente negotio à communione videbamus fuiſſe ſuſpenſum. Adjectum etiam illud eſt, quid huic temerè ſuperordinatus eſſe cognoſcitur, qui non debuit ordinari antequam Lupicinus in præſenti poſitus aut confutatus aut certè confeſſus juſtæ poſſet ſubjacere ſententiæ: ut vacantem locum quemadmodum diſciplina Eccleſiaſtica exigit is qui conſecrabatur exciperet.*

Si poſt appellationem ejuſmodi judicare non du-

Digitized by Google

bitabat Pontifex, quid ejus judicio remoram impoſuit? Cum præſertim ad id vehementer Lupicinus inſtigaret.

Verumtamen de hac Lupicini cauſa vehementer inſtare non eſt animus, non eſt enim omni ſuſpicione falſi libera: quippè cùm ejus nulla mentio fiat in antiquis editionibus hujus Epiſtolæ S. Leonis, ut patet ex editione Conciliorum typis gothicis expreſsâ curâ Theologi Pariſienſis Doctoris Merlini anno 1535. quam dicavit Stephano Ponchero Archiepiſcopo Senonenſi, & Franciſco Ponchero Epiſcopo Pariſienſi, quam confirmant antiqui codices manuſcripti, quibus ad novam editionem operum S. Leonis uſus eſt R. Pater Queſnellus Oratorij Jeſu preſbyter doctiſſimus.

Fol. 234. num. 65.

CONCLVSIO.

Hæc omnia ſcribere mihi neceſſe eſſe duxi, de cauſis majoribus & litibus Epiſcoporum, uſque ad umbilicum quinti ſæculi. Ex quibus non difficiliter lector intelligere poteſt, & ex accuratâ diſquiſitione inſtrumentorum omnium in libro Davidij relatorum, uniuſmodi fuiſſe his temporibus Eccleſiæ diſciplinam, nec aliud tribunal ad epiſcoporum dirimendas lites extitiſſe, præter ipſos Epiſcopos, ſive Concilia generalia aut particularia.

Jam opus exactum continuare non eſſet difficile acceſſione alterius, quo probarem, ab ætate S. Leonis uſque ad tempora Concilij Tridentini diſciplinam Eccleſiæ multis viciſſitudinum & mutationum ſalebris obnoxiam fuiſſe.
An. 1563. Facile enim eſſet demonſtrare Epiſcopos, non ſecus ac ante ætatem S. Leonis, fuiſſe à Conciliis judicatos, aliquando à Summo Pontifice tùm primæ cùm ultimæ cognitionis

gnitionis judicio ; aliquando Epiſcopos, ad Romanos Pontifices ut judices cauſarum ſuarum confugiſſe, aliquando eoſdem ejuraſſe. Principes verò & Imperatores totis viribus contendiſſe ſibi vindicare jus deputandi judices ſeu cognitores cauſarum Epiſcopalium, & coëgiſſe Concilia ad abdicandos faſtigio Pontificatus, ipſóſmet Romanos Epiſcopos. Denique poſſem certiſſimis argumentis oſtendere hanc diſciplinam tot tantiſque mutationibus & contradictionibus obnoxiam fuiſſe, ut hodie ſupra vires humanas eſſe videatur dicere, qua ratione ſe gerere neceſſe eſſet ad inferendam litem capitis in Epiſcopum, de eo quæſtionem habendam, actionem inſtituendam, & judicium exercendum : niſi credere velimus antiquæ priorum ſæculorum traditioni, quam uniuſmodi & immutabilem eſſe comprobavimus uſque ad tempora S. Leonis. Ad tantulum ſtudium aſpirante Deo olim incumbere poterimus, & accuratè tractare de origine & progreſſu Appellationum ad Apoſtolicam Sedem, & cauſis mutationum quibus hæc diſciplina obnoxia fuit. Sed quoniam hic labor ſpeciatim non attinet confutationem libri Davidij, hic operi manum extremam apponendam duxi. Sicut enim ingenuè fateor poſt exactum quintum ſæculum Eccleſiæ; Romanos Pontifices totis viribus ſibi vindicaſſe Autoritatem ſummam, ad dirimendas fratrum & Coëpiſcoporum cauſas capitales, Davidius diffiteri non poteſt, pleroſque Epiſcopos præſertim Eccleſiæ Gallicanæ ejuſmodi molitionibus vehementer obſtitiſſe.

Quæ cùm ita ſint coram Deo conteſtor, & adjuro mentem ac conſilium meum non fuiſſe regulas ac leges condere, aut exponere adverſus diſciplinam qua noſtra ætate Eccleſia uti ſolet ; nec judicia anticipata ex præconceptis opinionibus ferre de judiciis Epiſcoporum.

Immò verò conteſtatâ denuntiatione teſtificor me nullam juris quæſtionem dirimere ac definire voluiſſe ; ſed ſolùm antiquitatis inſtrumenta tractare, ad hiſtoriam Eccleſiaſticam pertinentia facta enucleare, & ob oculos lectorum eruditorum ſincerè exponere : Adeo ut ex hujus operis lectione intelligant autorem nec malorum timore exterritum, nec ſpe bonorum fortunæ deluſum ſcripſiſſe. Faxit Deus !

FINIS.

INDEX

Digitized by Google

INDEX
RERVM MEMORABILIVM.

A

AMPLITVDO Sedis Romanæ. pag. 3.
Artificia Frortunti & Feliciſſimi. 4.
Africæ Synodi. ibid.
Arelatenſis civitas & plebs. 7.
Apoſtoli hoc erant quod fuit Petrus pari conſortio prædici & honoris & poteſtatis. pag. 10.
Apologia S. Cypriani apud S. Auguſtinum. 12.
S. Athanaſij autoritas. 18.
S. Auguſtinus æquat Cyprianum Stephano. 12.
Ammonius. 18
Sententia abſolutionis Dionyſij Alexandrini nulla. 19.
Athanaſius defenſor Dionyſij Alexandrini. 20.
Antiochenum Concilium contra Paulum Samoſatenum. 21
Antiocheni Concilij primi pauca ad notitiam noſtram pervenerunt. 22.
Antiochenum Concilium ſecundum. 23.
Appellatio nulla ante Cyrillum Hieroſolymitanum. 42.
Amphion Epiſcopus. 51
S. Athanaſius Sede Alexandrina pulſus ab Euſebianis. 52.
Ægypti Epiſcopi comites S. Athanaſij. 53.
Aſterij Liber confutatus à Marcello Ancyrano. 55.
Abſolutio Athanaſij ſub Julio Papa. 58.
Autoritas Synodorum inconcuſſa. 60.
Apoſtolicæ Sedi referri debent graviora negotia. 62.
Athanaſij cauſa debuit ab omnibus Epiſcopis intelligi, & diſceptari. 65.
Antiocheni Canones ab Arianis confecti. 66.
Aſclepas Gazeus. 68.
Acatius Epiſcopus Orientis epiſcopatu pulſus. 68.
Athanaſij operum duæ editiones. 78.
Auxentius Epiſcopus Mediolanenſis

ſis condemnatus. 102.
Aquileienſis Concilij acta ſuſpecta. 121.
S. Ambroſius Mediolanenſis adeſt Concilio Aquileienſi. 121
Actiones litis Epiſcopalis ab Imperatoribus ſtatutæ. 124.
Ammiani Marcellini hiſtoria. 124.
Antiochenum ſchiſma inter Flavianum & Evagrium. 130.
Aniſius Theſſalonicæ Epiſcopus. 136.
S. Auguſtini liber de hæreſibus. 141.
Alexander VII. Papa. 149.
S. Ambroſius Epiſcopus Mediolanenſis. 150.
Advocati Epiſcopatu arceantur. 153.
Agapij cauſa pro Epiſcopatu Boſtrenſi. 155.
Antoninus Epiſcopus Epheſi accuſatus. 157.
Acurius Epiſcopus Priſcillianiſta abdicatus in Concilio Toletano. 164.
Acarius epiſcopus Bereenſis. 172.
Arſacius coactus decedere Epiſcopatu Conſtantinopolitano. 175
Argumenta ad probandam Appellationem S. Chryſoſtomi ad Apoſtolicam Sedem. 185
Ambroſius Florentinus Camaldulenſis interpres Dialogorum Palladij de vita S. Chryſoſtomi. 191
Atticus Epiſcopus Conſtantinopolitanus. 206
Arcadij Imperatoris excommunicatio ab Innocentio Papa merum figmentum. 208
Æſopi Fabula. 215
Alexander Hieronymus Junior nepos cognominis Cardinalis. 215
Anaſtaſius Bibliothecarius. 216
Appellationes ad Romanum Pontificem ante Sozimi tempora non fuere. 216
Africani fidem derogant verbis Sozimi. 236
Apiarij presbyteri cauſa. 238
ab Arbitris electis judicibus appellare non licet. 261
Antonij Epiſcopi Fuſſalienſis cauſa. 290
Anaſtaſius presbyter amicus Neſtorij. 304
S. Auguſtinus vult ſe abdicare Epiſcopatu. 295
Appellationum ad Apoſtolicam Sedem exempla. 296.
Armentarij Epiſcopi Ebrodunenſis ordinatio diſſoluta. 332.
Appellatio S. Flaviani ad S. Leonem nulla. 350
Anaſtaſij Epiſcopi Niceæ cauſa. 380
Anaſtaſius Theſſalonicenſis Vicarius S. Leonis Papæ. 389.

B

Baptiſmus non iterandus. pag. 12
Baſilides Epiſcopus Hiſpaniæ. 13. 14
Baronij opiniones & Binij. 18. 155. 233
S. Baſilius Magnus. 96.
Barberinus Cardinalis Franciſcus. 119. 149
Burdigalenſe Concilium ſub Syricio. 128.

Bonoſi.

Bonoſi hæretici cauſa. 135
Bonoſus nunquam defecit ad Joviniani hæreſim. 141
Bonifacij VIII. Bulla *unam Sanctam.* 148
Boſtrenſis Epiſcopatus. 155
Baſileenſe Concilium. 191
Bubalij & Tauriani negotium. 221
S. Baronis Gandavenſis codex MSS. 240
Bonifacius I. Papa. 251
Beſſula Diaconus Carthaginenſis adfert excuſationes Africanorum Concilio Epheſino. 311
Barſumas interficit S. Flavianum. 349
Baſſiani querelæ contra Stephanum in Concilio Chalcedonenſi. 380

C

Conſtantius Imperator collationem habet cum Liberio Papa. pag. 92
Concilium Conſtantinopolitanum I. ſub Damazo. 106
Concilium Oecumenicum ſupremum tribunal Eccleſiæ. 110
Cupido furioſa obtinendi Pontificatus Romani. 124
Capuenſis Concilij ſententia de judiciis Canonicis Epiſcoporum. 130
Concordata inter Leonem X. & Franciſcum I. falſa & ſuppoſititia. 130
Collectio Romana Holſtenij. 150
Concilium Conſtantinopolitanum ſub Syricio. 155
Comaſius presbyter priſcillianiſta. 164
S. Chryſoſtomus Epiſcopali Sede pulſus. 167
Ejus crimina falſa & ſuppoſititia. 171
S. Cyrillus adverſarius S. Chryſoſtomi. 206
Carthaginenſe Cōcilium anni 419. explicatur. 233
Cœleſtinus Papa accipit Epiſtolam ab Africanis. 248
Concilium generale ſupremum tribunal Eccleſiæ in cauſis Epiſcoporūm. 249
Codex Eccleſiæ Africanæ quando factus. 251
Creſconij breviariū Canonum. 254
Chifletius Jeſuita. 255
Cauſæ communes & non communes quæ fuerint. 264
Creſconij Villaregienſis Epiſcopi cauſa. 274
Concilij confirmatio quomodo intelligenda. 288
Concionatorum Conſtantinopoli procax libertas civitatem miſcuit. 305
S. Cyrillus ſcribit epiſtolam ad ſolitarios. 305
non præſidet nomine Cœleſtini Papæ Concilio Epheſino. 310
Candidianus legatus amicus Neſtorij. 312
Capreoli Carthaginenſis Epiſcopi epiſtola ad Concilium Epheſinum. 313
Cyrillus gerit vices Africanorum. 318
deponitur in Concilio Epheſino II. pag. 329.
Cauſæ debent audiri ubi crimen eſt

eſt admiſſum. 2. 5. 6. 7
Cornelius Papa interdixit communione Feliciſſimo. 3
Cornelius afficitur minis ac probris. 4
Concilia prava obſiſtunt Conciliis Eccleſiæ Gallicanæ. 6
Clerus præſidens cum Epiſcopo. 6
Carthaginenſis Epiſcopi amplitudo. 6
Cyprianus non eſt autor epiſtolæ 67. de Martiano Arelatenſi. 8
Caſus horribilis Arelatenſis Epiſcopi. 9
Communione ſupervacaneum interdici homini qui ſponte ab Eccleſiâ diſceſſit. 8
Cathedra una in qua ſedent omnes Epiſcopi. 10
Cathedræ & unitatis Eccleſiæ myſterium. ibid.
Cathedra unitatis & veritatis. 11
Cyprianum injuriis afficit Davidius. ibid.
Cypriani controverſia cum Stephano. 12
Cæcitas Davidij. 14
Communio laica poſt peractam pœnitentiam. 14
Concilium non judicat auditis tantum criminationibus & omiſſis reſponſionibus rei. 20
Ceciliani Epiſcopi Carthaginenſis cauſa explicatur. 29
Concilia bis in anno debent celebrari. 37
Cyrillus Hieroſolymitanus primus à Synodi judicio ad aliam Synodum provocavit. 42
Concilia œcumenica emendant & temperant decreta provincialium. 43
Concilia generalia judicabant cauſas Epiſcoporum primæ & ſupremæ cognitionis judicio. 45
Chreſtus epiſcopus. 51
Criminationes diluit Athanaſius. 53
Caligo calamitatum Eccleſiæ. 67
Circumcelliones Donatiſtarum. 91
Concilij Colonienſis acta ſuppoſititia. 93
Codex Eccleſiæ univerſæ lectus in Concilio Chalcedonenſi. 383
Chelidonij Epiſcopi cauſa. 385

D

Davidius æſtimat imbecillum argumentum D. Petri *de Marca.* 4
non legit Cyprianum. 8
Davidij ineptiis oppoſita profert Auguſtinus. 11
Dicacia verba Davidij in Cyprianum. 16
Dionyſij Alexandrini cauſa. 17
Dionyſius Epiſcopus Romanus. 18
De Dionyſio Alexandrino nullum Romæ pronunciatum judicium. 20.
Dionyſius Alexandrinus ſcripſit quatuor libros contra hæreſim Sabellij. 20
Davidius fatuam putat ſententiam *D. de Marca.* 37
Dionyſius comes dux & præfectus Concilij Tyri. 53
Davidij ſtupenda temeritas. 69
Diabolus ſuperbiæ inventor. 92

Diſcolus

Diſcolus Epiſcopus Remenſis. 94
Deſiderius Epiſcopus Lingonenſis. 94
Damaſus Papa interdixit communione Urſatio & Valenti. 102
Davidij mentis cæcitas. 114
Davidius expungit verba. 114
Damaſi Papæ literæ ad Acholium. 119
Donatus Epiſcopus Priſcillianiſta depoſitus in Concilio Toletano 164
Davidius plagiarius Juſtelli. 214
Daniel ſcriba Concilij Carthaginenſis. 235
Dionyſius Exiguus collector Canonum. 254
Danielis Epiſcopi cauſa. 298
Dorotheus Epiſcopus Martianopolis concionator Neſtorij. 305
Dioſcori crudelitas. 349
Ejus abdicatio in Concilio Chalcedonenſi. 375

E

Epiſcopus qui fit hæreticus obnoxius judicio in hæreticos lato. 9
Epiſcoporum eſt Eccleſiæ conſulere & ſubvenire. 9
Epiſcoporum æqualis autoritas. 9
Epiſcopatus unus. 9
Epiphanius refert cauſam Melecij. 26
Excommunicationis genus duplex. 39
Euſebius epiſcopus Nicomedienſis. 47
Euſtatius Epiſcopus Antiochenus. 49
Epiſcopus non prius in cathedram alterius ſubſtituebatur quam Epiſcopus Romanus ſententiam tulerit. 73
Euphratus Epiſcopus Colonienſis depoſitus. 92
Euſtatius Epiſcopus Sebaſtenſis Sede Epiſcopali pulſus & in eandem reſtitutus. 96
Eudoxius hæreticus. 110
Epiſcopus debet eſſe presbyter Diaconus lector. 152
Euſebius Valentinopolitanus Epiſcopus accuſat ſimoniæ Antoninum Epheſinum. 158
Emilius Epiſcopus Priſcillianiſta depoſitus. 164
Eraſmus. 190
Emmanuel Chryſoloras Philelphi Socer. 191
Eugenius IV. Papa. 191
Epiſcopus non debet ſpoliari antequam judicetur. 198
Eudoxiæ Imperatricis excommunicatio ficta. 208
Epiſcopi quatuor deputantur ad Neſtorium ut Concilio Epheſino adſit. 312
Eutichez presbyter & Archimandrita depoſitus. 334. in qua deſixa eſſet ejus hæreſis. 335
Euſebius Dorilei ejectus Sede Epheſina. 348
Euſtatius Beryti in Concilio Chalcedonenſi judicatus. 379
Ennomij Epiſcopi Nicomediæ cauſa. 380

F

Felix factioſus. 3
Fortunatus & Feliciſſimus conjurationem habent Epiſcoporum. 2
Fortunatus pſeudo Epiſcopus. 3
Factioſi navigant Romam cum mendaciorum merce. 3
Feliciſſimus non erat Epiſcopus. 3
Fauſtinus Lugdunenſis Epiſcopus 2
Scripſit Cornelio & Cypriano. 9
Fraus pellicis nudæ. 89
Formula Eccleſiaſtici judicij. 95
Flaviani ſchiſma. 130
Facundus Epiſcopus Hermianenſis. 147
Ferrandi Diaconi Carthaginenſis breviarium canonum. 217. 256
Florentij epiſcopi Tiburienſis negotium. 224
Fauſtinus legatus Romani Pontificis, tertius in Concilio Carthaginenſi. 235
S. Flavianus Epiſcopus Conſtantinopolitanus damnat Eutychem. 342
Flaviani depoſitio. 348

G

Grex unus in Eccleſia paſtores nulli. 9
Grandin Doctor Sorbonicus approbavit notas *Rigaltij* ad Cyprianum. 15
Gregorius in locum Athanaſij ſuffectus ab Euſebianis. 57
Georgius Epiſcopus Orientis depoſitus. 68
Gaudentius Epiſcopus in Concilio Sardicenſi amplificat ſuffragium Hoſij. 73
Gratus Epiſcopus Carthaginenſis. 90. 245
S. Gregorius Nazianzenus. 114
Gelazij & Gennadij teſtimonia. 142
Gregorij IX. teſtamentum. 148
Gebadij cauſa de Epiſcopatu Boſtrenſi. 155
Gretzerus doctus Jeſuita. 191
Græcum exemplar vitæ S. Chryſoſtomi. 192
Georgij Epiſcopi Alexandrini futilis autoritas. 210
Gelazius Papa. 211
Gallæ Placidiæ Epiſtolæ. 359
S. Germanus Epiſcopus Antiſſiodorenſis. 385

H

Hallucinatio Davidij. 16. 78
Hæreticorum contumacia. 67
Hoſij ſuffragium in Concilio Sardicenſi. 72
Hermogenes Epiſcopus Cæſareæ. 96
Hæretici aut aliquo crimine poſtulati non poſſunt in jus vocare epiſcopos. 107
Holſtenius Vaticanæ bibliothecæ præfectus. 119. 149
Helvidij hæreſim confutat S. Hieronymus. 136
Hæretici celant errores ſuos. 140
Honorius I. Papa hæreſis crimine poſtulatus

Digitized by Google

poſtulatus. 147
Herenas Epiſcopus depoſitus. 164
Heraclides Epiſcopus Epheſi. 171
Hermannus doctiſſimus doctor Sorbonicus. 180
S. Hieronymi locus difficilis. 324
Hilarij Arelatenſis cauſa. 385. 386
Honoratus Epiſcopus Maſſilienſis ſcripſit vitam S. Hilarij Arelatenſis. 385

I.

Jovinus factioſus. 3
Idolorum cultores ad pœnitentiam admiſſi ab ordinatione cleri & Sacerdotali honore prohibiti. 14
Julij Papæ ſententia de judiciis Epiſcoporum. 56
Judices cognitores annexæ rei conditionis. 72
Jus novum Concilij Sardicenſis. 76
Imperator non judicat cauſas epiſcoporum. 91. 129
Ignatius Patriarcha Conſtantinopolitanus condemnatus. 111
Inſtantius epiſcopatu abdicatus. 128
Joviniani hæreſis. 138
S. Joſephus in vivis poſt Chriſti mortem non remanſit. 147
Juſtellus. 153
Innocentius Papa non dignatur reſpondere Theophilo. 183
Judicium nullum Romæ latum in cauſa S. Chryſoſtomi. 198
Innocentij I. Epiſtola ſuppoſititia ad Rufum. 226
Janſenius Epiſcopus Yprenſis. 233
Joannes Vvendelſtinus primus publicavit codicem Eccleſiæ univerſæ. 256
Ireneus comes amicus Neſtorij. 312
Ibas epiſcopus Edeſſæ. 379
Joannes Antiochenus. 320
Juvenalis Epiſcopus Hieroſolymitanus judicatus in Concilio Chalcedonenſi. 379

L

Lucius Papa laudatus à S. Cypriano. 10
Legati Euſebianorum ad Julium Papam. 57
Presbyteri à laterè ſummi Pontificis miſti. 74
Leontius epiſcopus Antiochenus caſtratus. 90
Liberij Papæ ſententia de Epiſcoporum cauſis judicandis. 92
S. Leonis Papæ Epiſtola Anatolio. 108
S. Leo non ſe putat judicem ſupremum Epiſcoporum. 343
Lampſaci Synodus Macedonianorum. 97
Launoiius Doctor Pariſienſis. 144. 389
Lucas Dacherius Monachus doctiſſimus. 149
Lariſſæ Epiſcopi cauſa. 217
Legati Romani Pontificis multi in Concilio Epheſino. 318
Lupicini cauſa. 391

M

MAximus factioſus. 3
P. *de Marca* contendit epiſcopos primis tēporibus in Conciliis Provincialibus judicari omni appellatione remota. 4
Metropolitanis commiſſi clerici & Epiſcopi. 7
P. de Marca vindicatus. 7
Martianus Arelatenſis abſtentus. 7
à Nemine judicatus. 8
Martialis Epiſcopus Hiſpaniæ Sede pulſus. 14
Malchion presbyter pietate doctrinâ & eloquentiâ mirabilis. 23
Melecij Epiſcopi Lycopoleos cauſa. 26
de crimine ejus non conveniunt Scriptores. 26
Melchiades Papa deputatus Judex ab Imperatore Conſtantino. 31
Menophantus Epiſcopus Epheſi. 46
Macis Epiſcopus Chalcedonenſis. 47
Mareotis provincia. 53
Marcellus Ancyranus epiſcopatu pulſus ab Euſebianis. 55
Menophantus epiſcopus orientis depoſitus. 68
Mylitinæ Concilium Euſebianorum. 97
Maximus Epiſcopatu Conſtantinopolitano ſpoliatus. 114
Magiſter Sacri palatij. 149
Majores cauſæ quomodo ad Sedem Apoſtolicam debeant referri. 220
Milevitani Canones nulli. 266
Maximiani Epiſcopi Bagayenſis cauſa. 275
Maurentij Epiſcopi Africani cauſa. 275
Memnon Epiſcopus Epheſi. 281 329
Maximi Valentini Epiſcopi cauſa 285
Maximus Antiochenus judicatus in Concilio Chalcedonenſi. 379

N

NOvatiani opinamenta proſcripta. 9
Nicænum Concilium explicatur de judiciis epiſcoporum. 37
Nicæni Concilij acta apocrypha Epiſtola ad Eccleſiam Alexandrinam vera. 45
Narciſſus Epiſcopus Neroniadis. 46
Narciſſus Epiſcopus Orientis depoſitus. 68
Nicolai primi Papæ Epiſtola ad Imperatorem Michaëlem. 111. 149
Nectarius Epiſcopus Conſtantinopolitanus deceſſor S. Chryſoſtomi. 115
Nicænum Concilium pro Sardicenſi. 153
Numidius epiſcopus Mazulitanus. 257
Neſtorius hæreſiarcha Sede Conſtantinopolitana pulſus. 302

O

OPtatus Milevitanus. 10
Non tam culpandus eſt ille cui negligenter obreptum eſt quam excecran

execrandus qui fraudulenter obrepſit. 13
Ordinatio reſcindi non poteſt. 15
Orthodoxorum fortitudo. 67
Orientalium Epiſcoporum epiſtola ad Donatiſtas plena mendaciis. 79
Onager dux conjurationis contra Euphratam. 91
Occidentis Epiſcopi contra Flavianum. 130
Orientalium & Occidentalium Cõcilium in cauſa S. Chryſoſtomi. 198
Onuphrius. 216
Ordinationes diſſolutæ ſunt cauſa abdicandi Epiſcopi. 229
Origo appellationum ad Apoſtolicam Sedem. 384

P

Portio gregis adſcripta ſingulis epiſcopis. 2
Privatus hæreticus. 2
Presbyteri ſimplices & Epiſcopi eodem modo judicati. 5.67
Pontifex Romanus in crimen vocatus. 5
Presbyteri præſunt. 6
Plebs ſecura de præpoſitis malis. 11
Petrus non dixit ſe primatum tenere. 11
Pontifex Romanus obnoxius erroribus ſicut cæteri Epiſcopi. 15
Paulus Samoſatenus Epiſcopatu abdicatus. 21
Simulata fide ludificat judices. 22
Tribunal ſeu thronum ſibi conſtruxerat in Eccleſia. 24
In una provincia multi Epiſcopi, diœceſes & parœciæ. 38
Pauli Samoſatenſis error. 55
Papa primus Epiſcoporum. 62
Petri memoria honoranda. 71
Philippopolis. 76
Privatus Epiſcopus Vegezelitanus. 91
Palladius Epiſcopatu ſpoliatus. 121
Priſcillianus recuſat adeſſe ad judicium Epiſcoporum, capite plexus. 128
Papa parti addictus non judicat. 135
Photini hæreſis in quo conſiſtit. 142
Pontifices conſulti non arrogabant ſibi ſupremam autoritatem. 145
Palladius ſcriptor vitæ S. Chryſoſtomi. 157
Priſcillianus hæreticus Martyr habitus. 164
Paternus Epiſcopus excommunicatus. 166
Paulus Langius in Chronico Citizenſi. 191
Poggius patentavit Ambroſio Camaldulenſi. 191
Photij Bibliotheca. 210
Petavius doctiſſimus Jeſuita. 210
Pontifex Romanus Urbicus Epiſcopus. 225
Proculi Maſſilienſis Epiſcopi negotium. 228
Perronius Cardinalis. 266.321
Philippus presbyter legatus S. Cœleſtini in Concilio Epheſino. 319
Peltani verſio Cõcilij Epheſini. 321

Digitized by Google

Photius Epiſcopus Tyri in Concilio Chalcedonenſi judicatus. 379

Q

COncilium ad Quercum in quo damnatus S. Chryſoſtomus. 170
Quodvultdei Epiſcopi Centurienſis cauſa. 274
Queſnellus Oratorij Jeſu Theologus edidit opera S. Leonis Papæ. 392

R

REpoſtus factioſus. 3
Romam navigant factioſi cum mendaciorum merce. 3
Romani Epiſcopi & aliorum ad deponendas Epiſcopos æqualem autoritatem putabat S. Cyprianus. 10
Romani Pontifices Cornelius & Lucius anteceſſores S. Cypriani. 10
Rigaltij notæ ad Cyprianum. 15
Romam ire ſolent contumaces ut procul ab ſuis quibus erant noti facilius fallerent. 16
Romanum Concilium apocryphum. 52
Reviſionis jus quale ſit. 72
Romani Pontificis autoritatem nullus catholicus in controverſiam vocat. 113
Romana Synodus ſub Bonifacio II. 119
Reſcriptum Imperatorum Gratiani & Valentiniani ſuſpectum. 116
Romani Concilij Epiſtola falſa. 127
Rothaldus epiſcopus Sueſſionenſis. 149
Romanæ Eccleſiæ quomodo debet in omnibus reverentia cuſtodiri 218. 219
Rufus legatus Pontificis Romani in Illyria. 226
Rufinus hiſtoricus. 247
Regienſe Concilium. 332
Ravennius Arelatenſis ſcripſit vitam S. Hilarij Arelatenſis. 385

S

SYnodorum autoritas ſuprema. 5
Synodorũ judicio Epiſcopi non obnoxij ſecundum Davidium ſed ſolius Papæ. 7
Stephani Papæ contentio cum S. Cypriano. 8
Sorbonæ codex MS. operum S. Cypriani. 8
Sedes communis omnibus Epiſcopis. 10
Sedes Apoſtolica refugium epiſcoporum. 14
Sabellij hæreſis in Lybia. 16
Sexcenti Epiſcopi in Concilio Antiocheno. 22
Septuaginta epiſcopi Paulum Samoſatenum ſuſtulere. 25
Schiſma Melitianorum. 27
Socrates vixit 37. annis poſt Epiphanium. 27
Synodorum provincialium ſuprema autoritas quomodo intelligenda. 41

Secundus

Secundus Epiſcopus Ptolemaidis. 45
Socrates ſuſpectus. 47
Socrates à Baronio correctus. 56
Socratis & Sozomeni ſententia explicatur de conſuetudine ſcribendi ad ſummum Pontificem ſeu referendi cauſas graviores. 63
Sardicenſis Concilij explicatio. 66
In eo nihil definitum de fide. 67
Stephanus epiſcopus Orientis depoſitus. 68
Sardicenſe Concilium plus præſtitit Romano. 69
Sardicenſi Concilio qui ſubſcripſerunt non omnes aderant. 80
Sabinus hiſtoricus Concilij Nicæni hoſtis acerrimus. 89
Sozomenus errat cum Socrate. 89
Simplicius epiſcopus Ednenſis. 94
Severinus Epiſcopus Senonenſis. ibid.
Stephanus Epiſcopus Antiochenus Epiſcopatu Spoliatus. 89
Sylvanus epiſcopus Tarſi in Cilicia. 97
Secundianus Epiſcopus depoſitus. 121
Sardicenſi Concilio derogant Imperatores. 127
Syricij Papæ Sententia de cauſis Epiſcoporum judicandis. 135
ejuſdem tertia epiſtola explicata. 151
Simoniæ crimen cauſa depoſitionis. 157
Savitius publicavit græcè opera S. Chryſoſtomi. 210
Sozimus hiſtoricus nulla fide dignus. 210
Sardiecenſe Concilium & Canones Sardicenſes differunt. 212
Signatores falſi literarum Pontificiatum. 223
Sozimi Papæ literæ explicantur. 228

T

Turrianus Jeſuita vertit latinè literas à Concilio Antiocheno ſcriptas ad Paulum Samoſatenum. 22
Teonas Epiſcopus Marmaricæ. 45
Teognis Epiſcopus Niceæ. 47
Tyri Concilium in cauſa S. Athanaſij. 52
Theodorus epiſcopus Orientis depoſitus. 68
Theodoretus epiſcopus Cyri. 89
Tyanenſe Concilium. 96
Theophilus epiſcopus Caſtabalorum. 97
Timotheus Epiſcopus Alexandrinus dux conjurationis adverſus S. Gregorium Nazianzenum. 115
Theophilus judex delegatus à Concilio Capuenſi in cauſâ Schiſmatis Antiocheni. 134
Terræ motus Conſtantinopoli. 175
Theophili factum exhorruit Innocentius Papa. 183
Turonenſis Concilij 2. canon vigeſimus. 216
Typhus quid ſignificat. 250
Theodorus Ancyranus vult Neſtorium adeſſe Concilio Epheſino. 311
Taurinenſe Concilium. 333
Theodoreti Epiſcopi Cyri cauſa, abdicatio,

abdicatio, & appellatio ad Sedem Apoſtolicam. 363

V

UNitas Eccleſiæ inter diverſa ſentientes. 12
Urſatius & Valens Epiſcopi Orientis hæreſis crimine convicti depoſiti. 68
Vincentius Epiſcopus Capuenſis. 94
Valerianus Epiſcopus Aquileæ. 121
Urſicini conjuratio. 124
Victricius Rotomagenſis epiſcopus. 145. 216
Voſſius de hiſtoricis græcis. 210
Venerij Maſſilienſis epiſcopi cauſa. 298

X

XIſtus res Eccleſiæ Romanæ undecim annis geſſit. 21

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

7/-

Digitized by Google

Digitized by Google